DE BASILICA
S. LAURENTII
IN DAMASO
LIBRI TRES.

Quorum primus Acta S. Damasi complectitur, alter ea, quae ad Basilicam pertinent, tertius, quae ad ejusdem Basilicae Ecclesias Filiales, spectare videntur.

A U C T O R E
ANTONIO FONSECA
EPISCOPO AESINO
EJUSDEM BASILICAE OLIM CANONICO.

F A N I; MDCCXLV.
Ex Typographia Cajetani Fanelli.
SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

Pont. Opt. Max.

ANTONIUS FONSECA EPISCOPUS AESINUS

FELICITATEM.

HIſtorica de Sacra Sancti Laurentii in Damaſo Baſilica quotquot venerandae antiquitatis monumenta, ſan. mem. Clementis Papae XI. juſſu, jamdudum ſparſim pro mea

tenui induſtria collegeram, ne in unum veluti corpus redigerem, rectoque, quoad fieri poſſet, ordine, ac ſerie digererem, impoſitum mihi plane immerenti paullo poſt Epiſcopalis miniſterii onus hactenus retardavit. Quod autem propter temporis anguſtias, & aſſiduas in paſcendis ovibus mihi commiſſis curas eveniſſe viſum eſt, ut nonniſi in praeſentia opus hujuſmodi abſolverem, id ſane non fortuito, ſed divino quodam munere mihi contigiſſe arbitror; ut ſcilicet Te Pontifice Maximo perficeretur, cui antiquius nihil eſt, quam Eccleſiaſticam Hiſtoriam, & ſacram eruditionem promovere in diem, atque perficere.

Hoc itaque felici omine in ſpem erectus, ac vetuſtiſſimis etiam tot eximiorum Antiſtitum, qui literarios labores ſuos ſummo univerſalis Eccleſiae Hierarchae inſcripſerunt, exemplis inhaerens, ſupremo Sanctitatis Tuae Solio ſupplex

exi-

exiguum hoc obſequentiſſimae venerationis meae munus offero, quod pro ea, qua me ſemper paterna humanitate, ac ſingulari benignitate complexus es, a Te exceptum, & probatum iri valde confido. Habet enim Sanctiſſimi, atque eruditiſſimi Praedeceſſoris Tui Sancti Damaſi, & Baſilicae, ab eo Sancti Laurentii nomine aedificatae, Hiſtoriam, egregias Sanctitatis Tuae virtutes referentem. Etenim nemo non videt, eximiam Tuam erga ſacras Aedes vetuſtate inſignes pietatem, ac liberalitatem, cum pari ſollicitudine, & zelo conjunctam. Teſtantur id profecto tum Anconae, tum Bononiae relicta poſteris exempla religionis Tuae, ac decoris Domus Domini, in ſacris Aedibus ſive reparandis, ſive reſtituendis, ſive ornandis, quamdiu illis Eccleſiis Antiſtes ſanctiſſime praefuiſti. Quid vero loquar de iis, quae in Urbe Roma, paucis annis, Aerario praeſertim inope, exhibuiſti ſempiterna piae largitionis Tuae teſtimonia? Per ſe ſane

loquuntur Basilicarum Liberianae, & Sessorianae porticus, senio jam collabentes, a fundamentis magnificentissime excitatae; tum & Basilica ipsa Sessoriana undique instaurata, tabulato, picturis, aliisque ornamentis in elegantiorem formam instructa; strata quoque recta, atque ampla ad Basilicam Lateranensem via. Nec minorem profecto laudem apud posteros obtinebit restauratio memoriae vetustissimi illius Triclinii, quod Leo III. aula perampla, marmorum incrustationibus Porphyreticis, Pariisque columnis locupletatum prope Basilicam Lateranensem excitavit. Cujus quidem splendidissimae molis, quae pauca supererant vestigia, cum solo nunc prostrata jacerent, Sanctitas Tua minime tulit adeo venerandae antiquitatis monumentum suis ruderibus consepeliri; sed aedificium a fundamentis cum pilis, & abside construi mandavit; ibique Musivo opere perantiquas ejus imagines, inscriptiones, emblemata, & quidquid ad sacrae ejusdem vetustatis memoriam perti-

neret

neret, multis aureorum millibus impenſis, omnino reſtitutum voluit. Qua quidem in re quis non videt Te Leonis IV. Sanctiſſimi Pontificis exempla eſſe emulatum, cum ille Triclinium ipſum ſartum tectum poſteritati ſervaverit, Tu vero pereuntem jam penitus poſt tot aetates ejuſdem Triclinii memoriam reſtaurandam, poſteriſque tradendam curaveris? Haec autem Tibi cum aliis ſint fortaſſe communia; praeclara vero incredibilis, admirandaeque doctrinae, & ſacrae eruditionis opera, in quibus omnia ad Sanctorum canonizationem ſpectantia facili, tutaque via explanas, mirificeque illuſtras, Tua profecto omnino ſunt, Tuamque ſingularem ſapientiam mirum in modum oſtendunt.

Praetereo inſtitutas Eccleſiaſticae Hiſtoriae, Sacrae Liturgiae, Conciliorum, & Romanarum antiquitatum Academias, quas Pontificia praeſentia Tua inter tot graviſſimas omnium Eccleſiarum ſollecitudines decorare, ac promovere non

definis, quod haec ſingula nimis longam orationem expoſcerent. His ſane virtutibus ad ſanctiſſimum, doctiſſimumque Pontificem Damaſum Te propius accedere, atque aemulari, omnes intelligunt. Proinde minime vereor, ne Pontificis Tui ſimillimi acta, quae ſub auſpiciis nominis Tui in lucem prodeunt, benigno, placidoque vultu excipias, & mihi, pro diuturna incolumitate Tua Deum Opt. Max. obſecranti, Apoſtolicam benedictionem impertiaris.

AD LECTOREM.

INditum penitus a natura Mortalibus est, ut in quo quisque coetu nonnullam honoris partem assecutum se esse cognoscit, ad ejusdem decora recensenda, atque exornanda animum adiiciat. Quamobrem cum gloriosissimae, ac sanctae memoriae Clementis XI. munificentia inter Canonicos Basilicae S. Laurentii in Damaso evectus fuerim, si de ejusdem institutione praerogativis, & amplitudine, quae sunt sparsim memoriae tradita literis consignavero, operae pretium facturum me existimo, probationemque apud Lectores, ne dum veniam consecuturum.
Addit maximopere animum ad scribendum consilium, quod hujus exordiendi, perficiendique Operis ipse coeperat commemoratus Pontifex Clemens XI., cum hujus Basilicae Canonicatu fungeretur. Et quidem admodum sinistro rebus nostris fato contigit, graviores munerum curas Virum ad summa natum alio avocasse, simulque elusisse illas eximiae gloriae spes, quas nostro coetui, atque Basilicae a tam singularis sapientiae Scriptore animo perceperamus. Verum si in hujus Basilicae monumentis colligendis opportunitas illi defuit, ejusdem tractationis per alios conficiendae studium non elanguit.
Mihi porro, cui idem Canonicatus locus, quo ipse summa laude erat perfunctus forte faustissima obvenerat, pro ea, qua Princeps optimus humanitate praestitit, auctor fuit, deditque enixe negocium, ut huic labori exantlando nervis omnibus curas intenderem; quod ego perhonorificum de mearum virium tenuitate judicium existimo. Idem quoque humanissimus Princeps, ut eo alacrius praescriptum Opus aggrederer, atque perficerem, non ita paucis me documentis instruxit, quae non levi ipse studio in antecessum collegerat, aditumque mihi ad secretiora Scrinia Archivi Vaticani indulgenter aperuit, ex cujus promptuario, atque memoriis plurima

hausi,

hausi, quae mihi praesidio fuere ad absolutam tractationem tum Basilicae S. Laurentii, tum quinque, & sexaginta ejusdem filialium, ut vocant, Ecclesiarum, de quibus paullo diligentius, licet pro necessitate materiae aliquanto prolixius, agitur.

Et quidem in votis erat Operis faciundi curam brevi temporis intervallo explere: at, fatis cedente Sanctissimo Pontifice Clemente, benignissimo, uti dixeram, hujus laboris mei auctore, orbato mihi eximio Mecenate, ac Benefactore amplissimo, scribendi ardor primo languescere coepit; dein vero & ab incoepto plane desistere visus sum. Haud ita multo post tenuitati meae superimpositum Episcopale onus in Aesinae Ecclesiae regimine ad curas utique graviores animum impulit; ad procurandam nimirum, tuendamque concrediti Gregis salutem, ut par erat, summa ope, ac toto animi conatu. Nec tamen, etsi intermisso longo temporis spatio, ideo mente excidit grati animi debitum erga eamdem Basilicam, in qua primum Divino cultui addictus, honorifica Ecclesiastici Ordinis munia obeunda susceperam, nec non devotae mentis obsequium singulare erga praefatae Ecclesiae tutelares Patronos, Sanctos scilicet Laurentium, & Damasum. Quin immo post diuturnam interpositam moram ad opus perficiendum intendens animum, rem institutam absolvere curavi. At cum temporum injuria hujusce Basilicae praestantiora antiquitatis monumenta perierint, quae in clariori lumine collocata, ac in lucem edita, ipsam maxime cohonestarent, atque decore afficerent; detrimentum hoc quovis modo compensare omni studio satagens, plures iccirco digressiones hoc in opere attexere haud abs re omnino fore sum arbitratus; ipsas propterea Lector humaniter condonaturus excipiat. Tres igitur in partes, seu libros totum Opus secernere visum est. Primus S. Damasi Papae Acta complectitur, secundus ea, quae ad Basilicam, & tertius, quae ad ejusdem Basilicae obnoxias Ecclesias, filiales, ut vocant, spectare videntur.

AP-

APPROBATIO.

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Antonii Fonsecae Episcopi Aesini Libros tres de Basilica S. Laurentii in Damaso jussu Reverendissimi P. Aloysii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magistri legi, qui cum praeclarum praebeant exemplum, tum gratitudinis erga vetustissimam, insignemque Basilicam, cujus olim Canonicus fuerat Illustrissimus, & Reverendissimus Auctor, tum peculiares Basilicarum Historias conscribendi maximo cum universalis Historiae emolumento, nihilque contineant Fidei, aut bonis moribus dissonum, quin plura posteritati antiquitatis monumenta conservent, sacraque, & profana eruditione referti sint, iccirco eosdem typis edi posse censerem.

Ex nostro Monasterio S. Crucis in Jerusalem die 10. Julii anno 1743.

D. Joachim Besozzi Abbas S. Crucis in Jerusalem Procurator Generalis Cisterciensium Lombardiae, & S. Rom. Inquisitionis Consultor.

APPROBATIO.

Jussis obtemperans Reverendissimi Patris Fr. Nicolai Aloysii Ridolfi Sac. Palatii Apostolici Magistri, Opus, cui titulus: *De Basilica S. Laurentii in Damaso libri tres &c. Auctore Antonio Fonseca Episcopo Aesino ejusdem Basilicae olim Canonico* attente perlegi. In eo sedulam Illustrissimi, & Reverendissimi Auctoris diligentiam suspexi, qua, quotquot supersunt documenta ad res laudatae Basilicae illustrandas spectantia, collegit, atque digessit. Cumque ampliora, quibus ejusdem Basilicae antiquitatis in clariori lumine collocari potuissent, temporum injuria, & fortuitis eventibus perierint, damnum hocce digressionibus ex sacrae, & profanae eruditionis sua penu depromptâ, abunde compensavit clarissimus Auctor. Haec omnia grata Lectoribus futura non dubito, quibus cum nihil vel Fidei, vel moribus adversum admisceatur, ideo eadem publici juris tuto fieri posse judico, ac censeo.

Ex Aedibus S. Calixti die 16. Julii 1743.

D. Fortunatus Tamburinus Abbas S. Pauli, Sacrarum Rituum, & Indicis Congregationum Consultor, ac Sac. Rom. Inquisitionis Qualificator.

Jussu

JUssu Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Jacobi e Comitibus Beniis Episcopi Fanensis legi Opus ita Inscriptum: *De Basilica S. Laurentii in Damaso libri tres &c. Auctore Antonio Fonseca Episcopo Aesino ejusdem Basilicae olim Canonico*: ipsumque maximo Mecenate, Eminentissimis Approbatoribus, Reverendissimo Auctore, amplissimaque Basilica plane dignum deprehendi.

Ex Coenobio S. Francisci Fanensi die 11. Junii 1744.

Fr. Raymundus Missorius Ord. Min. Conventualium Chronologus, Eminentissimi, ac Reverendissimi Cardinalis Passionaei Theologus, & in Nobili Collegio Nulphio Controversiarum, & Eloquentiae Professor.

IMPRIMATUR.

J. Episcopus Fanen.

ADm. Rev. Patri Lectori F. Dominico Tommasini Sac. Inquisitionis in hac Fanensi Civitate Vicario morem gerens Opus insigne, cui titulus: *De Basilica S. Laurentii in Damaso libri tres &c. Auctore Antonio Fonseca Episcopo Aesino ejusdem Basilicae olim Canonico*: summa animi voluptate perlustravi. Plurima sane in tanti Operis, Anctorisque commendationem dicenda forent, nisi occupata pridem abunde a Viris & sapientia, & dignitate Eminentissimis provincia, approbatori minimo silentium indiceret. Si quid tamen in me est, opus eruditis omnibus gratissimum fore, maximeque profuturum; adeoque praelo dignissimum censeo.

Ex Coenobio S. Dominici Fani die 13. Junii 1744.

Fr. Dominicus Massa Ord. Praed. Illmi, ac Revmi Fanensis Episcopi Theologus, Exam. Synod. Congregat. Casuum Conscientiae Praefectus, & in Nobili Collegio Nulphio Sacrae Theologiae Professor.

Attenta supradicta Attestatione.

IMPRIMATUR.

Fr. Dominicus Tommasini Ord. Praedicatorum
Vicar. S. Officii Fani.

LI-

INDEX CAPITUM PRIMI LIBRI.

IN-

INDEX CAPITUM SECUNDI LIBRI.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

INDEX CAPITUM TERTII LIBRI.

CA-

LIBER I.

ACTA S. DAMASI.

CAPUT I.

Exponuntur Cauſae, quibus ad S. Damaſi Vitam conſcribendam Auctor accedit. Quae Acta a narrationibus, & monumentis ambiguae Fidei ſint ſecernenda; ubi de tribus Imperatoribus Valentinianis, ac de geminis Placidiis Auguſtis.

OPportunum videtur, priuſquam ad noſtrae Baſilicae hiſtoriam, deſcriptionemque deveniamus, egregias S. Damaſi laudes, ac ejuſdem praeclara Geſta, virtuteſque praecipuas indicare.

Primum omnium ſtatuendum eſt a nullo Scriptore ſuſceptum eſſe laborem commemorandi, & ex compoſito, deditaque opera digerendi ejuſdem Pontificis praeclare facta, & illuſtria in Rempublicam Chriſtianam promerita. Sparſim iſta dumtaxat, & quaſi aliud agentes poſteritatis memoriae conſignarunt Annalium Eccleſiaſticorum Scriptores, & qui Summorum Pontificum Vitas ad noſtra tempora demandarunt. Licet autem Auctores praedicti

de conspicuis S. Damasi actis multa congesserint, quos inter Anastasius Bibliothecarius in suo Pontificali libro dudum opera, & studio clarissimi Viri, & Praesulis Francisci Blanchini castigatius edito, & notis illustrato; nec non Cardinalis Baronius in Annalibus, & post illum Tillemontius, adhuc tamen operae pretium nos facturos existimamus, si eadem excerpta, servato temporum ordine, distincte magis, castigateque tradamus. Id ut a nobis effectum detur, tum Reipublicae juvandae studium, & de nostrae Basilicae Coetu aliquo saltem pacto vigiliis nostris benemerendi, tum maxime nostra in Sanctissimum Pontificem pietas suadet, monetque.

Ad rem fuerit pro certo habere actis S. Damasi in lucem editis a Constantino Cajetano Abbate, asservatisque in Codice M. S. Archivi Canonicorum S. Petri minime esse fidendum. Item detrahenda non minimum fides est antiquissimo Codici M. S. asservato in Bibliotheca Vallicellana, quorum memoriae scatent ubique mendis, & lapsibus magni momenti; ut plane videantur exaratae ad normam, & palatum eorum Auctorum, qui nono, vel decimo vixerunt saeculo. Utrumque circumfertur in Bibliotheca Patrum (*a*). Genvinis identidem S. Damasi Operibus falsa haec permiscuit Marcus Milesius Sarazanius (*b*). Ea vero Manuscripta docent dirutum Pompeji Theatrum conversum fuisse in Viridarium, quo tempore S. Damasus a Valentiniano Caesare, quarto vertente saeculo, ejusdem Situm obtinuit pro aedificatione Templi dicandi in honorem S. Laurentii. Id vero quo pacto potuit contingere, cum constet Theodoricum Gothorum Regem, sequenti exeunte saeculo, Theatrum eumdem instaurari jussisse? Ejus rei testimonium exhibet Epistola Cassiodori (*c*). In ea non dicitur Aedificium fuisse dirutum, sed potius quod fatisceret ex magna parte; ac proinde imperatur, ut a peritis Architectis, explorato situ, & vitio ejusdem Aedificii, reputetur utrum solidis pilis sustineri possit.

Prae-

(a) *Biblioth. Max. PP. Tom. 27. pag. 63. Lugduni 1677.* (b) *Sarazanius Opera S. Damasi pag. 33. usque ad pag. 76. Romae Typis Vaticanis 1638.* (c) *Cassiodor. Variar lib. 4. Epist. 51. pag. 76. Rotomagi 1679.*

Praeterea ibidem affirmatur: Valentinianum uxorem duxiſſe Eudoxiam, ex qua geminis filiabus fuerit auctus; quarum natu major e matris appellatione item Eudoxia, minor vero natu Galla Placidia vocaretur. Exorta tamen eſt ab indicatis Manuſcriptis non levis confuſio, cum videantur de Valentiniano Primo aſſeverare, quod de Tertio verum eſſe traditur (*d*); eum nempe uxorem duxiſſe Liciniam Eudoxiam Theodoſii junioris filiam eidem matrimonio collocatam anno 437, duos nimirum & quinquaginta poſt obitum S. Damaſi. Exploratum enim eſt Valentinianum Primum ab Exercitu Niceae acclamatum Imperatorem, rerumque potitum in uxorem primo duxiſſe Severam, eaque e vivis ſublata, mox Juſtinam Decentii relictam anno circiter 367, ex qua non equidem gemina, ut placet Manuſcriptis (*e*), ſed quadruplici ſobole, nempe Valentiniano Juniore, Galla, Grata, & Juſtina auctus fuit; quarum prior foemina connubio juncta fuit Theodoſio Magno, poſteriores vero in virginitate conſenuerunt.

A veritatis ſcopo prorſus aberrant praefata Manuſcripta; dum produnt Gallam uſque adeo aegre tuliſſe erectionem Eccleſiae in ſitu Pompejano a genitore conceſſo S. Damaſo, ut juſſerit noctu ſolo aequari quidquid a ſtructoribus interdiu fuiſſet excitatum. Quomodo enim Galla Eccleſiae ſtructurae impedimento eſſe potuiſſet, ſi nec ipſa, neque Sorores Urbem Romam ne quidem a longè unquam ſalutaverunt? Profecto Valentinianus ipſe non niſi ſemel Italiam Mediolani vidit; idque ipſum ex alio nullo vetuſtatis monumento, niſi ex praeſcripto aliquarum legum in Codice Theodoſiano colligi poteſt: adeo tamen exiguo temporis fluxu, ut nec Ammianus Marcellinus (*f*) illius aevi emunctae naris Scriptor, nec alius quiſpiam Valentiniani in Italiam adventus mentionem fecerit: omni porro ſepoſita mora in Germaniam Imperator profectus eſt,

 inde

(d) *Cangius biſtor. Bizant. illuſt. p. 1. pag. 33. Lutetiae Pariſiorum* 1680. (e) *Tillemont biſtoire des Empereurs tom. 5. art. 16. Valentenien. pag. 37. Pariſ.* 1701. (f) *Ammian. Marcellin. lib. 30. cap. 6.*

inde in Illiricum, ubi vomitu sanguinis, ut narrat S. Hieronymus *(g)*, vitae, & imperio finem dedit.

Ne autem de Augusta foemina Galla Placidia in praefatis Codicibus memorata, & de Valentiniano Imperatore errores oriantur, ipsos indistincte, ac promiscue confundendo cum alia Galla Placidia, aliisque Imperatoribus Valentinianis, hic consentaneum arbitramur praenotare, quod duo floruere Augustae foeminae nomine Gallae Placidiae, & tres Imperatores Valentiniani nuncupati. Harum prima Valentiniani Senioris ex Justina conjuge filia fuit, quae nupsit Theodosio Magno, & in puerperio decessit anno Urbis conditae 1147, Christi vero 394, ut referunt Franciscus Mediobarba, & Carolus Cangius *(h)*. Augustae hujus frater fuit Valentinianus Junior, qui sexto die post parentis obitum opera Cerealis Avunculi, etsi tum quadrimus, Augustus solemni more est habitus. Altera vero Galla Placidia, superioris filia ex Theodosio Magno, cum in expugnatione Urbis Romae ab Alarico Gothorum Rege fuisset abducta anno Christi 410, Astaulpho illius consanguineo, qui Regnum adeptus est Imolae, in uxorem cessit. Anno postea 415 interfecto Astaulpho in Segerici potestatem devenit, qui, quod eam acerbius accepisset, septimo post die a militibus occisus est. Exinde Valliae, qui Segerico successerat, jurisfacta ab eodem, pace cum Honorio composita, ad fratrem remissa; a quo Flavio Constantio Patricio, & Exercituum in Galliis Duci in uxorem collocatur, etsi his nuptiis assentiri illa primum abnuisset *(i)*; nec multo post ob hanc affinitatem Constantius Ravennae ab Honorio Imperator renunciatur; qua dignitate haud diu potitus, pleuritide correptus, obiit eodem anno. Marito igitur extincto Placidia in Honorii fratris aedes se recepit, cum quo tanta vixit familiaritate, ut pra-

(g) *Hieronym. Epist. 61. ad Heliodorum Tom. 1. pag. 341. Veronae* 1734. (h) *Mediobar. in Adolp. Occonam. Imperator. Romanor. Numismat. pag.* 520. *de Galla Placidia. Mediolani* 1683. *Cangius histor. Bizant. pag.* 70. *de Familia Theodosii. Parisiis* 1680. *Baron. Annal. ad ann.* 375. *tom.* 4. *pag.* 368. *Romae* 1600. (i) *Paulus Diacon. addit. ad Eutropii histor. edit. ab Aldo in opere Miscellan. tom.* 13. *pag.* 283.

pravae de mutua hac benevolentia habitae fuerint ſuſpiciones; ejuſque filius ex Conſtantio Auguſto Valentinianus nuncupatus Caeſar poſtea eſt dictus, (*k*) anno nempe 424, habituſque pro tertio Valentiniano Imperatore. De his tribus Valentinianis Imperatoribus vide Antonium Pagium. Ad evitandam nominum ambiguitatem obiter hic indicare conſilium fuit, quae ſuperius retulimus, licet non omnia ad noſtri texturam Operis adſcribere neceſſe fuerit.

CAPUT II.

Patria S. Damaſi; ejuſdem educatio, in ſcientias inclinatio; res geſtae uſque ad Pontificatum. Item conſtitutio ejus in Vicarium Sanctae Sedis, ejuſdemque Opera Fons perennis repertus luſtrandis Infantibus attributus.

SAncti Damaſi patriam quod ſpectat, Auctores in diverſum abeunt. Tillemontius (*l*) pro certo habet Sancti Viri ortum Romae deberi, & ex nullis rationum momentis, aut vetuſtatis monumentis erui poſſe ejus Patrem ex Hiſpania eo veniſſe. Verum haec opinio eſt omnino deſerenda, ut pote ſingularis, & hiſtoricorum auctoritate deſtituta, qui unanimiter aſſeverant S. Damaſum ortum habuiſſe in Hiſpania.

Bollandus (*m*) quoque de S. Damaſi Patria videtur perplexus; ubi enim ipſi eſt ſermo de Sancta Irene ſorore Damaſi, ad alia a ſe diſputanda lectorem rejicit: *De quo, inquit, & Sanctae Irenes patria, & parentibus plenior dicendi locus erit ad Acta S. Damaſi X. Decembris*. Vulgatiſſima (*n*) igitur ſententia veterum, maxima hiſtoricorum parte firmata docet, anno 304. na-

(k) *Cangius hyſtor. Bizant. pag. 73. Lutetiae Pariſiorum 1680.* (l) *Tillemont memoires Eccleſiaſt. tom. 8. de S. Damaſe art. 1. pag. 386, & note 13. pag. 778. Paris 1702.*
(m) *Bolland. ad 21. Februarii tom. 3. Febr. pag. 244, & 245. Antuerpiae 1658.*
(n) *Joannis Trithemii opera hiſtorica de Scriptor. Eccleſiaſticis pag. 26. Francfurt 1601.*

natum fuisse in Hispania ex patre Antonio, nobili, atque praeclara stirpe. Quoniam *(o)* vero sub nomine Hispaniae id temporis comprehendebatur Lusitaniae Regnum, iccirco aliqui Scriptores, inter quos Ciacconius, Augustinus Oldoinus, & Angelus Roccha opinantur S. Damasum ex Oppido Vimarensi in Lusitania Diaecesis Baccarensis in lucem prodiisse.

In id tamen conspirant melioris notae auctores, ut S. Damasus peradolescens, seu tenera aetate Romam venerit cum suo genitore Antonio, qui ibidem cum tota familia domicilium fixit, ubi eo usque officio Exceptoris functus fuit, donec e vivis migrante ipsius conjuge, se totum deinceps mancipavit obsequiis pervetustae Ecclesiae S. Laurentii, quae tum quoque erat una ex Paroeciis Urbis, & ibidem gradatim Lector, Diaconus, & tandem Presbyter Sanctae Romanae Ecclesiae Tituli S. Laurentii ordinatus fuit. Disertis hoc verbis innuit ipse S. Damasus carmine decimo octavo Operis *(p)* metro editi, ubi non procul a limine ita de Patre canit:

Hinc Pater, Exceptor, Lector, Levita, Sacerdos
Creverat hinc meritis, quoniam melioribus actis
Hinc mihi provecto Christus, cui summa potestas
Sedis Apostolicae voluit concedere honorem.

Praeter Fleurium, (*q*) qui pro inconcusso habet id, quod de patre S. Damasi retulimus, Sebastianus Tillemontius, & Adrianus Bailletus auctores de re critica maxime studiosi ejusdem sunt sententiae.

Eximiae indolis argumenta aetatem longe praevenerant, omnibusque ingenii dotibus abunde auctus S. Damasus, in primaevo aetatis flore Mundi illecebris abdicatis se totum litteris de-

---

(o) *Auctor sub nomine Luitprandi de Vitis Pontific. Roman. de S. Damaso pag. 24. Moguntiae 1602. Francis. Petrarch. de Pontific. & Imperator. Ciacconius Vit. Pontific. & Card. tom. 1. col. 249. Romae 1667. Oldoinus in addit. ad Ciaccon. in Vita Damasi col. 256. Roccha de Bibliotech. Vatic. in Elencho auctorum litt. D. Romae 1591.*

(p) *Opera S. Damasi Carm. 18. pag. 86. Romae Typis Vaticanis 1638.* (q) *Fleurius histor. Ecclesiast. tom. 4. lib. 16. pag. 153, & lib. 18. pag. 491. Paris 1704. Tillemont. memoires Eccles. tom. 8. de S. Damase art. 1. pag. 386. note 13. pag. 778. Paris 1702. Baillet vies des Saints tom. 3. col. 176. du Mois de Decembre 1704.*

dedit. Quin & perſpecta rerum humanarum caducitate continuo in illum Monaſticae capeſſendae vitae ſtudium irrepſit, quam etſi non habitu, nec ſolitudine, animo tamen, & moribus pie, ſanctеque in Clericali ſtatu, & Urbe Roma ſervaſſe compertum eſt.

A tenera aetate politiori litteratura, ac liberalium artium ſtudiis probe imbutus ſedulam ſublimioribus diſciplinis, ac rei dogmaticae praeſertim operam impendit. Adſcitus in Clerum eadem ipſa, in qua genitor, S. Laurentii Eccleſia fideliter rebus ſacris miniſtravit, ubi totius ejus vitae inſtitutum, morum ſcilicet gravitas, & candor, Clero, populoque admirationi fuit, & exemplo, teſte S. Hieronymo (*r*).

Anno 355, ea nimirum tempeſtate, qua S. Liberius Papa a Conſtantio Imperatore Sede pulſus fuit, & in Thraciam relegatus, S. Damaſus adhuc erat Diaconus Romanae Eccleſiae; & tunc Liberio Felix Eccleſiae Romanae pariter Diaconus (*s*), vir catholicus ſubrogatur, qui diem obiit anno 357; ab exilio tamen S. Liberius in propriam Sedem reſtitutus, tunc ad Presbyteratus Ordinem promovit S. Damaſum.

Praeclarum habetur de S. Damaſi adhuc Presbyteri pietate teſtimonium apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Vita S. Felicis Papae II, quod ſcilicet ipſe Damaſus ejuſdem Sancti Pontificis Corpus ſepelierit: inquit enim Bibliothecarius de S. Felice: *Qui paſſus eſt in Civitate Cerana cum multis Clericis, & Fidelibus occulte juxta muros Urbis ad latus formae Trajani tertio Idus Novembris, & exinde raptum eſt corpus ejus noctu a Presbyteris, & Clericis cum Damaſo Presbytero, & ſepultus eſt in ſupradicta ejus Baſilica, quam ipſe conſtruxit Via Aurelia 12. Kal. Decembris Miliario ſecundo in pace.*

Per haec tempora Conſtantius ſeductus ab Euſebio Nicomedienſi, & a quodam Ariano Presbytero, mentis levitate, Fidei Catholicae evaſit infenſus, & quam prius profitebatur, eam-

(r) *Hieronym. Epiſt. 48. ad Pammachium pag. 228. tom. 1. Editionis ſupra citatae.*
(s) *Baillet, & Tillemont ubi ſupra.*

eamdem repudiavit, atque de Arii fovendis partibus agitare coepit; eoque audaciae sensim progressus est, ut labem infligere tentaverit Sanctae Nicenae (t) Synodo, quae illius blasphemias sub ejus magno Genitore Constantino profligaverat; ac ea ratione apud Ariminum Synodum trecentorum Patrum jussit Imperator cogi adversus Fidem Catholicam, ubi pene omnes, qui convenerant, Episcopi inscientes, & imprudentes Arianorum perfidiae consentire coacti fuere.

Quod cernens Liberius, Constantium saepe antea privatim admonitum publice postea redarguit; quamobrem Imperator vehementer iratus, Pontificem (u) extra Urbem in exilium deportari praecepit ad Coemeterium, quod dicitur Novellae, Via Salaria tertio ab Urbe lapide positum, ubi in Coemeteriis suburbanis vitam diutius egit. Porro Liberius dum in exilium duceretur, Damasum fide sincerum, sapientia praeditum in Urbe Vicarium constituit, quem & vices Liberii absentis in administratione Ecclesiae Romanae potiori parte duorum annorum, nempe 359, & 360, probe adimplevisse docent (x) Sozomenus, ac Baronius; quod quidem officium tanta virtutis plenitudine exercuit, ut non modica pars Episcoporum, quos metus in Ariminensi conciliabulo a Catholicae Fidei gremio distraxerat, ad eamdem ejus suasionibus redierit.

Idem Damasus, cum Liberio expiandis ad Fidem recens accedentibus lustrales aquae in Vaticano deficerent, percusso monte, vim aquarum, quae prius sepultorum cadavera graviter infestabat, in idoneum sacro lavacro locum derivavit, atque collegit.

Ad hujus rei notionem animadvertendum est, quod Coemeterium Vaticanum sacro, ac salutari Baptismatis fonte decora-

---

(t) *Ruffinus histor. Ecclesiast. lib. 1. cap. 21. pag. 234. Basileae* 1528. (u) *Bosio Roma sotterr. lib. 3. cap. 54. pag. 483. Romae 1632. Ciaccon. in Vita S. Liber. tom. 1. col.* 240. (x) *Sozomenus histor. lib. 4. cap. 10. pag. 550. Parisiis 1668. Baronius Annal. tom. 3. ad ann. 359. pag. 589. Romae 1600.*

corabatur, quo Sanctiſſimi olim Pontifices, ac ipſemet fortaſſe Apoſtolorum Princeps Petrus Chriſti Fidei nomen dantes, dum acerbiora inſtarent Eccleſiae tempora, de more a peccatorum ſordibus expiabant; ex quo idem Coemeterium Fontis utique S. Petri nomen ſortitum fuiſſe affirmat (y) Panvinius; neque aliud quidem Cencium Camerarium, & Petrum Manlium intellexiſſe exiſtimat (z) Aringus, cum inter reliqua Urbis Coemeteria hoc pariter ſub titulo Fontis S. Petri Coemeterium recenſent. Nihilominus a Chriſtianae Religionis primordiis diverſis quidem nominibus nuncupatum fuiſſe conſtat; quandoque enim denominatur Memoria, Confeſſio, Martyrium, Petri Limina, Trophaeum Apoſtolicum, aliiſque ſimilibus Titulis praenotatur. Porro autem hic olim extitiſſe Baptiſmalem fontem late probat praefatus Aringus. Idem fons, Liberio Eccleſiam regente, pene dirutus erat, temporumque injuria corruptus; aquarum enim venae, quae uberime ex proximo imminente Colle illuc fluebant, rivulorum ductibus fiſtuliſque perfractis, ſparſim per Coemeterii ambitum dilabebantur, atque in Sanctorum Martyrum Sepulchra decurrebant; quo factum eſt, ut aquae ita diſperſae nullius quidem uſus evaderent, magni autem detrimenti eſſent Vaticano ipſi Coemeterio, ac mortuorum Sepulchris, dum ſacra exinde oſſa ingenti plane damno labefactata jugiter irrigabantur. Quamobrem Damaſus, qui tunc apud Romanam Eccleſiam Presbyterali munere fungebatur, defluentibus aquarum venis in unum diligenter collectis, aptatiſque cuniculis, novum (a) Baptiſmi fontem excitavit; cujus fontis beneficio Damaſus ſupra octo millia ex utroque ſexu ad amplectendam Fidem adduxit. Rem memoratu digniſſimam accipe ex monumento Tabulae marmoreae, quae in Vaticanae Baſilicae cryptis reperta eſt:

De Fontibus Vaticanis

(*b*) *Cingebant latices montem, teneroque meatu*

B Cor-

(y) *Panvinius de 7. Urbis Eccleſiis pag. 34. Romae 1570. Aringus Roma ſubter. tom. 1. lib. 2. cap. 4. n. 20. pag. 223. Romae 1651.* (a) *Baron. tom. 4. ad ann. 384. pag. 499.*
(b) *Opera S.Damaſi carm.39. ac notae in idem Milleſ. Saraz. pag.95.& 193. edit. ut ſup.*

Corpora multorum cineres atque ossa rigabant,
Non tulit hoc Damasus communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere poenas.
Protinus adgressus magnum superare laborem
Aggeris immensi dejecit culmina montis,
Intima sollicitae scrutatus viscera terrae.
Siccavit totum quidquid madefecerat humor.
Invenit fontem, praebet qui dona salutis.
Haec curavit Mercurius Levita fidelis.

De his fontibus alia duo carmina ex *(c)* Operibus S. Damasi, & ex Baronio hic apponimus.

Ad Fontes.

Non haec humanis opibus, non arte magistra,
Sed praestante Petro, cui tradita janua Coeli est,
Antistes Christi composuit Damasus.
Una Petri Sedes, unum verumque lavacrum,
Vincula nulla tenent, Acathius votum solvit.

De Fontibus.

(d) Qui peccatorum sordes abolere priorum
Terrenisque optas maculis absolvere vitam,
Huc ades ad Christi Fontem sacrumque liquorem,
Corpus ubi, ac mentes pariter sensusque lavantur
Aeternumque datur casto baptismate munus.
Hanc autem Fidei sedem construxit ab imo
Militiae clarus titulis Aulaeque fidelis
Romanaeque Urbis Praefectus Longinianus.

S. Paulinus *(e)* quoque scribens ad Alethium mentionem facit de eisdem fontibus Vaticanis in atrio S Petri, dum elegantissime describit Basilicam ipsam. Addita postmodum fuit his S. Damasi carminibus recens memoria, quae in memorato atrio Vaticano conspicitur.

Paulus V. Pont. Max. carmina a Sancto Damaso PP. I. ante annos MCCL.

(c) *Opera S. Damasi carm. 17. pag. 86. Baron. tom. 12. in Append. ad ann. 384. pag. 193. & tom. 4. ad ann. 384. pag. 397.* (d) *Opera S. Damasi carm. 40. pag. 96.*
(e) *S. Paulini Epist. 33. ad Alethium pag. 285. Antuerpiae 1623.*

MCCL. ob exiccatam a se humiditatem in vetere hujus Basilicae pavimento multorum in Christo quiescentium memorias labefactantem edita, suoque jussu hoc marmore incisa ad venerandae antiquitatis monumentum pie servatum ex Templi ejusdem ruinis, hic reponi mandavit Anno MDCVII.

Sedente Innocentio X, uberrime istae aquarum venae, quibus Vaticanum antiquitus Coemeterium irrigabatur simul cum antiquo aqueductu repertae, ne tantae unquam rei memoria aboleretur, in Apostolico Vaticano Palatio ad publicam commoditatem deductae in pulcherimum fontem multis scatentem fistulis aptatae sunt, marmore ibidem insculpto, in quo sequens Epigraphe legitur:

Aquam Vaticani Collis incerto olim a capite deerrantem a Beato Damaso inventam, scaturigine ad lavacrum novae generationis in fontem corrivatam, rursus amissam

Innocentius X. Pont. Max.

conquisitam, repertamque, ac mire probatam, Fonte recens extructo, restituit, ut in Urbe aquis peregrinis affluente Aedes Vaticanae suam hanc haberent gemina salubritate gratius hauriendam.

Anno Domini 1649. Pont. sui V.

Has memorat, atque refert Inscriptiones (*f*) Gaspar Alveri. De iisdem etiam fontibus (*g*) Aurelius Prudentius in Peristephanon de Passione Apostolorum Petri, & Pauli pulchre loquitur.

(f) *Gasparo Alveri Roma in ogni stato, part. 2. pag. 203. Roma 1664.* (g) *Prudentius Peristeph. hymn. 12. de Ss. Apost. Petro, & Paulo pag. 152. cum Heinsio Amstelod. 1667.*

CAPUT III.

Substitutio S. Damasi Liberio; Item Schismata Felicis adversus Liberium, & Ursicini contra Damasum. Mendacia in ipsum S. Damasum coacervata refelluntur.

Post obitum Sanctissimi Pontificis Liberii Anno salutis 367. (*h*) decimo septimo Kalendas Octobris ad Ecclesiastici Regiminis successionem, & pastoralis curae sollicitudinem Divina Clementia Damasum vocare dignata est. Enim vero insigni humilitate Virum Cleri, Populique precibus, & obtestationibus cogi oportuit, ut Pontificiam Sedem ascenderet, & Liberio subrogaretur; neque id citra contentionem, & calamitosa Ecclesiae Romanae dissidia contigit. Nimirum quae olim coeperat in Clero *(i)* Romano dissensio ex substitutione Felicis Liberio [licet postmodum Liberius eam componere studuisset, recipiens in Clerum, atque uniens cum aliis, eos, qui ordinati fuerant a Felice] latenter attamen serpens novi Pontificis Electionis occasione recruduit; dum alii ex parte Felicis, ex parte vero Liberii alii conarentur eligere Pontificem.

Schismatis causam inter Liberium, & Felicem refero. Athanasium Episcopum Alexandrinum, constantissimum Arianae haeresis oppugnatorem, Sede sua expellere satagebat (*k*) Constantius Augustus Arianis favens. Liberius autem, dum pro Athanasio aperte inciperet Constantii Imperatoris ausibus reluctari, ad se ejusdem persecutionem traxit; *(l)* unde factum est,

(h) *Martini Poloni supputationes col.* 77. *Basileae* 1559. *Mariani Scoti Chron. l.* 11. *col.* 322. *Basileae* 1559. *S. Antonini Chronic. part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 2. *pag.* 9. & 10. *Lugduni* 1586. *Ruffin. histor. Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 250. *Basileae* 1528. (i) *Theodoretus histor. Eccles. Henrico Valesio interprete lib.* 2. *cap.* 19. *pag.* 102. *Parisiis* 1673. *Baron. Annal. Eccles. tom.* 4. *ad ann.* 367. *pag.* 200. *Romae* 1600. (k) *Theodoretus histor. Eccl. lib.* 2. *cap.* 16. *pag.* 92. (l) *Sozomenus histor. Eccl. Graec. & Latin. Henrico Valesio interprete lib.* 4. *cap.* 11. *pag.* 550. *Parisiis* 1668.

eſt, ut in Boream Thraciae relegatus pelleretur. Porro autem antequam Liberius ex Urbe diſcederet, Clerus omnis Romanus, ſanctiſſimo interpoſito jurejurando, ipſi pollicitus eſt, nullum ſe alium Pontificem unquam, eo ſuperſtite, ſuſcepturum; Sed vix eo in exilium ducto, paullo poſt a tribus Arianis Epiſcopis contra Sacramenti fidem Felix Diaconus Epiſcopus ordinatus, in ejuſque locum ſuffectus eſt, Acacio Epiſcopo Caeſarienſi Ariano id operante. Quod univerſus Populus Romanus nimis aegre ferens, ſe ab ejuſdem Felicis communione abduxit; quod ſcribit (*m*) Theodoretus, inquiens: Nemo ex Romano Populo Eccleſiam, dum Felix intus eſſet, ingredi vellet. Biennio poſt, anno ſcilicet 356, Conſtantio triumphi agendi gratia, de Magnentio Tyranno extincto, Urbem petenti, cujus pompa ab Ammiano (*n*) deſcribitur, Populus, & Matronae Romanae pro Liberii reditu inſtant; quibus Auguſto annuente, Liberius ad Urbem revocatus eſt. Sed accidit, ut Liberius ductus taedio exilii biennalis ſubſcriberet Damnationem Athanaſii, & fidei Formulam in Syrmienſi (*o*) Concilio Arianorum editam, ac vocis *Conſubſtantialis* defectivam; quam quidem S. Hilarius interpretatus, agnoſcit eſſe catholicam, quippe cui nihil deeſſet praeter vocem *Conſubſtantialis*. Hinc Liberius in crimen vocatur, quaſi Conſubſtantialitatis vocem Nicenae Fidei damnaſſet, quod valde eſt veritati diſſonum; longe enim aliud eſt damnare Conſubſtantialitatem, aliud vocem illam ſilentio praeterire; nam aſſerendo Filium ejuſdem eſſe cum Patre ſubſtantiae, idem eſt, ac ſi profeſſus eſſet Conſubſtantialitatem. Itaque hac Syrmienſi approbata Formula, Liberius Urbem petiit. At Clerus, Populuſque Romanus audito conſenſu Liberii, & quod adeo turpiter conſenſiſſet Conſtantio, junxit ſe Felici jam extollenti, & propugnanti Catholicam Fidem; qui vero expetitus antea fuerat Liberius ab omnibus, omnium animos a ſe abalienatos in-

(m) *Theodoretus hiſtor. lib. 2. cap. 17. pag. 95.* (n) *Ammianus Marcellinus hiſtor. cum notis Valleſii lib. 16. cap. 10. pag. 127. Pariſiis 1681. Sozomenus hiſtor. Eccl. lib. 4. cap. 15. pag. 557. Pariſiis 1668.* (o) *Concilior. tom. 3. ad ann. 352. pag. 122. Pariſiis ex Typographia Regia 1644.*

invenit, & Felici addictos; ita ut magna turbatio, ac plane persecutio acta fuerit a Magistratibus adversus eos, qui non parerent Litteris Imperatoris pro Liberii restitutione exaratis. Intra Ecclesiam Clerici, & Prebyteri plures necati, quoniam Liberio communicare nollent. Tunc Felix Constantium Imperatorem tanquam Arianum condemnavit, ac legitimus Pontifex a Clero, Populoque Romano est renunciatus, & legitime sedere coepit; demum eumdem obtruncatione Capitis Martyrium consumasse in Civitate Cerae docet (p) Martyrologium, cujus ea verba = *Romae Via Aurelia S. Felicis II. Papae, & Martyris; quia Constantio Imperatore Ariano ob Catholicae Fidei defensionem e Sede sua dejectus, & Cerae in Tuscia occulte gladio necatus gloriose occubuit; ejus Corpus inde a Clericis raptum eadem Via sepultum fuit. Postea vero ad Ecclesiam Sanctorum Cosmae, & Damiani delatum, ibidem Gregorio XIII. Summo Pontifice, repertum est sub Altare una cum Reliquiis Sanctorum Martyrum Marci, Marcelliani, & Tranquillini, atque in eodem loco pridie Kalendas Augusti simul cum eis reconditum.*

Praeter injuriam huic Sanctissimo Martyri, & Pontifici Felici, silere nequimus, quod tempore Pontificis Gregorii XIII. cum quaereretur de emendatione Martyrologii, non levis tunc controversia de Felice exorta est, an expungendus esset ob vitiosum ingressum ejus in Pontificatum, vel absque Martyrii titulo relinquendus: ac demum cum inter innumeras Doctorum contrarias assertiones ejusdem Felicis causa ferme cecidisset, Dei Providentia accidit eo ipso tempore, anno quippe 1582; ut in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmae, & Damiani in Boario novo Foro sita, clam quidam Altare suffoderent ad Thesaurum reperiendum, quem acceperant ibi esse absconditum, in Arcam marmoream inciderent, in cujus altero latere S. Felicis Corpus inventum sit cum laterculo lapideo ibidem intus posito hisce litteris inscripto: (q) *Corpus S. Felicis Papae, & Martyris, qui damnavit Constantium*; quod accidit pridie ejus diei,

(p) *Martyrol. Roman. die 29. Julii cum notis Baronii*. (q) *Baron. Annal. tom. 3. ad ann. 358. pag. 604.*

diei, quo ejusdem S. Felicis Natalis dies in Ecclesia agi consuevit, scilicet quarto Kal. Augusti Anno salutis 1582; & cum ipsius S. Felicis Caussa in tanto discrimine versaretur, ut a Martyrologio haud multo post expungendus videretur, opportune ipsemet Felix visus est admiratione omnium redivivus apparuisse, per se, suam ipse caussam acturus, cum contradicentium suffragiis oppressus esset. Auctores, qui a Romanorum Pontificum Catalogo S. Felicem excludunt (r) Panvinius, & Ciacconius; qui vero non expungunt Anastasius Bibliothecarius, Viennensis Episcopus in Martyrologio suo; item Beda, & Usuardus, S. Gregorius in Antiphonario, & Sacramentario Pontificem eum agnovit; similiter Theodoretus, Platina, & Joannettus in ejus Vita, Cardinalis (s) Baronius, aliique idem quoque censent, quos refert Andreas (t) Victorellus.

Post ejusdem S. Felicis gloriosum de Constantio triumphum, ejusque Martyrium, Liberius Clericos omnes, qui partes Felicis secuti erant, ac Dignitatibus privati fuerant, iisdem eos restituens, absolvit; unumque ovile sub uno Pastore constituit: Constantius (u) vero sub specioso praetextu controversias de Fide componendi indixit Synodum Arimini, in qua vox *Substantia*, *& Consubstantialis* praetermissa est ab Arianis, ejusque loco posita est vox similis; (x) *tunc*, ut ait S. Hieronymus, *ingemuit Orbis*, *& se Arianum esse miratus est*. Liberius hanc damnat Formulam in Ariminensi Concilio statutam, ideoque ab Ecclesia iterum exturbatur, & ex Urbe expulsus delituit in Coemeteriis suburbanis Novellae, & Ostriano nuncupatis, ubi mansit usque ad obitum Constantii. In hoc secundo Liberii exilio nullum reperimus substitutum Episcopum, sed ab ipso Liberio Sanctum nostrum Damasum Presbyterum Vicarium constitutum, uti superius dictum est; quod Acta ejusdem Liberii pariter testantur,

(r) *Panvin. adnot. in Vit. S. Felicis II. ad Platin. pag. 46. Coloniae 1573. Ciaccon. tom. 1. col. 346. Concilior. tom. 3. ad ann. 357. pag. 239. Parisiis ex Typographia Regia* 1644. (s) *Baronius Annal. tom. 3. ad ann. 358. pag. 602.* (t) *Victorellus in notis ap. Ciaccon. tom. 1. col. 246. Romae 1677.* (u) *Sozomenus histor. Eccl. lib. 4. cap. 17. pag. 563. Parisiis 1668. Theodoretus histor. lib. 2. cap. 18. pag. 97. Parisiis 1673.* (x) *Baronius Annal. tom. 3. ad ann. 359. pag. 636, & 643.*

tur, ex quibus erroris arguuntur, qui Damasum dicunt ex Diacono creatum esse Pontificem. Anno tandem salutis 367. Lupicino, & Jovino Consulibus, rebus humanis excessit S. Liberius; quot annis vero sederit, plane diversae reperiuntur sententiae. Baronius *(y)* sedulo perspecta hac inter historicos dissensione, atque habita exactiori ratione, ingressu scilicet Pontificatus Liberii anno salutis 352. usque ad finem sui regiminis, quod accidit anno 367, exinde asserit eum sedisse annos quindecim. Sepultus est in Coemeterio Priscillae in Via Salaria. Inter Opera ejusdem S. Liberii, *(z)* quae in libro de Romanis Pontificibus recensentur, ad Templa excitanda, exornandaque haec habentur: *Hic fecit Basilicam nomine suo juxta Macellum Lybiae, alias Liviae;* [de Macello enim Liviano sic nuncupato in Exquiliis mentio est apud Sextum Ruffum, & Publium Victorem] ex collatis nempe impensis Joannis Patritii ea de re per visum admoniti, & miraculo confirmati, descendentibus nivibus nonis Augusti, formamque Templi monstrantibus, veluti ejusdem Basilicae monumenta vetera perhibent. Verum insignitam fuisse Ecclesiam nomine ejusdem Fundatoris, ac Liberii, vel Liberianam nuncupatam esse *(a)* Marcellinus Presbyter in libello de schismate Ursicini certam fidem facit; & aperte ostendit Abbas Paulus de Angelis in descriptione Basilicae S. Mariae Majoris de Urbe. Memoria hujus Pontificis perennavit honorificentissima, ut videre est apud (*b*) Baronium, & uti testimonium perhibet *(c)* S. Ambrosius, qui ipsum vocat Sanctae, & Beatae memoriae Virum. A Graecis item sanctissimis, atque doctissimis Viris Liberius dignis titulis honestatur; quippe *(d)* S. Basilius nominat eum Beatissimum Virum; Sanctus vero (*e*) Epiphanius Beatum; omnem siquidem maculam, quam Liberius olim exul communione Arianorum ad tempus, etsi

(y) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 367. pag. 199.* (z) *Anastasius in Vita S. Liberii ad ann. 352. pag. 27. Moguntiae 1649.* (a) *Platina cum notis Panvini in Vita S. Liberii pag. 40. Coloniae 1573.* (b) *Baronius ubi supra.* (c) *S. Ambrosii Opera tom. 2. part. 1. de Virginibus lib. 3. cap. 1. col. 173. cum notis Cong. S. Mauri. Parisiis 1690.* (d) *Basil. Epist. 263. tom. 3. pag. 466. edit. Congreg. S. Mauri.* (e) *S. Epiphanii Opera tom. 1. lib. advers. Haereses, Haeresis 75. pag. 906. Graecolatin. cum versione Petavii, Parisiis 1622.*

etſi non haereſis pravitate, contraxerat, poſteriori illa confeſſione tempore Concilii Ariminenſis prorſus deleta, atque omnino fuiſſe oblivione ſepulta communiter exiſtimatur.

Defuncto Liberio vacaſſe Sedem dies ſeptem inquit (*f*) Baronius, in ejuſque locum Damaſum fuiſſe legitime ſubrogatum die 15. Septembris conſentiunt omnes; quippe creatus decimo ſeptimo Kalendas Octobris, quae incidunt in praedictam diem, Anno ſalutis CCCLXVII. in Lucinae Baſilica, alia appellatione a S. Laurentio nuncupata, S. Damaſus, ut refertur (*g*) a Ruffino, Romae Epiſcopus ſacro, ſolemnique ritu conſecratus fuit. At electus S. Damaſus, ut Pontificatum obiret, Urſinum, quem vocant alii Urſicinum Diaconum competitorem habuit, dum alii ex parte Felicis, ex parte vero Liberii alii conarentur eligere Pontificem. Qui faverant Felici, conſtituentes maximam, ac ſaniorem partem Cleri, Populique Damaſi electioni adhaeſerunt; alteri vero Liberianae partis Urſicinum Diaconum in Baſilica Julii Pontificem renuntiant, & a Paulo Epiſcopo Tyburtino in Epiſcopum ſacrari contendunt. Exinde ita peſſimum ſchiſma, & civilis ſeditio Urbem vexare coepit, & tumultus inde adeo ingentes oborti, ut, Populo in duas factiones diviſo, caedes multorum acciderit; ſed in concertatione a parte Damaſi (*h*) partem Urſicini ſuperatam conſtat, non ſine cruentis utrimque vulneribus, ſtragibuſque patratis. Nimirum Urſicinus praelatum ſibi Damaſum iniquiſſimo ferens animo, nihil intentatum reliquit, ut eodem e ſolio deturbato, ipſe in Liberii locum ſubſtitueretur: occupata ſiquidem ab ipſo Urſicino, ejuſque fautoribus Baſilica, quae Sicinii, vel Sicinini nuncupatur, ſita in Regione quinta Urbis juxta Forum Exquilinum, non longe a Macello Liviano, cum res non ſuffragiis tantum, ſed vi, & armis tractaretur, in ipſo Templo uno die

(f) *Baronius Annal. tom. 4. ad ann. 367. pag. 200. Tillemont memoires Eccleſ. tom. 8. de S. Damaſe pag. 423. Platina Vit. Pontific. Romanor. cum notis Panvinii pag. 48. Coloniae 1573.* (g) *Ruffin. hiſtor. lib. 2. cap. 10. Baſileae 1528. Baillet vies des Saints tom. 3. xı. Decembre col. 178. Fleuri hiſtor. Eccleſ. tom. 4. lib. 16. pag. 144.* (h) *Sozomenus hiſtor. lib. 6. cap. 23. pag. 666. Pariſiis 1668.*

centum triginta septem reperta sunt cadavera peremtorum; ut scribunt (i) Ammianus, Ruffinus, pluresque alii. Nullae a Viventio Urbis Praefecto praetermissae artes, ut ambitione praecipitem Diaconum ad saniora consilia revocaret; sed eum Praefectus nec corrigere, nec mollire sufficiens fuit. Apposite ad rem hanc (k) Ammianus licet vir Ethnicus, & rerum Christianarum haud exactus explorator addit, se non mirari, si tanta contentione Romanus Episcopatus appeteretur, *cum*, uti inquit praefatus Auctor, *id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus Matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas procurantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas*. His quippe temporibus adeo Christianae Religionis, Romanorumque Pontificum decor, ac splendor effulgebat, ut non solum Ammiani, qui nimium pertinax, ac infensus orthodoxae Fidei hostis, & ubique carpens Romanam Ecclesiam, luxum (l) Romanorum Pontificum aculeo feriens mordaci deprehensus est, sed ceterorum etiam illi similium commoverit animum, atque clarissimorum Virorum, imo amplissimorum Magistratuum invidiam concitaverit. Certe Praetextatus Romanorum nobilissimus, qui in Graecia Proconsulatum gesserat, Viventio in Urbis Praefectura postea suffectus, aliisque Magistratibus auctus, qui & Consul designatus mortuus est, homo sacrilegus, & idolorum cultor solebat ludens B. Damaso dicere. *Facite me Romanae Urbis Episcopum, & ero protinus Christianus*, referente (m) Hieronymo; ex quibus plane apparet summum, & regale Christi Sacerdotium regiam pariter magnificentiam ab illo jam tempore fuisse comitatam.

De memorato Ursicini adversus Damasum schismate plura refert Marcellinus Romanus Presbyter in eo libello, quem una cum Faustino Diacono, testante (n) Baronio, obtulit Theodosio Imperatori: at cum notum sit praefatum Presbyterum Marcel-

(i) *Ammianus Marcellinus histor. cum not. Valesii lib.* 27. *cap.* 3. *pag.* 480. *Ruffin. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 250. (k) *Ammianus Marcellin. histor. lib.* 27. *cap.* 3. *pag.*480. (l) *Lindebrogius observationes in Ammian. Marcellin. l.*27. *pag.*65. *edit. apud idem in fine, Parisiis* 1681. (m) *S. Hieron. Epist. ad Pammach.*454. (n) *Baron. Annal. tom.*4. *ad ann.*367. *pag.*202.

cellinum bis fuiſſe ſchiſmaticum, praecipue quia adhaeſit primum Urſicino Pſeudopontifici, & demum Luciferianis, quis ipſum duxerit audiendum de S. Damaſo ſermocinantem, qui in alios etiam Catholicos Epiſcopos calumnioſe, atque impudenter invehit? Silentio praeterire nequimus mendacium Scriptorum aſſerentium Urſicinum primum, ac poſtea Damaſum poſt dies ſeptem electum fuiſſe Romanum Pontificem: hoc enim aperte adverſatur iis, quae tradit S. Hieronymus, qui id temporis Romae morabatur, uti refert *(o)* Baronius; & hoc ipſum teſtatur Ruffinus, qui etſi forſan tunc Romae non aderat, res tamen, quae ejus aevo evenere, conſcripſit. Quod evidentius conſtat ex Imperatorum Reſcriptis ſaepe ad Urbis Praefectos pro S. Damaſo adverſus Urſicinum datis. Urſicinus vero ſaepe damnatus, ac ſaepe indulgenter receptus, ob ſchiſmatis pertinaciam a Valentiniano Auguſto in Galliis exulare juſſus, licet animi perverſitate, & errore nihil immutatus, modeſtius egit. E vivis tamen ſublato hoc pio Imperatore, denuo omnem lapidem movit, ut e Pontificia Sede deturbato S. Damaſo, in eam ſe ipſum intruderet, uti Reſcripta Imperatorum, ſcilicet Valentiniani Junioris, Gratiani, ac Theodoſii aperiunt a *(p)* Baronio relata; ex quibus Imperatorum Reſcriptis S. Damaſus ſchiſmaticorum calumniis Urſicino adherentium impetitus agnoſcitur, & Urſicinus exilio longinquo mulctatus; quae omnia anſam praebuere Baronio ſuſpicandi falſum eſſe, quod habetur in libro de Romanis Pontificibus, quodque plures (*q*) Scriptores ſimiliter errore ducti affirmarunt, nempe ipſum Urſicinum fuiſſe poſt ſchiſma Neapoli in Campania creatum Epiſcopum, quem exilio multatum, non donatum Epiſcopatu, ſinceriora monimenta docent, cujus quidem obtenti Epiſcopatus Marcellinus ejus fautor in memorato libello Theodoſio oblato, quo ejus cauſſam proſequutus eſt, nihil memoriae reliquit; quod Baronius

C 2

(o) *Baronius Annal. tom. 4. an. 367. pag. 202. Ruffin. hiſtor. lib. 2. cap. 10. pag. 250. Baſileae 1528.* (p) *Baron. Annal. tom. 4. ad an. 381. pag. 423.* (q) *Anaſtaſius in Vita S. Damaſi pag. 29. Moguntiae 1649. Platina Vit. Pont. Roman. cum notis. Panvinii pag. 48. Coloniae 1573.*

nius eum non tacuisse existimat, si id vere accidisset. Sicque auctoritate tandem Imperatorum pestiferum hoc schisma sublatum est, ut nulla ulterius populos contentio nefanda collideret, ac perinde Pontificiis Insignibus, gestiente prae gaudio Civitate, condecoratus Damasus ea statim virtutum omnium, atque sapientiae laude praefulsit, ut ad summam Dignitatem evecto illo, omnes restitutam disciplinam, compositos mores, publicam denique felicitatem interpretarentur.

Ausi tamen sunt quidam nequam Sanctum hunc Pontificem universae Catholicae Ecclesiae consensu vita moribusque insignem, atque perspicuum, miraculis illustratum dente canino lacerare. Ex parte siquidem (r) Ursicini duo falsi testes suppositi, qui Damasum adulterii criminarentur; qua ex re coacta Romae Synodus quadraginta quatuor Episcoporum; ubi corruscante, atque probata ejus innocentia damnati fuerunt (s) Concordius, & Calistus Diaconi accusatores, & ab Ecclesia dejecti, cautumque lege est, ut deinceps poenam Talionis subeant, qui aliquem falso accusaverint, sicque occasione innocentiae S. Damasi falsi omnes delatores ubique sunt profligati.

Verum inter reliquas callidas criminationes, quas memoratus Presbyter Marcellinus in S. Damasum excogitat, saevissimum in primis, ait, fuisse hominem, multarumque caedium immaniter patratarum crimen eidem obiicit, & ab eo concitatos esse ad dissidia insectatores Ursicini perfricta fronte affirmat. At falsa haec ab eodem Marcellino sycophanta inventa labefactat, ac repellit S. Hieronymus, qui ut dictum est, praesens tunc Romae aderat; cui (t) Ruffinus assentitur inquiens: *Damasus post Liberium per successionem Sacerdotium in Urbe Romae susceperat, quem praelatum sibi non ferens Ursicinus quidem ejusdem Ecclesiae Diaconus in tantum furoris erupit, ut collecta turbulentorum, & seditiosorum hominum manu, in Basilica, quae Sicinini appellatur, Episcopum se fieri extorqueret, legibus, ordine, traditione perversis, ut replerentur humano*

mano

(r) *Baron. ad ann. 367. tom. 4. pag. 203.* (s) *Honuphrius Panvinius ad Platin. pag. 49. in Vita S. Damasi Coloniae 1573.* (t) *Ruffin. lib. 2. cap. 10. pag. 250.*

mano sanguine orationum loca. Tumultus igitur, & caedes obortae non a Damaso excitatae, sed ab Urſicino ſchiſmatico patratae; quod quidem Cardinalis item (*u*) Baronius oſtendit, ac teſtatur Ciacconius. Eximias ſimiliter S. Damaſi virtutes commendat S. Ambroſius; ſcribens enim ad Valentinianum haec habet: *Damaſus Romanae Eccleſiae Sacerdos judicio Dei electus*. Porro egregiam animi manſuetudinem ejuſdem S. Damaſi teſtatur S. Hieronymus, (*x*) qui tunc in Urbe erudiebatur Rhetoricis diſciplinis; Unde ad amicum ſcribens, in fine haec inquit de Damaſo: *Romanum Epiſcopum jam pene factionis laqueis irretitum, & viciſſe adverſarios, & non nocuiſſe ſuperatis*. Idem (*y*) S. Hieronymus ad Pammachium ſcribens, virginem, Eccleſiaeque doctorem appellat. Ejuſdem etiam ſententiae ſunt Graeci, (*z*) qui mores eximios, ac puriſſimos S. Damaſi ubique laudibus evehunt; & Antiqui omnes, qui magnis ipſum extollunt praeconiis; & vero meruit S. Damaſus, quamvis ſchiſmaticorum calumniis impetitus, praeclaris Conciliorum, Patrum Graecorum, & Latinorum, atque Imperatorum elogiis decorari.

CA-

(u) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 367. pag. 203. Ciaccon. Vit. Pontif. & Card. ad ann. 367. col. 250. S. Ambroſii Opera cum notis Congreg. S. Mauri tom. 2. part. 5. Epiſt. 17. col. 826.* (x) *S. Hieronymus Epiſt. 49. ad Innocentium de muliere ſepties icta tom. 1. pag. 240. Pariſiis 1643.* (y) *Idem Epiſt. 50. pag. 387.* (z) *Theodoretus hiſtor. G. L. Valeſio interprete lib. 2. cap. 19. pag. 102. Socratis hiſtor. G. L. Valeſio interprete lib. 4. cap. 27. pag. 242. Sozomenus hiſtor. G. L. Valeſ. interprete lib. 6. cap. 23. pag. 666.*

CAPUT. IV.

Acta S. Damasi primo Pontificatus decennio ordine Chronologico digesta. Concilium Romae duplex; aliud Valentiae coactum. Orientalis Ecclesia ab Arianis exagitata.

POst susceptam Apostolici muneris curam S. Damasus in id sollicitudinem omnem intendit, ut gravissima inter Orthodoxos de Fide Catholica exorta dissidia, quae in exitiales, diuturnasque eruperunt haereses, extingueret. Ursicinus enim, veluti fax, & turbo a nova in Romano Clero contra Damasum suscitando seditionis incendia non desistebat. Quamobrem anno 368. quamquam Praetextati Urbis Praefecti auctoritate expulsus fuerit, sicque Romae schisma sublatum esse videretur, nihilominus, Olibrio viro clarissimo Urbanam Praefecturam gerente, novae turbae a seditiosis Ursicini Asseclis excitatae sunt. Itaque factiosi homines novo Principis Rescripto intra vigesimum ab Urbe lapidem conventus agere vetiti, & non parentes gravi mulcta coerciti sunt.

Anno salutis 369. Pontificatus Damasi tertio, adversus Auxentium haereticum Arianum, qui Illyricos (a) Episcopos maxima ex parte seduxerat, indictum S. Damasi jussu Romae Concilium est nonaginta Episcoporum ex Italia, Galliaque collectorum, in quo idem Auxentius invasor Mediolanensis Ecclesiae, ejusque socii, ac sectatores damnantur. Neque enim moror Antoninum (b) Pagium, qui criticae in Baronii Annalibus, anno Pontificatus Damasi primo, salutis 366. exeunte, vel ineunte 367. eam Synodum coactam fuisse scribit, nec non adversus Valentem, & Ursacium. Egregia siquidem tunc navata opera a S. Pontifice Damaso, ne lethale virus Auxentii latius serperet, a Scriptoribus graecis, & latinis narrantur.

Anno

(a) *Baron. Annal. ad ann. 369. tom. 4. pag. 222.* (b) *Pagi critica in universis Baronii Annalib. tom. 1. ad ann. 366. pag. 517.*

Anno 370, Pontificatus S. Damaſi quarto, Valens (c) Gothico perfunctus bello diram in Catholicos Antiſtites perſecutionem commovit. Is quippe a Valentiniano fratre ad Imperium aſſumtus, ac Orienti Praepoſitus, bellum adverſus Gothos, qui Thraciam pervaſerant, aggreſſurus, antequam huic ſe bello implicaret, ſacro Baptiſmate initiari voluit, quod ab Eudoxio Ariano, qui Bizantii Sedem invaſerat, ſuſcepit; a quo Arianam perfidiam edoctus jurejurando ſe adſtrinxit in ea Fide permanſurum; adverſae vero Fidei ſectatores omni ope ad ſuſceptum a ſe dogma impulſurum: quamobrem poſt expeditionem hanc in Orthodoxos invehere coepit. Sanctus vero Damaſus (d) Catholicorum apud Orientem miſertus, Zenobium, qui poſtea Florentiae Epiſcopus creatus, Conſtantinopolim mittit. Hic, patratis etiam miraculis, omnibus vexatis Civibus opem contulit; & ad Damaſum poſtea reverſus, majoris id molis opus eſſe teſtatus eſt, (e) quam ut obita a ſe Legatione poſſet abſolvi.

Hoc eodem vertente anno lata ab Auguſtis altera lex eſt in Clericos, & Monachos, pro cujus dilucidatione conſentaneum arbitramur referre originem ſimultatum Damaſum inter, & partem Cleri Romani, quae ea de cauſſa ad partes Urſicini declinavit, quod Damaſus (f) Sanctorum Patrum inſtituta ſecutus, ſeveriorem diſciplinam in Eccleſia Romana ſervari voluerit. Nonnulli enim Eccleſiaſticorum vitae commoda, & ſaecularium commercia ſectantes aegre tulerunt rigorem, quo diſtricte juſſit legem Imperatorum Valentiniani, Valentis, & Gratiani emanatam menſe Julii anno 370. obſervari adamuſſim; qua utique lege non modo inhibitum fuit Eccleſiaſticis coelibatum profitentibus, nempe (g) Religioſis, & Monachis Aſceteriis adſtrictis frequentare domos Viduarum, Virginum ſolitariam vitam degentium, aliarumve, quae eſſent orbatae Parentibus,

(c) *Sozomenus hiſtor. lib. 6. cap. 12, & 13. pag. 553. Nicephorus hiſtor. lib. 11. cap. 6. 7. 9. 17, & 18. Pariſiis 1668.* (d) *Surius in Vit. Sanctor. tom. 3. die 25. Maii pag. 389. Coloniae 1572.* (e) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 370. pag. 246.* (f) *Baillet Vies des Saints tom. 3. xi. Decembre col. 178.* (g) *Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. leg. 20. cum Commentar. Jacobi Gothofredi pag. 48. Edition. Lugdun. 1665.*

tibus, verum etiam amicis, & proximis ejuſcemodi perſonarum data facultas deferendi ad forum judiciale, ſeu ſaeculare accedentes. Inſuper eadem lege cautum fuit, ne praefati Eccleſiaſtici obtentu directionis ſpiritualis, vel alterius cauſſae Religionis, quidpiam percipere valeant de Viduarum bonis, aut a foeminis ſpirituali eorum curae commiſſis; idque vi teſtamenti, aut quacumque *(h)* donationis ſpecie, niſi ad eos jure ſanguinis alioquin ſpectarent.

Hanc legem S. Damaſo adnitente, fuiſſe ſancitam conjicere licet eo quod Romae in Eccleſiis lecta perhibetur quarto Kalendas Auguſti, Imperatoribus Valentiniano, & Valente Tertio Auguſtis Conſulibus; quinimmo non pauci cenſent iccirco S. Pontifice Damaſo Interceſſore fuiſſe prolatam, ut poteſtate ſaeculari fretus, aliquorum Eccleſiaſticorum inexplebilem coerceret avaritiam, qui lucri, & divitiarum gratia, more quaſi aulico, praecipuae notae foeminis, ac Matronis famulitium praeſtabant; ac eo pariter animo, ut probaret ipſe, quantum ab omni avaritiae ſuſpicione alienus eſſet, neque hujuſmodi lucra, nec rerum Terrenarum fluxa ambiret. Quaeruntur ſane *(i)* Hieronymus, atque Ambroſius non de hac lege, cum providam, ſeveramque cautionem avaritiae refrenandae agnoſcerent neceſſariam, ſed de legis cauſſa, ſcilicet de illorum aucupandarum divitiarum cupiditate, quorum culpa omni aevo durum admodum, & grave factum eſt, ut totus ordo traducatur.

Ex citatis Hieronymi, & Ambroſii Epiſtolis eruitur in Dei Eccleſia Miniſtros ſemper extitiſſe, quorum alii mundo inhaerentes fluxa, & caduca bona avide curarent, alii vero Eccleſiaſtico repleti ſpiritu eadem negligerent prorſus, ac ſpernerent. Utinam vero hoc tempore Eccleſiaſtici inter ordinis Miniſtros praeclarus admodum Deo vere famulantium numerus haberetur, qui aeternis aſſidue inhiantes ſola animarum lucra quaererent, nec quaeſtuoſam praeferrent Dei ſervitutem. Cum autem hujuſ-

---

(h) *Fleuri biſtor. Eccl. tom. 4. lib. 16. pag. 156.* (i) *Hieronymus Epiſt. 2. ad Nepotianum de Vit. Cler. & Sacerdot. tom. 1. pag. 9. S. Ambroſius tom. 2. Epiſt. 31. cum notis Cong. S. Mauri.*

hujusmodi lex aliquorum reprimendae cupiditati, & avaritiae non proficeret, ceterisque Dei Ministris esset contumeliosa, Catholico enim Clero prohibitum erat, quod Gentilium Sacerdotibus permissum, ut queritur S. Hieronymus (k) ibi: *Sacerdotes Idolorum, Mimi, & Aurigae, & Scorta haereditates capiunt: solis Clericis, ac Monachis hac lege prohibentur*. Concordatque S. Ambrosius, (l) dum inquit: *Quod Sacerdotibus Fani legaverit Christiana Vidua valet, quod Ministris Dei, non valet*. Hinc est quod ad tantum Ecclesiasticae Hierarchiae dedecus submovendum Imperator Marcianus peculiari sua Constitutione hanc legem duxerit abrogandam, prout in ejusdem Imperatoris (*m*) Novella videre est.

Anno Christi 371, Pontificatus S. Damasi quinto, Gratiano iterum, & Anicio Petronio Probo Consulibus, Ampelio vero Urbis Praefecto, Vicario autem Maximino, duplex trium Augustorum ad eos emanavit Rescriptum hoc eodem anno de Ursicini, qui in Galliam fuerat relegatus, revocatione, vetito nihilominus ad Urbem, ac Suburbicanas, ut verba se habent Rescripti, Regiones accessu. Adversus maleficos Senatores item rescriptum est, qui Maximino Judicum severissimo, investigandi, puniendique sunt traditi.

Ceterum hoc anno persecutio omnium gravissima, atque acerbissima ab Arianis inflicta Orientali Ecclesiae; percutiuntur quippe Pastores, ait Basilius, ut greges dispergantur. In tam gravi Ecclesiae discrimine S. Damasus consolatus est saepe suis literis Orientales, ut idem Basilius testatur apud (*n*) Baronium, inquiens: *Tantum cuique vestrum Dominus Deus noster, in quem speravimus, largiatur gratiae, ut proposita spe potiamini, quanto ipsi gaudio pectora nostra replestis tunc per literas, quas per desideratissimos Sympresbyteros nostros scripsistis, tum ex eo, quod calamitatibus nostris, tamquam viscera commiserationis induti, condoletis, quemadmodum nobis praedicti fratres indicarunt, nam etsi vulnera nostra eodem modo perse-*

(k) *Hieronymus Oper. tom. 1. Epist. 2. ad Nepotianum pag. 9. Parisiis 1643.* (l) *Ambros. Oper. tom. 2. Epist. 31. cum not. Congreg. S. Mauri.* (m) *Cod. Theodos. Novell. lib. 3. tit. 5. de Testamen. Cleric. pag.* (n) *Baron. tom. 4. pag. 281.*

verant, nonnihil tamen inde relevamur, quod paratos habemus Medicos, qui velocem, ac maturam possunt, si detur opportunitas, doloribus nostris afferre medelam. Haec S. Basilius.

Adjumento, & praesidio siquidem maximo tunc fuit S. Damasus Romanus Pontifex Orientali Ecclesiae. Acceptis enim ab Athanasio, ac Basilio Legatis, sollicite, & paterne ad hos rescripsit, collaudata eorum opera, ac Orientalium Ecclesiarum fere omnium sollicitudine. Certum nimirum est, Sanctorum Damasi, Athanasii, ac Basilii opera factum, ne Catholica omnino Fides apud Orientem pessum iret. Hallucinationibus tamen, & fucis Ecclesiae hostium accidit, ut S. Basilius calumniis appetitus apud quamplures Catholicos, ipsumque adeo S. Damasum in suspicionem quamdam venerit initae cum Haereticis societatis. Item cum Gregorio Nazianzeno amicissimo Basilii, quem socium habuerat, curaeque pastoralis participem effecerat in regimine Ecclesiae Caesareae in Cappadocia, dum ipse invitus Episcopus est renunciatus, orta est contentio; quibus vero ex caussis haec omnia acciderint, ex Basilii ipsius literis, aliisque documentis fuse admodum a (*o*) Baronio traditis addiscenda relinquimus.

Per idem tempus S. Eusebius Vercellensis Episcopus celeberrimus, nonagenario proximus, Martyrii titulo jure insignitus; quippe qui non modo exsilio, aliisque aerumnis Fidei caussa vexatus, sed ad Tribunalia evocatus, atque deductus, per scalas tractus, illiso in eas capite, (*p*) sanguinem fuderit. Ceterum Valentinianus Symmachi artibus haud dubie, ac fraude irretitus multa indulsit Ethnicis; illud in primis, ut Aruspicinam, dummodo sine Magiae scelere, licite exercerent. Extat ea de re Sanctio Christiano Principe plane indigna.

Novo interim oboriente anno, scilicet salutis 372, Damasi Pontificatus sexto, S. Athanasius, qui Ecclesiam (*q*) Alexandriae per quadraginta amplius annos Episcopus rexerat, vitae exi-

(o) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 371. pag. 286.* (p) *Cod. Theod. l. 9. de Malef. & Mag.* (q) *Theodoretus lib. 4. cap. 20. pag. 178. Ruffinus lib. 2. cap. 11. pag. 250. Basileae. 1528. Socrates lib. 4. cap. 21, & 22. pag. 230. Sozomenus lib. 6. cap. 19. pag. 661.*

exitum ſortitus eſt; quo vita functo, illius calculo a Catholicis Petrus ejuſdem Eccleſiae Presbyter, aetate ſenex, virtutibus clarus ſubrogatur; Ariani vero Lucium in Sede Alexandrina obtrudunt. Petrus Praeſidis mandato juſſus excedere, Romam ad S. Damaſum contendit. Tunc ſecutae ſunt Alexandriae ab Arianis caedes, vincula, proſcriptiones; tum a Gentilibus ſacrarum Aedium contemtus, profanationes, incendia, & quaeque alia Gregorius Nazianzenus deplorat, & Petrus extorris encyclica ad Orthodoxos Epiſtola exhibet miſeranda. Neque intra Alexandriae fines Tyrannica Lucii ſubſtitit vexatio, verum ad univerſum Aegyptum, ac Thebaidem ſe extendit, & ad ipſa opaca Monachorum ſepta pervaſit.

Ceterum dum Valens, ejuſque Aſſeclae rectam Fidem pro viribus deprimere, &, ſi fas, delere contendunt, illam Deus laetius effloreſcere, latiuſque propagari jubet; eam profecto ob cauſſam, ut oſtenderet Eccleſiae Navim vexari quidem, ſed labefactari, mergique non poſſe; eidemque S. Damaſum praefecit, quo ad clavum aſſidente, periclitari illa neutiquam paveſceret. Inter plurimos vero, quos ab errorum tenebris ad ſanae doctrinae lucem perduxit (r) Sanctus Pontifex, praecipuum in modum referenda eſt, ut hoc ipſo anno a Sacris Hiſtoricis traditur, Mavia Saracenorum Regina, quae Chriſtianam Religionem amplexa eſt, eamque recipi a ſubditis ſibi populis curavit.

Quo item anno obiiſſe Hilarionem ex Eremi cultoribus celeberrimum Auctor eſt S. Hieronymus, qui illius Vitam perſcripſit, teſtatus eam prius non tam hiſtorice, quam encomiaſtice deſcriptam ab Epiphanio, cui cum ipſo Hilarione neceſſitudo arctior interceſſerat.

Anno poſtea reparatae ſalutis 373, Sanctus noſter Damaſus, Pontificatus ejus ſeptimo, Valentiniani, & Valentis Imperatorum decimo, Romae Concilium cogi juſſit adverſus Apollina-

(r) *Ruffinus lib. 2. cap. 6. pag. 250. Socrates lib. 4. cap. 36. pag. 253. Sozomenus lib. 6. cap. 38. pag. 699. Theodoretus lib. 4. cap. 23. pag. 186.*

rem Haeresiarcham, & ejus sectatores, in quo aliae pariter grassantes in Oriente haereses cum Apollinari, ejusque Discipulo Timotheo damnatae sunt. Reiterantur quoque damnationes Haeresum Arii, Sabellii, Macedonii, Eunomii, & Photini, quos omnes recitat (*s*) Theodoretus. Excommunicati item fuere a S. Damaso omnes, sive adhuc viventes, sive defuncti, qui Nicaenam Sacrosanctam Fidem violassent; & una potissimum cum ipsis omnia eorumdem Haeresum capita profligata fuerunt simul cum erroribus Millenariorum, quos Apollinaris renovare conatus est. Verum etsi Acta hujus Concilii exciderint, ex Theodoreto, ac aliis, (*t*) Baronius res in eo gestas refert.

Haec tamen non satis esse visa sunt Basilio ad Orientalis Ecclesiae statum erigendum: quamobrem cum S. Damasi auxilium saepius jam antea implorasset, rursus ad eum, ac reliquos Occidentales Episcopos scribit. Basilii (*u*) votum erat, ut viri pietate, ac prudentia conspicui legati mitterentur, qui vexatos Orientales ad tolerantiam, & ad certamen hortarentur, nutantes in Fide confirmarent, ac spem pristinae tranquillitatis excitarent.

Novus annus, sera quamvis Auxentii (*x*) morte, Ambrosii electione non Mediolano tantum, sed Italiae universae optatissimus subiit, quo Ariana detersa labe, Ecclesiae Occidentalis facies nitidior deinceps apparuit. At hic non est exquirenda admirabilis electio ejusdem Ambrosii, cum satis superque nota sit, verum de hoc Praesule Sanctissimo verba fari locus opportunior erit, ubi de Ecclesiis huic nostrae Basilicae obnoxiis, ac praesertim de Ecclesia S. Mariae de Ambrosio, vel de Maxima, ubi prius extitit domus paterna S. Ambrosii.

Auctoritate pariter S. Damasi Concilium Valentinum celebratum est in Gallia, anno nempe Redemptionis 374, Damasi Pontificatus octavo, Imperatorum vero Valentiniani, & Valentis

(s) *Theodoretus in Epist. ad Paulinum lib. 5. cap. 11. pag. 213. Sozomenus lib. 6. cap. 23. pag. 670.* (t) *Baronius Annal. tom. 4. ad ann. 373. pag. 349.* (u) *Basilius Epist. 1. in addit.* (x) *Socratis histor. Eccles. G.L. Henrico Valesio interprete lib. 4. cap. 30. pag. 247.*

tis undecimo, quarto Idus Julii, in quo de Ordinationibus legitime peragendis, deque lapſorum poenitentia decretum eſt, teſtante (y) Baronio. Dignum plane videtur hic memorare quid ſtatuerint Patres ulterius in hoc Concilio ſuper his, qui oblati Sacerdotii occaſione fungendi, aliquod admiſiſſe delictum confeſſi eſſent. En verba ejuſdem Concilii, cujus quatuor non amplius extant Canones, & perbrevis Epiſtola de Ordinationibus legitime faciendis, ex qua haec deprompſimus: *(z) Licet non ignoremus multos verecundia, & nonnullos horrore ſuſcipiendi Sacerdotii, & ut trepidos, quae ſigna ſunt ſanctitatis, falſa in ſe rejiciendi honoris cauſſa dixiſſe, tamen quia omnium fere ad ea, quae ſunt pejora, proclive judicium eſt; & hinc materies diſputationum in obtrectatione Sacerdotum Dei quaeritur, placuit, ut quiſquis de ſe, vel vera, vel falſa dixiſſet, fides quam ſuimet teſtimonio confirmaret, haberetur.*

Anno a Chriſto nato 375, Pontificatus S. Damaſi nono, Valentinianus in Quados Exercitum ducens, dum eorum Legatos audit, inque eos vehementius exardeſcit, vi ſanguinis erumpente extinguitur; quo ſublato, Valens plus aliquid ſibi licere deinceps ratus, ad priſtinam Catholicorum vexationem illud addere in animum induxit, ut Monachos, eo ocio veluti Reipublicae *(a)* minus proficuos, ad militiam adigeret. Quamobrem miſſis in Aegypti, ac Syriae ſolitudines militibus, caeleſtem in terris vitam agentes Viros innoxios inde abſtrahi juſſit, renuentes, ut fuſtibus caederentur ad mortem uſque imperavit. Porro quae tum ſcelera a militibus patrata, quae vis adhibita, quae caedes peractae facilius eſt, mente concipere, quam ſcribendo ſtylo perſequi.

Novo interim ſuboriente anno ſalutis 376, S. Damaſi Pontificatus decimo, S. Hieronymus in Oriente multis pro Fide aerumnis graviter eſt perculſus; cum enim ſciſſa eſſet ſchiſmate Eccleſia Antiochena, totaque illa Provincia, & ipſe pariter cogeretur alteri ſaltem partium inhaerere, vel Paulino, vel Me-

(y) *Baronius Annal. tom. 4. ad ann. 374. pag. 365.* (z) *Concil. General. l'Abbei, & Caſſartii Epiſt. Concilii Valent. ad For. Jul. tom. 2. ad ann. 374. pag. 904.* (a) *Sozomenus hiſtor. lib. 6. cap. 35. pag. 693.*

Meletio, Orthodoxis Episcopis, etsi collitigantibus, vel demum Vitali haeresis Apollinaris veluti fautori traducto, pluribus exinde circumventus angustiis, quid acturus esset consuluit Romanum Pontificem Damasum, veluti ejusdem S. Hieronymi Epistolae demonstrant, ubi haec habentur: (*b*) *Ita me incessabilis inimicus post tergum secutus est, ut majora in solitudine bella nunc patiar: hinc enim praesidiis fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito, si quis Cathedrae Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi haerere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Iccirco obtestor Beatitudinem tuam per Crucem Domini, per necessarium Fidei nostrae decus, per Passionem Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito: ita in Solio cum Duodecim judicaturus sedeas: ita te alius senem cum Petro cingat; ita municipatum Caeli cum Paulo consequaris, ut mihi literis tuis apud quem in Syria debeam communicare significes: noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.* Haec ad Damasum Hieronymus.

Responsum vero Sancti nostri Pontificis, tametsi amplius ejus Epistolae non extent, constat tamen fuisse, ut cum Paulino communicaret. (*c*) Id potissimum nobis manifestum apparet, quoniam idem S Hieronymus ab eodem Paulino Presbyter est ordinatus. Rursus vero ex his, quae S. Basilius ad Terentium scribit, liquet S Damasum S. Hieronymo, ac reliquis Orientalibus pro Paulino se declarasse: nihilominus non sic exclusus Meletius, ac Paulinus acceptus videtur, ut primo communicantes anathematis damnatione ferirentur; immo nec Meletius unquam sententia Damasi fuit excommunicatus, utpote Vir Catholicus probe notus, ac de Catholica Fide optime meritus; exinde inter Meletium, & Paulinum amicabilis concordia paullo post intercessit, assentiente Romano Pontifice Damaso, ipsamque ratam habente, ut apud (*d*) Socratem, Sozomenum, aliosque sacros Scriptores videre est. CA-

(b) S. *Hieronym. Epist.* 57, & 58. *ad Damasum tom.* 1. *pag.* 417, & *pag.* 420. *Parisiis* 1643. (c) *Baronius Annal. tom.* 4. *ad ann.* 372. *pag.* 327. *Romae* 1602. (d) *Socratis histor. lib.* 5. *cap.* 5. *pag.* 260. *Sozomen. lib.* 7. *cap.* 3. *pag.* 706.

CAPUT V.

Valentis Imperatoris infoelix obitus. Gratianus cum Valentiniano, & Theodosio, intento S. Damasi studio, rem Catholicam restituunt. S. Hieronymus mire ab Haereticis divexatus.

ANno postea 377. Valens Imperator accepta immensa clade, illata Romano Exercitui sub Lupicino, funestaque a Gothis in Thracia facta depopulatione, tunc inquit Socrates: *(e) Destitit ab illis in exilium mittendis, qui Verbi consubstantialis Fidem amplexabantur: Antiochia cito digressus est Constantinopolim petiturus.* Sed melius S. Hieronymus. *(f) Valens de Antiochia exire compulsus est; sera poenitentia nostros de exiliis revocat.* Omnes vero, qui ubique persecutionis tempestate jactabantur, summopere recreati sunt, sed Alexandriae potissimum; Petrus namque Patriarcha, ut supra dictum est, a sua Alexandrina Sede depulsus, ejusque in locum Valentis Imperatoris ope suffecto Lucio, (g) Romam petens apud S. Damasum se receperat; unde cum literis Damasi, qui ejus confirmabat electionem, revertens, a populo Alexandrino Pontificiis permoto scriptis reverenter excipitur, propriaeque Sedi, expulso Lucio, restituitur. Ex quibus sapienter observatione dignum existimat Baronius *(h)* colligere, quam maxima semper in Romano Pontifice extiterit auctoritas, cujus, ut hic auctor ait, arbitrio Alexandrinae Ecclesiae primae Sedis post Romam, Episcopus in sua Sede reconstituitur; (*i*) quem ejusdem auctoritate redeuntem, contempto Valentis imperio, immo tyrannica potestate, populus in sua Cathedra collocat, ejecto ejusdem Sedis turpissimo

(e) *Socrates histor. lib. 4. cap. 38. pag. 255.* (f) *Hieronym. Oper. tom. 8. col. 818. in Chronic. edition. Veronensis.* (g) *Socrates lib. 4. cap. 37. pag. 254. Sozomenus histor. lib. 6. cap. 39. pag. 702. Parisiis 1668. Ammian. Marcell. histor. lib. 31. pag. 503. cum notis Valesii.* (h) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 377. pag. 377.* (i) *Ruffin. histor. lib. 2. cap. 13. pag. 270. Socratis histor. G. L. Henrico Valesio interprete lib. 4. cap. 38. pag. 255. Sozomenus histor. Valesio interprete G. L. lib. 6. cap. 4. pag. 703. Theodoretus histor. Valesio interprete lib. 4. cap. 36. pag. 195.*

ſimo invaſore. Valens autem Imperator in dira Clade a Gothis in Thracia inflicta cum ſagitta percuſſus, & in fugam converſus nimium ob dolorem ſaepe equo laberetur, ad cujuſdam villae caſam deportatus eſt, ſed a Barbaris incenſa domo, unus e feneſtra elapſus ardere intus Imperatorem nunciavit, qui exinde ſepultura quoque caruit: ſicque extincto Catholicae Fidei hoſte pertinaci, irrita tunc reddita ſunt ejus pro Ariana haereſi ſaepe conſtituta *(k)* Edicta. Interim Gratianus una cum fratre Valentiniano univerſum Romanum Imperium adeptus Edictum pro Catholicis, ac legem adverſus Arianos, Manichaeos, Photinianos, & Eunomianos ſancivit, referente (*l*) Sozomeno, de qua quidem lege haec habet Theodoretus: (*m*) *Conſcripſit legem, qua jubebat, tum Paſtores ejectos in exilium redire, ſuiſque Gregibus reſtitui, tum Sanctas Eccleſias tradi iis, qui Damaſi communionem amplexarentur. Hic Damaſus Epiſcopus Romanus fuit, in illius Eccleſiae adminiſtratione ſucceſſor Liberii, Vir ſane propter vitae praeſtabilis ornamenta inſignis, qui quoad ejus fieri poterat, doctrinam Apoſtolicam tutatus eſt*. Haec Theodoretus. Ex memorata Gratiani Imperatoris lege conjicere licet, quam ſcite, atque prudenter in tam gravi, ac maxima haereticorum, atque diverſarum haereſum colluvie noverit ſapientiſſimus hic Imperator, una data teſſera, ac quidem inſigni documento, Catholicos ab haereticis diſtinguere, nempe communicatione cum S. Damaſo Romano Pontifice, ex more ſcilicet illos dumtaxat Orthodoxos eſſe exiſtimans, quibus tali edito ſigno verae, & ſolidae Fidei *(n)* comprobatis, tuto committendae forent Eccleſiae. Qui igitur Gratiani ſanctione ad ſuas redire Sedes Epiſcopi, unanimi conſpiratione, mutuoque conſenſu Antiochiae convenerunt, ibique Concilium coegerunt, ut proſtratae Orientali Eccleſiae paribus votis conſulentes, ſuppetiaſque praebentes, quid agendum eſſet decernerent. Teſtatur id in primis Nyſſenus, qui huic Concilio ſe interfuiſſe ſcribit; quod accidit anno reparatae ſalutis 378, quo adve-

(k) *Cod. Theodoſ. L. 24. de Epiſc. & Cler.* (l) *Sozomen. l. 7. cap. 1. pag. 704. Theodoretus hiſtor. lib. 5. cap. 2. pag. 199.* (m) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 378. pag. 393.*

adveniente anno, ipſis Januarii Kalendis Magnus Baſilius ad Superos evolavit. Funebri eum laudatione exornarunt celeberrimi Patres, nempe Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus ipſius Baſilii frater, ac S. Ephrem, qui uno ſuperſtes menſe Kalendis Februarii Baſilium ſecutus eſt, quod in ipſa laudatione precatus fuerat. Hoc eodem vertente anno eaſdem prorſus calumnias, quas paſſi ſunt Paulinus, Meletius, aliique Catholici Viri, pati etiam cogitur S. Hieronymus in Syriae ſolitudine degens apud Chalcidem in Eremo, ex eo quod communicaret cum eodem Paulino, ut ipſe narrat his verbis: (n) *Haereticus vocor Homouſion praedicans Trinitatem, Sabellianae impietatis arguor, tres ſubſiſtentes, veras, integras, perfectaſque perſonas indefeſſa voce pronuncians. Si ab Arianis, merito: ſi ab Orthodoxis, qui hujuſmodi arguunt Fidem, Orthodoxi eſſe deſierunt, aut, ſi eis placet, haereticum me cum Occidente, haereticum me cum Aegypto, hoc eſt cum Damaſo, Petroque condemnent. Quid unum hominem, exceptis ſociis, criminantur? Si rivus tenuiter fluit, non eſt alvei culpa, ſed fontis.* Haec iccirco S. Hieronymus, quod cum S. Damaſo, Petro Alexandrino Epiſcopo, atque cum tota Eccleſia Occidentali dicere mallet tres in Trinitate perſonas, quam hypoſthaſes, ut videre eſt in aliis ejuſdem Sancti Epiſtolis ad Damaſum: quae quidem hic recenſere de S. Hieronymo operae pretium duximus, ut ex his colligere fas ſit, qua reverentia ab omnibus etiam ſchiſmaticis, atque malignis, & damnatis hominibus coleretur S. Damaſus Romanus Pontifex; cum etſi Paulinum, & Hieronymum Sabellianae haereſis inſimularent, adverſus tamen Damaſum, ex cujus hi ore pendebant, nequaquam auſi ſint vel leviſſime contrahiſcere. Porro S. Hieronymus ſic exagitatus, plane ex Divina Providentia evenit pro utilitate, ac decore Catholicae Eccleſiae; quippe ea de cauſſa, licet invitus de Eremo ſeceſſit: unde factum eſt, veluti eleganter ait Baronius, (o) *ut ſub modii anguſtia, lucerna latens, ſuper candelabrum in Eccleſiae amplitudi-*

E

(n) S. *Hieronym. Epiſt.* 77. *Marco Praesbytero tom.* 1. *pag.* 607. *Pariſiis* 1643.
(o) *Baron. Annal. tom.* 4. *ad ann.* 378. *pag.* 403.

tudine collocata, longe, lateque splendoris sui radiis effulgeret.

Anno Christi 379, Pontificatus Damasi decimo tertio, Gratianus Augustus die 15. Januarii Sirmii agens, comitiis ibi habitis, strenuum Ducem collegam assumit, nimirum creat in locum Valentis Imperatoris defuncti anno praecedenti quinto Idus Augusti, Theodosium Hispanum patria Italicensem, qui afflante caelesti Numine, ob egregias animi, & corporis virtutes Orientalis Imperii, annum agens aetatis trigesimum tertium, Imperator eligitur. Unus hic inter tot, tantosque Imperatores inventus juxta sensum (*p*) Claudiani, qui non quaesierit purpuram, sed ipse quaesitus sit ab ea, & solus meruerit regnare rogatus. Laudatur maxime ea ex electione Gratianus, quam non tam sui, quam Reipublicae rationem habuerit, partitus & antea cum fratre Orbis Imperium. Idem Theodosius (*q*) Imperator anno Domini 380, Damasi Pontificatus decimo quarto, Thessalonicam perveniens in morbum incidit adhuc Cathecumenus, & cum sacro lavacro flagraret ablui, ab Episcopo Thessalonicensi (*r*) Catholico, nomine Ascholio Baptismalibus aquis lustratus, a morbo exinde convaluit. Tunc vere auream sanctionem edidit in gratiam Orthodoxae Fidei, qua Collegarum etiam auctoritate Arianorum haeresim jugulavit, vesanos illos, dementesque appellans, atque (*s*) Catholicam Fidem, sinceramque de sacrosancta Trinitate doctrinam a Petro Apostolo traditam, per successores ad Damasum usque propagatam custodiri jussit, inquiens, in ea se Religione versari, quam B Petrus tradidisset Romanis, & Pontifex Damasus secundum Apostolicam disciplinam, ac Evangelicam doctrinam sequeretur.

CA-

(p) *Claudian. de 4. Consul. Honorii cum notis Heinsii, & Varior. pag. 175. vers. 45. Amstelodam. 1665.* (q) *Socratis histor. lib. 5. cap. 6. pag. 262.* (r) *Codex Theodos. lib. 2. de Fide Catholica.* (s) *Baronius Annal. tom. 4. ad ann. 380. pag. 415.*

CAPUT VI.

Concilium II. Oecumenicum a S. Damaso Constantinopoli coactum. De Symbolo, ejusque ad Missam recitatione, & expositione; ac de alia Romae Synodo.

ANno Christi 381, Pontificatus Damasi decimo quinto, Imperii Theodosii tertio, coacta est mense Majo Constantinopoli Synodus centum quadraginta Episcoporum, praecepto, & auctoritate Damasi, (t) literisque Theodosii: in qua, praeter Nicaeni primi in Orbe Oecumenici Concilii confirmationem, ejusdemque Fidei Nicaenae corroborationem, statutum est cui Constantinopolitana Sedes designaretur; damnatus pariter Macedonius, & Fides Orthodoxa de Spiritu Sancto stabilita; damnatae item sunt haereses Arii, Eunomii, Sabelii, Marcellini, & Apollinaris.

De Praeside vero hujus Concilii haeretici affirmant, neque Romanum (u) Pontificem, neque ullos ejus Legatos praepositos fuisse, sed tantum Nectarium Episcopum Constantinopolitanum eidem praefuisse. Hujus erroris detegendi caussa sat erit observare, Nectarium nondum Episcopum fuisse, neque ullo Ecclesiastico Ordine insignitum, cum inchoatum est Concilium; satis enim superque constat firmissimo omnium probatae fidei scriptorum testimonio, atque ab Oratione ejusdem Gregorii coram centum quinquaginta Episcopis ad Concilium habita, ut suam Sedem alteri decernerent, sibique facultatem alio se recipiendi impertirent; ex quibus videtur potius veritati magis consonum excogitare ipsum Gregorium Nazianzenum, tum Constantinopolitanae Ecclesiae Episcopum, vel Meletium Antiochenum huic Concilio praefuisse. Porro auctoritate ejusdem Pontificis Damasi hoc Concilium constat obtinuisse nomen Oecumenici; Damasus enim illud in iis, quae sunt Fidei, appro-

(t) *Socrates histor. lib. 7. cap. 7. pag. 711.* (u) *Concilia Generalia Labbei, & Cossartii tom. 2. ad ann. 381. col. 968. Parisiis 1671.*

baturus, nuncupat Generale, (x) ac Oecumenicum; quod quidem apertum est ex Epistola Synodali ad Damasum, aliosque Episcopos Romae congregatos. Quod cogeretur vero haec Synodus Constantinopoli, a Damaso Romano Pontifice primo excogitatum fuisse, asserit Baronius, ipsumque de iis egisse apud Theodosium Imperatorem jure opinatur, quoniam sextae Synodi acta, ope Damasi, atque favore Theodosii id factum testantur. Idem depromere licet ex antiquis Romanae Ecclesiae monumentis, nempe ex pervetusto Codice, qui in Vaticano, & ex aliis Codicibus in Urbis Bibliothecis asservatis, ubi haec scripta leguntur relata a Baronio: (y) *Sententiam de damnatione Macedonii, & Eunomii Damasus confirmari praecepit etiam in sancta secunda Synodo, quae praecepto, & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est.* Tum etiam ex iis, quae in Concilio (z) Chalcedonensi contra Dioscorum objecta fuerant his verbis: *Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est;* quae etiam ipsemet Damasus (a) confirmat scribens ad Episcopos Illyriae, inquiens: nullius esse momenti decreta ejus Synodi, cui ipse assensum non praebuisset: tantum enim roboris, & firmitatis quaelibet Synodus consequi solet, quantum auctoritatis illi Apostolica Sedes impertit. Hoc siquidem Ecclesiae Patres, ac Pastores in primo Oecumenico Nicaeno (b) Concilio agnoverunt, atque Romanam Ecclesiam primatum semper habere super omnes alias Ecclesias confessi sunt. Mirum tamen est, ac stuporem praesefert, quod Graeci quidam ineptissime affirmarunt, Romanam scilicet Ecclesiam a Nicaeno Concilio privilegia, quibus potitur, esse sortitam; tuncque institutum esse Romanum Patriarchatum, atque tres alios; quo nihil insulsius, & absurdius dici potuit. Romana enim Sedes a nullo Concilio, sed a Christo in Petro primatum habuit; quod Nicolaus

(x) *Concilia Generalia relata col. 960.* (y) *Baronius Annal. tom. 4. ad ann. 381. pag. 427.* (z) *Concil. Calcedon. act. 1. in Concil. General. Labbei, & Cossartii tom. 4. ad ann. 451. col. 94.* (a) *Epistola Damasi ad Episc. Illyriae apud Theodoret. lib. 2. cap. 22. pag. 202. Parisiis 1673.* (b) *Concil. Nicaen. act. Canon. 6. in Concil. General. Labbei, & Cossartii tom. 2. col. 31. ad ann. 325.*

laus Papa I., cognomento Magnus ſcribens ad Michaelem Imperatorem Romanae Sedi infenſum oſtendit his verbis: (c) *Deinde animadvertendum eſt, quia non Nicaena, non denique ulla Synodus quidquam Romanae Eccleſiae contulit Privilegii, quae in Petro noverat eam totius verae poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ovium regimen accepiſſe*. Et veluti omnibus Apoſtolis S. Petrus praeferri meruit, & Claves Regni Caelorum communicandas ceteris, principaliter obtinuit, ita idem de quolibet ejus legitimo Succeſſore dicendum. Sed ad haec evidentius probanda diutius immorandum non videtur, quippe quia ſatis ſuperque conſtat, abſque auctoritate Romani Pontificis ejuſmodi Synodos Oecumenicas cogi minime licuiſſe; cujus quidem veteris obſervantiae Lucentius Apoſtolicae Sedis Vicarius in Concilio (*d*) Chalcedonenſi teſtimonia perhibuit.

Inter multos eximiae probitatis illuſtres Viros, qui Synodo huic interfuerunt, quos omnes nimium longum eſſet hic recenſere, tres claruere prae ceteris. (*e*) Unus fuit Gregorius Nyſſenus Magni Baſilii frater, eidemque non magis conſanguinitate, quam eximiae pietatis, ac doctrinae laude conjunctus: alter fuit Meletius Antiochenus admirabilis ſanctitate, quae ſub Valentis Tyrannide aerumnis, exilio, variis etiam Catholicorum contemptionibus, crebriſque miraculis enituit. Hunc Theodoſius nondum Imperium adeptus cum vidiſſet in ſomnis, paludamento, & corona, inſignibus Imperii, ab eo donari viſus eſt. Itaque cum ex ſpecie, quam animo retinebat, eum in hoc Concilio agnoviſſet, mirifice laetatus honorifico ſanctiſſimi (*f*) Viri complexu vix expleri poſſe videbatur. Tertius demum fuit S. Gregorius Nazianzenus clariſſimum Eccleſiae lumen, qui dum Conſtantinopolitanam Eccleſiam a Macedonio, Eudoxio, & Demophilo Arianis Epiſcopis, quorum alter alteri ſucceſſerat, qua-

(c) *Severini Binii notae ad Concil. Conſtantinopol. tom. 2. Concilior. col. 967.* (d) *Concil. Chalcedon. act. 1. in eiiſdem Concil. General. tom. 4. ad ann. 451. col. 95.* (e) *Socratis hiſtor. lib. 5. cap. 8. pag. 264. Sozomenus lib. 7. cap. 7. pag. 711. Labbei, & Coſſartii Concil. tom. 2. col. 916. Theodoret. lib. 5. cap. 8. pag. 206.* (f) *Socratis hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 7. pag. 263.*

quadraginta (g) prope annis labefactatam, variisque errorum portentis aestuantem cerneret, Catholicorum Praesulum studiis, ac suffragiis inductus ad illam regendam, & labe haeresum expurgandam accessit; diuturnis laboribus toleratis, multos passus Arianorum conflictus, tandem nec Catholicorum fugit invidiam. Nam Maximus Aegyptius, Philosopus Cynicus, cum Patriarchalem Constantinopolitanae Sedis dignitatem concupiisset, Aegypti Episcopos pecuniis corrupit, quorum opera tumultuariis suffragiis in optatae Sedis fastigio collocatur. Cessisset statim Gregorius, & in jucundissimam quietem lubenti animo rediisset, nisi piorum precibus invitus fere fuisset detentus. Hujus Sanctae Synodi Patres probe noscentes, quam legitime Gregorius (h) hanc Sedem regendam suscepisset, Maximum Cynicum e sacris Aedibus perperam intrusum ejecerunt, ejus actis omnibus abrogatis. Electio S. Gregorii communi Patrum calculo probata, & confirmata est, sicque hoc Constantinopolitanae Ecclesiae schisma sublatum. At paullo post cum Gregorius videret magis in dies furere Aegyptios, habita oratione ad Patres (i) Concilii, dimissionis libellum sponte petiit, & se Episcopali munere abdicavit.

In hac sacrosancta Synodo cum de Fide agendum esset, Volumen Occidentalium continens Professionem illam Fidei, quam S. Damasus ex Concilio Romano ad Paulinum Episcopum Antiochenum misit, exhibitum fuit. Haec Professio eadem complectebatur, quae prius in Nicaeno Fidei Orthodoxae Symbolo compraehensa fuere: sed cum in eo parcius de divinitate Spiritus Sancti actum esset, quoniam nulla tunc haeresis ei infensa emersisset, placuit Sanctae Synodo de Spiritu Sancto, ut olim de Filio in Nicaeno Concilio factum fuerat, aliqua addere, quibus adversus omnes haereticos ejusdem Spiritus Sancti una eademque cum Patre, & Filio divina substantia praedicaretur,

eum-

(g) *Sozomenus histor. Ecclef. lib. 7. cap. 7. pag. 711, & cap. 9. pag. 714.* (h) *Sozomenus histor. lib. 7. cap. 7, & 9. pag. 711, & 714. Baronius Annal. tom. 4. ad ann. 381. pag. 428.* (i) *Socratis histor. Valesio interprete lib. 5. cap. 7. 263. Concilia Generalia Labbei, & Cossartii tom. 2. col. 920.*

eumdemque Spiritum Sanctum, quem servum esse impii haeretici blasphemabant, Dominum, ac Vivificatorem omnium cum Patre, & (k) Filio coadorandum, & conglorificandum professi sunt. Hic libellus Fidei, ut ipsi Patres nuncupant scribentes ad Damasum, & Romanum Concilium, sive dixerimus Symbolum, collato studio Sanctorum Patrum examinatus, ac decretus, a S. Gregorio Nysseno scriptus fuit; & cum Patres hujus Concilii Constantinopolitani dictam Fidei Professionem emitterent, expresse testati sunt, se non novum in substantia Symbolum edere, sed Nicaenum explicatius tradere; ex quo factum est, ut in posterioribus Conciliis haec Fidei Professio nuncuparetur Nicaena Fides.

Eidem Symbolo temporis lapsu additum postea est dogma speciale exprimens Processionem Spiritus Sancti etiam de Filio: quo vero tempore id contigerit non constat. Apertum tamen est ante sextam Synodum generalem extitisse, non dolo, & subreptione, ut Graeci mentiuntur, sed auctoritate Romanae Ecclesiae in quodam Occidentali Concilio, ut testatur S. Thomas (l): vel ab eadem Ecclesia Romana id factum, ut placet S. Bonaventurae: ad ipsam enim spectat dogma declarare, & addere omnia, quae necessaria sunt pro instructione suorum Fidelium. Nam dicendum est cum S. Anselmo ab eodem S. Bonaventura relato, quod Ecclesia Romana potest etiam novum Symbolum edere, in quo quam Christus doctrinam tradidit, dilucidius exponat; cum plenitudinem ad hoc potestatis habeat a S. Petro Apostolorum Principe Christi Domini verbis acceptam, & caput, ac magistra omnium sit Ecclesiarum: unde tamquam suprema potuit, absque eo quod Graecos vocaret, asserere, statuere, & decernere Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere.

Animadversione dignum hic arbitramur referre, Romanam Ec-

(k) *Act. Concil. Constantinopol. cap. 7. in Concil. General. Labbei, & Cossartii tom. 2. col. 945. Theodoretus histor. lib. 5. cap. 8. pag. 206.* (l) *S. Thomas tom. 1. summa Theologiae 1. p. q. 36. art. 2. ad 2. pag. 357. Coloniae 1640. S. Bonaventura in 1. sent. Petri Lombardi tom. 1. dist. 11. per tot. pag. 117. Venetiis 1578.*

Ecclesiam antiquitatis tenacissimam, antequam additamentum illud *Filioque* in Symbolum referret, diutissime cunctatam fuisse. Nam, uti refert *(m)* Baronius, Leo III. a Carolo Magno rogatus, ut verba praedicta ad Symbolum adderentur, id non modo agere recusavit, verum etiam illud ipsum absque eo additamento in argentea tabula exaratum in Altari post Corpus B. Petri perpetuo custodiri voluit, ne quibuslibet fas esset aliquid ad S. Symbolum superaddere. Postquam vero Hispani, Franci, & alii omnes Boreales Populi offendebantur, & periculum schismatis oriebatur, quod Romana Ecclesia eam doctrinam Symbolo addere nollet, quam ad probandos Catholicos, constituendosque haereticos Magnus Leo ante tot saecula Hispaniarum Episcopis impertitus erat, tandem Benedictus hujus nominis Papa VII. operae pretium duxit idem Symbolum cum hoc eodem additamento Romae in Ecclesiis canendum tradere, idque ad petitionem Henrici Imperatoris. Cum enim Romani Presbyteri quodam die ab eodem Henrico Imperatore interrogarentur cur post Evangelium, ut in aliis Ecclesiis mos erat, Symbolum non cecinerint, responsum dedere, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla haeresis labe infecta, sed juxta S. Petri doctrinam in soliditate Catholicae Fidei permaneret inconcussa; ideoque magis his necessarium esse Symbolum illud saepius canendo frequentare, qui aliquando ulla haeresis labe potuere maculari: quae omnia refert (*n*) Baronius, atque a memorato Benedicto Papa VII. tunc imperatum extitisse, ut ad publicam Missam Symbolum expromeretur. Graviter itaque aberrant, qui putant ex S. Damasi Decreto profectum, ut hoc Symbolum in Occidentali Ecclesia intra Missarum solemnia decantaretur, nam auctoritate *(o)* Ruffini, qui his temporibus scribebat, liquet, nullum aliud Romanam Ecclesiam in sacris Ritibus novisse, quam Symbolum Apostolicum; tantumque abest, id S. Damaso tribui posse, ut Toletanum tertium *(p)* Concilium

(m) *Baron. Annal. tom. 11. ad ann.* 1013. *pag.* 47, & 48. (*n*) *Baron. Annal. tom.* 11. *ad ann.* 1013. *pag.* 47, & 48. (o) *Ruffin. in epxosit. Symb.* (p) *Concil. General. Labbei & Cossartii tom.* 2. *col.* 979, & 998.

lium profiteatur se laudabilem illum usum ab Orientali Ecclesia accepturum; ideoque evidens est, quod Occidentalis Ecclesia hac consuetudine careret. Hoc eodem anno salutis 381. auctoritate S. Damasi celebratum est Concilium Aquilejae, cujus acta adhuc supersunt; & legi potest Epistola ejusdem Concilii Aquilejensis ad Gratianum Imperatorem a Patribus rogatum ne aures praebeat Ursicino, qui Romanam Sedem repetere moliebatur.

Anno Redemptionis *(q)* Mundi 382, S. Damasi Pontificatus decimo sexto, Theodosii Imperii quarto, Romae Concilium celebratum (*r*) est, ad quod datae a S. Damaso literae, quibus Orientales Episcopos ad Romanam Synodum ex toto Orbe Terrarum cogendam invitabat; & ne Orientales accedere detrectarent, Theodosii auxilium implorat, qui haud gravate Damaso, quem enixe colebat, tractatorias concessit literas, quibus ut Romam accederent significabat: sed accidit ut Orientales quamplures necterent caussas, quominus interesse se posse profiterentur, praesertim quoniam greges suos, quos dira Arianorum tabe afflatos nuperrime ad pristinam valetudinem revocarunt, inter tot haereticorum turbas, atque insidias deferendos esse non putarent. Quamobrem tres Episcopos Cyriacum, Eusebium, & Priscianum Legatos Damaso miserunt cum Synodicis literis, quibus, & caussas cur ad Urbem vocati non adiissent explicarunt, & *(s)* Oecumenicae Synodi, quam anno superiore Constantinopoli celebrarant, acta Romano Pontifici recognoscenda obtulere, quae a S. Damaso sunt confirmata: quo factum est, ut ea, quae circa Orthodoxam Fidem Constantinopoli constituta erant, Romanus Pontifex, & Occidentalium Romae consistens Synodus approbaverit, & Oecumenicorum Decretorum auctoritatem habere voluerit, ut patet ex Epistola S. Damasi ad Paulinum Episcopum Antiochenum, quam refert (*t*) Theodoretus. Non tantum praedicta trium Episcopo-

(q) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 382. pag. 460.* (r) *Theodoret. histor. l. 5. cap. 8, & 9. pag. 206.* (s) *Photii Epistolae ad Michaelem Bulgariae Principem G. L. cum notis Ricardi Montacuti Epist. 1. a pag. 1. ad pag. 45. Londini* 1651 (t) *Theodor. histor. l. 5. cap. 10. pag. 212.*

rum ex Synodo Constantinopolitana missa fuit Legatio, sed & alii ex Oriente Episcopi Romam petiere, ut Concilio ibi celebrando convenirent, inter quos Paulinus Episcopus Antiochenus, & celeberrimus ille Scriptis, & sanctitate Epiphanius Episcopus Salaminae in Cypro, quae nunc Constantia appellatur; item (u) S. Hieronymus, qui de hac Romae coacta Synodo meminit scribens ad Principiam. In hoc Concilio, in quo S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus pariter interfuit, decretum extitit, ut Decimae, ac Primitiae a Fidelibus (x) solverentur, & detrectatores anathemate ferirentur, eamdem subituri sententiam qui foenori operam darent, quique maleficiis, auguriis, ac sortilegiis vacarent. Cautum & de Missis, Festis, aliisque diebus celebrandis, canendisve certis horis.

Inter editas hoc anno ab Augustis sanctiones ea legitur, qua Ethnicorum Delubra, in quae populus negotiorum caussa confluere consueverat, ad eadem (y) negotia peragenda, non tamen ad sacra obeunda aperiri permissum est. Alia quoque in Manichaeos lata lex est, quorum clandestini conventus ita inhibiti, ut in eos diligentius exquirere ad cujusvis delationem per Judices imperaretur. Illud etiam sapienter editum est, ne qui validi essent corpore, ac viribus, per segnitiem mendicarent.

(u) *Hieronym. Epist. 16. tom. 1. pag. 123. Parisiis 1643.* (x) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 382. pag. 463. Concilia Generalia Labbei, & Cossartii tom. 2. ad ann. 382. col. 1013, & 1014.* (y) *Cod. Theodos. l. 8. de Pagan. & l. 9. de Haeret.*

C A P U T VII.

Summam Romae Annonae inopiam Ethnici ad Deorum, suaeque superstitionis contemptum referunt. Symmachi artes. Gratianus Pontificis Maximi appellationem abdicat. Symmachus circumventus judicio a S. Damaso defenditur.

VErtente anno reparatae salutis 383, Pontificatus Damasi decimo septimo, summa fame laboravit Itàlia. Ob penuriam quidem illam pauperes ab Urbe pulsos esse doluit (z) S. Ambrosius. Defectus annonae deplorans Symmachus Urbis tunc Praefectus adscribit sacrilegio, inquiens: *Dii Patrii facite gratiam neglectorum sacrorum, miseram famem pellite: quamprimum revocentur nostri, quos invita dimisit.* Facinus vero, quo liberi homines ab Urbe rei cibariae inopia ejecti fuerant, merito improbat Symmachus, potissimum quia Augusti tempore, ut refert (a) Dio, ingenti vexata Roma annonae egestate, non liberi homines, sed gladiatores, venaliaque mancipia tantum ultra octoginta millia passuum ab Urbe rejecta fuerunt. Sed hic Civium Romanorum acerbus, inhumanusque modus non aeque dolendi caussa est Symmacho, ac sacrorum Gentilium profanatio; Cum S. Damasus gentilibus Urbis Senatoribus restiterit, ipsorumque conatus potissimum apud Imperatores inanes reddiderit, nimirum cum ab Ethnicis Senatoribus Legatio missa esset ad Imperatorem Valentinianum; Cui quidem Legationi S. Damasus remediis validis subvenit, quominus superstitionis gentilitiae sectatores voti compotes fierent: cujus rei testis est (b) S. Ambrosius, qui ad Valentinianum Imperatorem scribens haec ait: *Pauci Gentiles communi utuntur nomine, nam & ante biennium ferme cum hoc petere tentarent, misit ad me S. Damasus Romanae Ecclesiae Sacerdos judicio Dei electus libellum, quem Christiani*

(z) *S. Ambros. Opera cum not. Congreg. S. Mauri tom. 2. de Officiis Ministr. lib. 3. cap. 7. col. 119, Symmachus lib. 2. Epist. 7.* (a) *Dio Cassius histor. Roman. lib. 55. G. L. pag. 566. Hanoviae 1606.* (b) *S. Ambros. Opera cum not. Cong. S. Mauri tom. 2. par. 1. Epist. 18. col. 833.*

Senatores dederunt, & quidem innumeri expostulantes nihil se tale mandasse, non congruere Gentilium istiusmodi petitionibus praebere consensum. Itaque nullius fuere momenti apud piissimum Imperatorem Valentinianum expostulata ab Ethnicis Senatoribus pro eorum sacris: quin potius ab Imperatoribus latum est edictum de auferendis redditibus, qui Sacrificiis, & sacris Gentilium erant adscripti, cui tamen edicto, ait (*c*) Symmachus diram famem esse consecutam. Imperatores enim, sacris Deorum explosis, impensas quoque ad illa peragenda ex publico conferri solitas sustulerunt; quin & redditus Vestalibus Virginibus antiquo jure debitos pendi vetuere; de quibus omnibus pluribus egit idem Symmachus, cum Praefectus Urbis fuit creatus. Libellum quoque (*d*) super eodem argumento post sequentem annum ad Valentinianum Imperatorem scripsit. Erat enim Symmachus vir quidem ceteroquin non vulgaribus animi ornamentis conspicuus, ingenio tamen versatili, factoque ad Curiae, & Principum palatum, unde ab occasione, & eventu deducens argumentum, eamdem famem exagerans, propter Deorum neglectum accidisse persuadere connititur. At ejus dicta quam egregie S. Ambrosius sic refellit: (*e*) *Certe ante plurimos annos Templorum jura toto orbe sublata sunt: modo ne demum Diis Gentium venit in mentem suas injurias ultum iri? Propterea nec adsueto cursu Nilus intumuit, ut Urbicorum Sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicavit suorum? Esto tamen, si superiore anno Deorum suorum injurias vindicatas putant, cur praesenti anno contemptui fuere? Jam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur, nec Baccae Sylvestris explorat solatia, nec cibum de sentibus rapit, sed operum laeta felicium, dum messes suas, & ipsa miratur, explevit voti satietate jejunium, usuarios nobis reddidit Terra proventus.* Aurelius Prudentius quoque Vir Consularis, & ejusdem aetatis Scriptor duos in Symmachum libros conscripsit elegantissimis versibus exornatos inter ejusdem impressa opera requirendos. Idem S. Ambrosius ne Imperator Valentinianus

(c) *Symmach. lib. 2. Epist. 36.* (d) *Symmach. libell. impress. in Oper. S. Ambros. tom. 2. part. 1. col. 828. cum notis Congreg. S. Mauri.* (e) *S. Ambros. Oper. tom. 2. part. 1. col. 833. Epist. 18. cum not. Congreg. S. Mauri.*

nianus clarissimi Viri Symmachi moveretur auctoritate, aliam etiam Epistolam ad ipsum Augustum (*f*) misit, ex qua hic pauca referre consentaneum arbitramur: *Deferendum meritis clarorum Virorum, & ego suadeo: sed Deum certum est omnibus praeferendum. Si de re militari est consulendum, debet exercitati in praeliis viri expectari sententia, consilium comprobari; quando de Religione tractatus est, Deum cogita: Nullius injuria est, cui Deus Omnipotens antefertur.* Ex his siquidem a S. Ambrosio persuasione, ac ope S. Damasi patratis, res Gentilium Romae mirum in modum collapsae sunt. Demptis enim, ut diximus, sumptibus sacrificiorum, ac stipendiis Sacerdotum, illud superadditum est, ut Gratianus nomen respuerit Pontificis Maximi, quod ad eam diem more Majorum, absque tamen labe ipsorum sacrorum, Christiani Imperatores ob summam potestatis amplitudinem retinuerant. Nam inter alia a (*g*) Zosimo proditum est, quod cum insectando Idololatriam Gratianus nomen pariter abjecisset Maximi Pontificis, quod non superstitionis amore, sed juris, ac potestatis conservandae gratia, ut dictum est titulo tenus Christiani Imperatores ad id tempus retinuerant. Exerit autem hic sese, ac animadversionem nostram rapit, sibique deposcit ejusdem Caesaris in S. Damasum, ejusque virtutes eximias studium, & observantia. Cum enim Imperatoriae, Caesareaeque, & Augustae appellationi Pontificis etiam Maximi nomenclaturam de more associaret, existimationi S. Pontificis, quam impense singularem animo praeceperat, hoc etiam dedit, ut se Pontificiae nuncupationis ornamento abdicaret, ejusque amplitudinem, decusque nominis in S. Pontificem generose simul, ac obsequenter vellet translatum. Ex qua Gratiani Imperatoris abdicatione factum, ut imposterum antiquato apud Caesares Pontificis Maximi adnomine, Romanorum dumtaxat Pontificum honorificentissimum haberetur Insigne, & digna Christi Domini Vicario, summoque sacrorum Antistite appellatio.

Fune-

(f) *S. Ambros. Oper. tom. 1. part. 1. Epist. 17. col. 825. cum not. Congreg. S. Mauri.*
(g) *Zosimus lib. 4. pag. 36. Oxonii 1679.*

Funestus Gratiano hic annus accedit, quo Maximus ejus apud Britannos Dux, sive is Britannus genere, sive, ut alii tradunt, Hispanus, ab Exercitu Imperator acclamatus copias in Galliam transmisit, Treviri Imperii Sede collata; devictos postea Armoricos sedibus e suis expulit, & suorum illuc militum Britannorum Colonias deduxit. Quamobrem Maximi (*h*) potentia ad summum aucta, Gratianus proditum se a suis legionibus, ac fere universo Exercitu sentiens, fugam per Alpes in Pannoniam meditans, trecentis non amplius equitibus assumptis, Lugdunum pervenit. Hic Ponte Rhodanum transmisurus, ab Andragatio Maximi Ducis interceptus, calamitoso vitae exitu suorum armis e vita (*i*) decessit VIII. Kal. Septembris, Imperii anno XVI, aetatis fere XXX, Princeps laudatissimus, fidelis in Domino, ut ait Ambrosius, pius, atque mansuetus, puro corde, ac castus in corpore, qui praeter conjugium nescierit alterius foeminae consuetudinem.

Gratiano adhuc superstite, Theodosius Arcadium filium tunc unicum, nam Honorius sequenti anno est ortus, Augustum dixit, & ad Gratianum literis datis enixe rogavit, ut novo Augusto insignem pietate, ac doctrina virum Praeceptorem provideret. Is ad Damasum ea de re perscripsit, qui Arsenium Romanae Ecclesiae Diaconum ad id muneris delectum Constantinopolim misit. Ferunt plures sacri Scriptores Theodosium cum aliquando ad Arsenium docentem accessisset, & vidisset illum stantem, Arcadium vero sedentem, indignatum Augusti Insignia filio detraxisse, ac imposterum Arsenium docentem sedere, Arcadium auditorem stare, detectoque capite praecepisse; qua de caussa paullo post Arcadii iram veritus Arsenius, in Eremum secessit, nec unquam exinde adduci potuit, ut in Aulam reverteretur.

Anno tandem reparatae salutis 384, Pontificatus Damasi de-

cimo

(h) *Socratis histor. lib. 5. cap. 11. pag. 270. Valesio inteprete G. L. Ruffin. histor. lib. 2. cap. 13. pag. 252. Basileae 1528.* (i) *S. Ambros. Oper. Consolatio de obitu Valentin. tom. 2. col. 1133. Idem in Apologia David cap. 6. tom. 1. col. 684. cum not. Congreg. S. Mauri. Sozomen. histor. lib. 7. cap. 12. pag. 218. Valesio interprete G. L.*

cimo octavo, accidit factum vere egregium sanctissimi nostri Pontificis Damasi, ex quo etiam in Ethnicis (*k*) conspicitur, quam maxime erga false circumventos S. Damasus animum adjecerit, ut collatas criminationes dilueret; nimirum cum memoratus Symmachus Urbis Praefecturam gereret, adversus ipsum ad Imperatores accusationis libellus porrectus est, quo argueretur Christianos ab Ecclesiis avulsisse, ac in carcerem conjecisse; item Episcopos e vicinis Urbibus ab eodem petitos in vinculis esse (*l*) detentos. Res tam sacrilega plurimum Valentinianum offendit, ac statim ad eumdem Symmachum rescribens, vinctos liberos relaxari jussit, ipsumque durius increpuit. At Symmachus, ut caussam suam a falsis crimnatoribus tueretur, ad S. Damasum confugit, qui Imperatorem certiorem redderet de ejus innocentia, atque calumnia ipsi perperam illata. Illi non defuit S. Damasus, etiamsi, veluti superius relatum est, Symmachus ubique partes Gentilium propugnasset: Rei hujus eventum accipe ex Epistola ejusdem (*m*) Symmachi, quae sic se habet: *Respondeat literis Episcopi Damasi, quibus affectatores ejusdem Religionis negavit ullam contumeliam pertulisse. Non magnopere officii mei praetendo responsa, a quo ideo quaesita est rerum fides, ne factum aliquod recordationem quaesitoris effugeret. Credatur ejus legis Antistiti, quae laesa simulatur.... Sane laudabili viro Episcopo denegante, ullum e suis aut carcere, aut vinculis attineri, & officio eadem suggerente.*

CA-

(k) *Surius in Vit. Sanctor. tom. 4. die 19. Julii, Coloniae 1572.* (l) *Baron. Annal. ad ann. 384. tom. 4. pag. 496.* (m) *Symmachi Epist. lib. 10. Epist. 34. pag. 272, & 273. Edit. Parisiis 1580.*

CAPUT VIII.

De Platonia a S. Damaso excitata, ubi olim SS. Petri, & Pauli Corpora jacuerant. De Catacumbis, & Coemeteriis Calixti, Praetextati, Damasi, Marci, & Marcelliani. De Viis Appia, & Ardeatina. Locus requiritur, ubi fuerit a S. Damaso altera Ecclesia aedificata ad Catacumbas.

CUm toto animi studio S. Damasus veneranda Sanctorum Martyrum vestigia prosequeretur, eorum solerter sacra Corpora perquisivit, elegantibusque versibus Coemeteria illustravit; peculiari tamen devotionis cultu locum, qui ad Catacumbas vocatur, excoluit, ibi enim Platoniam erexit, ut ex *(n)* Anastasio habetur in ejusdem S. Pontificis vita, ubi ait; *& aedificavit Platoniam, ubi Corpora Apostolorum jacuerunt, idest Beatorum Petri, & Pauli, quam & versibus exornavit.* Marmoreis videlicet tabulis integrum ejusdem loci sinum honorificentius instruxit, de quo Ado legit Placonta, (*o*) Baronius vero asserit, quod sua MM. SS. Placoton habent, & quidem rectius. Tradit etiam Zonaras in Constantino Magno, ab eo Constantinopoli excitatum fuisse Forum, quod Placoton nuncupavit, ex eo inquit, quod ex tabellis lapideis esset constructum. Hujuscemodi porro ornatu, & summa quidem impensa sterni olim consuevisse Ecclesiarum pavimenta, quae adhuc supersunt vestigia, vel integra, vel aliqua ex parte disjecta, plane demostrant, prout in Basilicis S. Mariae Transtyberim, & S Mariae in Cosmedin, aliisque Urbis videre est. Testatur etiam Baronius in compluribus antiquis Ecclesiis videri adhuc Romae ejusmodi Platonias, ac per ipsas intelligi posse marmoreas tabulas ad ornatum comparatas, & proinde Platoniam struere nihil aliud esse, quam parietes marmoreis tabulis incrustare.

(n) *Anastas. in Vita S. Damasi pag.* 29, & 30. *Edit. Mogunt.* 1649. (o) *Baron. Annal. tom.* 4. *ad ann.* 384. *pag.* 498.

ſtare. Platonias quoque fuiſſe loca marmorum cruſtis inducta; aut pavimenta teſſellatis variata emblematibus cenſet Caeſar Bulengerus; Carolus autem (*p*) Du-Freſne putat Platoniam quamlibet marmoream tabulam diſſectam eſſe; Cum enim marmor majoris ſit praetii, quam ceteri lapides, non quadratum, ſed in ſegmenta, & fruſta ſectilia comminutum, in aedificiorum ſtructura ſolet adhiberi. Mileſius (*q*) Sarazanius in notis ad S. Damaſi Opera aſſerit Platoniam a Fabrica dictum eſſe, atque a concamerationis latitudine; Sic & Platonem refert Laertius a frontis latitudine dictum, & ob latitudinem pectoris apud Suidam, ſeu amplitudinem orationis. Ut autem quoad Platoniam veritatem certius aſſequi valeas, vide quae habet Caſſiodorus (*r*).

Anaſtaſii igitur teſtimonio conſtat S. Damaſum Platoniam extruxiſſe non in alia proximi Caemeterii parte, ſed ubi SS. Petri, & Pauli Corpora aliquando jacuerant. Porro locus iſte denominationem eſt aſſecutus *Catacumbas* ex graeca dictione, quae latine ſonat juxta Tumbas, quod videlicet eſſet prope Tumbas, ſeu Sepulchra Sanctorum Martyrum, Coemeterii nempe a B. Lucina Matrona Romana conſtructi, quae ipſorum Apoſtolorum floruit aetate; penes itaque hoc Coemeterium, ejuſque Tumbas ſitus iſte Catacumbas appellatus adhuc conſpicitur, & ab Honuphrio (*s*) Panvinio deſcribitur: *Vetuſtiſſimum Chriſtianorum perſecutionum tempore Sacellum in antiquo cujuſpiam nobilis Familiae Romanae Sepulchri Hyppogaeo a S. Calixto conditum;* ejus forma adhuc intacta perſiſtit, tota fere ſubterranea, in cujus medullitio elevatur Altare, ſub quo in puteo diu ſacra translata Apoſtolorum Principum Corpora delituerant: ea data occaſione, quam refert (*t*) S. Gregorius his verbis ad Conſtantinam Auguſtam ſcribens: *De Corporibus vero BB. Apoſtolorum,*

(p) *Du-Freſne, ſeu Ducange in Gloſar. ad Scriptores mediae, & infimae latinitat.*

(q) *Sarazan. in not. ad Carm. 30. S. Damaſi pag. 188.* (r) *Caſſiodor. Variar. lib. 3. Epiſt. 9. tom. 2. pag. 43. Edit. Rothomag.* (s) *Panvinius de 7. Urb. Eccleſ. ubi de Eccleſ. S. Sebaſt. pag. 93.* (t) *S. Gregor. Oper. tom. 2. regiſtr. 4. Epiſt. 30. indictione 12. col. 710, & 711. Edition. Congreg. S. Mauri.*

quid ego dicturus sum? dum constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente Fideles venerunt, qui eorum Corpora sicuti Civium suorum repeterent, quae ducta usque ad secundum Urbis miliarium, in loco qui dicitur Catacumbas collocata sunt. Dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque dispersit, ut alia denuo nullatenus attentare praesumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum Corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quod vero iterum eadem Apostolorum Corpora maxima vigente persecutione in eumdem locum translata fuerint ex eodem Anastasio, ejusque Textu in Romano Breviario allato luculenter apparet, ibi enim habetur, quod S. Pontifex Cornelius alia cum Lucina foemina sanctissima eadem sacra pignora e Catacumbis in locum transtulit opportuniorem. Secundae hujus depositionis caussam explicat clarissimus Vir, & Praesul Franciscus Blanchinus in notis ad Anastasium in Vita S. Cornelii. Exploratum praeterea est, hunc locum a Sanctis aliis Pontificibus ipsius Cornelii praecessoribus, ac successoribus summa in veneratione habitum fuisse; Ex historia namque Ecclesiastica habetur, quod ibidem ad Synaxes, aliaque sacra peragenda Fideles convenerint. Hic etiam fert opinio S. Stephanum Papam a Gentilibus Sacrificium Deo offerentem inventum, post intrepide absoluta Mysteria, ante Altare, sua in Sede fuisse decollatum: nec obstat in actis ejus adnotatum (u) legi, quod se in Coemeterio Lucinae continuerit, cum eidem Coemeterio locus iste Catacumbas conjunctus fere videatur, sicut etiam Coemeterio Calixti, idest illi Coemeterii Lucinae parti, quam Pontifex S. Calixtus ampliavit. Per hujus Hyppogaei circuitum antiqua adhuc cernuntur sedilia testaceis compacta lapidibus; e conspectu vero Altaris nostra usque ad tempora marmorea aderat Sedes, in qua S. Stephanus capite truncatus Martyrium consumaverat, & quidem ejusdem sanguine consperfa, quam Cosmus III. magnus Hetruriae Dux anno Jubi-

(u) *Baron. ad ann. 260. n. 1.*

Jubilei MDCC. pietatis cauſſa ad Urbem accedens ab Innocentio Papa XII. dono impetravit, ac ad augendum Ordinis militaris ejuſdem S. Stephani decorem Piſas translatam magnificentiſſime exornandam curavit. Poſt Cleri ſedilia habentur adhuc duodecim arcuata monumenta, & ipſa clauſa, in quibus olim illuſtria Martyrum Corpora depoſita fuiſſe non eſt ambigendum, quamvis modo tantis ſint deſtituta theſauris. Menſa Altaris, de qua ſuperius egimus ex integro marmore conſtituitur, & in ea antiquas juxta traditiones ob loci ſanctitatem nullus praeter Romanum Pontificem Miſſae Sacrificium offerre poterat; Paulus vero Papa IV. ſpeciali ſuo Apoſtolico Brevi, ut quilibet Sacerdos ibidem poſſet celebrare diſpenſavit, prout tradit (x) Severanus. Verum haud illud eſſe Altare putandum eſt, in quo perſecutionum tempore Sancti illi primaevi Pontifices ſacrificare conſueverant, cum Altaria lapidea, non niſi S. Sylveſtri decreto conſtrui ceperint.

Haec quoque Eccleſia ad Catacumbas Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilica appellata eſt, teſte (y) Anaſtaſio Bibliothecario in Vita Adriani I.; idque pariter confirmatur ex actis S. Quirini Sciſienſis, & Martyris, ubi ſic habetur: *Facta autem incurſione Barbarorum in partes Pannoniae, Populus Chriſtianus Scarabatenſi Urbe Romam fugiens Sanctum Corpus Quirini Epiſcopi, & Martyris afferentes ſecum deduxerunt, quod Via Appia miliario tertio ſepelierunt in Baſilica Apoſtolorum Petri, & Pauli, ubi aliquando jacuerunt.*

Quamobrem locum hunc ad Catacumbas nuncupatum, depoſitione Corporum Principum Apoſtolorum ſanctificatum, tot aliorum Martyrum ſacris decoratum exuviis, ac Sanctorum Pontificum ſacris Ritibus conluſtratum reddita Eccleſiae pace Platonia S. Damaſus exornavit; Celebris vero hujus ornamenti nullum noſtro aevo ſupereſt veſtigium; nec mirum, locus enim iſte longe ab Urbe diſſitus, cum Gothorum, Longobardorumque incurſionibus fuerit obnoxius, hinc in Urbis obſidione pluries

(x) *Severan. in Rom. ſubter. lib. 3. cap. 13. pag. 258.* (y) *Anaſtaſ. in Vita Adriani I. ad ann. 772. pag. 141. Apud Surium die 4. Junii.*

secuta, ea omnia militari a furore, & licentia fuisse subversa verisimile est; Ex revelatione namque, & inventione Corporis S. Ceciliae Virginis, & Martyris apud Anastasium, & ex pluribus Codicibus a Bosio indicatis, Aistulphus Longobardorum Rex cum Romam obsideret, etiam proximum Coemeterium scrutatus fuisse habetur, ut inter cetera Corpus etiam ejusdem S. Virginis, & Martyris inveniret, alioqùe transferret; sed divinitus factum est, quod nunquam illud reperire valuerit.

Platoniae insuper a se constructae locum praeclaro etiam Epigrammate S. Damasus illustravit, quod a (z) Baronio, Aringhio, & Sarazzanio ita refertur.

Hic habitasse prius Sanctos cognoscere debes,
Nomina quisque Petri, pariter Paulique requiris
Discipulos Oriens misit, quod sponte fatemur,
Sanguinis ob meritum, Christumque per Astra secuti
Aethereos petiere sinus, & Regna piorum
Roma suos potius meruit defendere Cives
Haec Damasus vestras referat nova Sydera laudes.

Hujusmodi Carmina illorum Orientalium Historiae videntur alludere, quam ex supra relata S. Gregorii Epistola mox commemoravimus; eodem hoc in loco pro singulari erga Apostolorum Principes observantia, ac devotione suis etiam cineribus Tumulum parare S. Damasus excogitavit, sed propria devictus humilitate a sententia deterruit, ut aliis ex carminibus a (a) Baronio relatis aperte constat:

Hic congesta jacet quaeris si turba piorum
Corpora Sanctorum retinent veneranda sepulchra
Sublimes Animas rapuit sibi Regia Coeli
Hic comites Christi portant, qui ex Hoste Trophea
Hic numerus procerum servat, qui Altaria Christi
Hic positus longa vixit, qui in pace Sacerdos
Hic Confessores Sancti, quos Graecia misit

Hic

(z) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 398. Aringh. tom. 1. lib. 3. cap. 12. pag. 466. Sarazan. Oper. S. Dam. Carm. 30. pag. 91.* (a) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 395, & 396. Oper. S. Damas. Carm. 29. pag. 91.*

Hic Juvenes, puerique, Senes, castique Nepotes
Queis mage Virgineum placuit retinere pudorem.
Hic fateor Damasus volui mea condere membra,
Sed cineres timui Sanctos vexare Piorum.

Hinc itaque apparet, praeter Coemeterium ipsum sub S. Sebastiani Ecclesia situm, & proximam illi Apostolorum Basilicam, in Catacumbis alium ad proprii Corporis depositionem locum S. Damasum sibi delegisse. Novam igitur construxit Basilicam supra alteram ejusdem Coemeterii partem, quod ab ipsa S. Sebastiani Ecclesia versus Portam Urbis Capenam, seu Appiam extenditur viam inter Appiam, & Ardeatinam, quae quidem amplissima Coemeterii pars pluribus etiam nominibus, vel a quibusdam illustrium Martyrum Corporibus ibidem depositis, vel ab ejusdem instauratoribus est appellata, communi quamvis vocabulo Calixti, seu Praetextati Coemeterium passim nuncupetur. Ut igitur scrutari, digitoque ostendere possimus Basilicam a S. Damaso Via Ardeatina constructam, de hujus Viae, ac de alterius Appiae nonnulla praemittere operae pretium ducimus. Vias Consulares a quadam columna inaurata in Foro Romano sita, ac milliare aureum nuncupata initium sumpsisse plurium Antiquariorum opinio est, quam tamen reprobant Alii, asserentes, non a praefata columna, sed ab Urbis Portis, ubi antea Aureliani tempore sita erant, incoepisse; hanc vero quaestionem cum hic expendere nostrum non sit, certum est ex Porta Urbis Capena Viae Appiae excussum prosiliisse, quam Viam Appius Claudius Caecus, dum esset Consul anno V.C. 441. Capuam usque silicibus stravit, obtento a suo constructore Appiae nomine.

Ex eadem Porta duae aliae procedebant viae, altera latina; quod in Latium duceret, nuncupata, & haec non longe ab ipsa veteri Porta, & prope locum, ubi Ecclesia S. Caesarii Martyris conspicitur, relicta Via Appia sinistrorsum vergens in latinam Regionem, prout etiam nostra aetate distendebatur. Alia Via erat Ardeatina, quod in Ardeam Romanorum Coloniam

niam duceret, & haec una cum Appia usque ad locum, ubi nunc Templum vulgo appellatum *Domine quo vadis?* incedebat. Appia igitur in hoc loco se ab Ardeatina segregans, & ad laevam procedens recta ante Basilicae S. Sebastiani Januam defertur, ac prope Mausolaeum Ceciliae Metellae pertransiens Albanum inde prosequitur: Ardeatina vero ab Appia avulsa dextrorsum inclinans vineas inter hinc inde positas in Agrum prope locum, qui Turris Marancia vulgo appellatur, protrahitur, hic paullulum deflectens Ardeam usque deducitur. Pater Eschinardus (*b*) Societatis Jesu in sua Agri Romani descriptione postquam hoc commune assertum de Viarum Appiae, & Ardeatinae divisione exposuit singulariter agens de Porta, quae nunc S. Sebastiani appellatur, (*c*) nonnullas affert conjecturas, quibus Viam Ardeatinam initium haud habuisse cum Via Appia suadere conatur, sed potius ab alia olim Porta egressum habuisse suspicatur, quae Porta nunc illas inter S. Sebastiani, & S. Pauli clausa conspicitur, eoque magis quod in Vinea olim Cardinalis de Cavaleriis intra Urbem non longe a S. Balbinae Ecclesia in Aventino quaedam Via lapidibus strata detecta fuerit; Haec tamen P. Eschinardi opinio suas patitur exceptiones; muris namque Civitatis, qui modo habentur a Belisario, & Narsete constructis, atque ultra antiquorum moenium situm extensis Porta illa clausa esse nequit antiquior, ac proinde Portam inter Capenam, & Ostiensem aliam veterem extitisse opporteret ostendere. At nullus Antiquitatum Urbis Scriptor alterius hujus Portae meminit, omnesque alii Viam Ardeatinam simul cum Appia per Portam Capenam processisse asserunt. Oportunius quidem nobis videtur aliorum Scriptorum sequi sententiam, qui aliis suffulti rationibus Viam Ardeatinam eamdem ipsam fuisse affirmant, quae ab Ecclesia S. Mariae de Plantis vulgo *Domine quo vadis?* protenditur. Certum insuper est, neque a Bosio Lincaeo sacrorum Coemeteriorum Scrutatore aliquod Martyrum Coemeterium sub Vineis positis in hujus Viae occi-

(b) *Eschinard. descript. Agr. Rom. cap. 1. de Viis pag. 28.* (c) *Idem Eschinard. c. 9. n. 159.*

occidentali latere, ſed tantum ſub iis ſiniſtrae, & Orientalis Regionis, inter nempe Ardeatinam, & Appiam fuiſſe detectum. Id etiam nobis ſunt conteſtati CC. VV. Marcus Antonius Buldethus Baſilicae Sanctae Mariae Tranſtyberim Canonicus ſacrorum Coemeteriorum Cuſtos, ac ejus in Officio Collega Johannes Marangonus Baſilicae olim Cathedralis Anagniae Canonicus, qui quadraginta annorum ſpatio hujuſmodi ſacris effodiendis locis, & recognoſcendis, extraendiſque Sanctorum Martyrum Corporibus operam praeſtant diutinam. Hi namque expertiſſimi Viri ampliſſimum Coemeterium, quod inter memoratas Ardeatinam, & Appiam Vias extenditur ultra ipſam Ardeatinam non progredi affirmant, nec unquam aliquod Coemeterii veſtigium ſub occidentalibus Ardeatinae Vineis reperire potuiſſe. Coemeteria igitur, quae ſub diverſis memorantur nuncupationibus, ſive Via Appia, ſive Ardeatina, vel inter utramque evidenter conſtat eſſe recognoſcenda ſub Vineis a memorata S. Mariae de Plantis, ſeu *Domine quo vadis?* Eccleſia poſitis ad Baſilicam uſque S. Sebaſtiani, quae hujuſmodi publicis duabus antiquis Viis concluduntur.

Ut proinde ſitus Baſilicae a B. Damaſo conditae demonſtrari valeat, ea inveſtiganda eſt memorati Coemeterii pars, quae ab eo inſtaurata fuerit, itaut ab ejus exinde nomine nuncupata Damaſi Coemeterium. Optime Panvinius hujuſmodi Coemeterium inter viam Appiam ponit, & Ardeatinam. Anaſtaſius Bibliothecarius *(d)* in Vita Johannis Papae VII. illud cum Coemeterio SS. Marcelliani, & Marci conjungit ſcribens: *Laboravit autem & in Coemeteriis BB. Martyrum Marcelliani, & Marci, Damaſique Pontificis*. Id etiam aſtruitur, quod quamvis in horum Sanctorum duorum Martyrum Actis a *(e)* Severano indicatis legatur eos Via Appia ſecundo ab Urbe miliario fuiſſe ſepultos, nihilominus Martyrologium Romanum eorum Natalem diem tradit Via Ardeatina, idque confirmant Ado, Beda, & Uſuar-

(d) *Anaſtaſ. in Vit. Johann. VII. ad ann. 705. pag. 90.* (e) *Severan. Rom. ſubter. lib. 3. cap. 13. pag. 261.*

Usuardus, ex quo argui debet hoc Coemeterium Viam inter Appiam, & Ardeatinam extitisse. Hic etiam aderat S. Balbinae Virginis Coemeterium, sic appellata hujus Coemeterii Praetextati pars, in qua ejusdem S. Virginis Corpus fuerat sepultum. Haec vero cum a S. Marco Papa Constantini Magni temporibus fuisset instaurata, Marci Coemeterium coepit appellari, supra quam etiam constructa Basilica, ipse Pontifex fuit tumulatus, teste libro Pontificali, & Bibliothecario: (f) *Qui etiam sepultus est in Coemeterio Balbinae Via Ardeatina, quod insistens fuit, idest instauravit*. Hoc etiam clarius habetur in Vita Nicolai Papae I. hisce verbis: (g) *Inter haec ad Coemeterium B. Marci Confessoris, atque Pontificis, quod in Appiam, Ardeatinamque viam positum esse dignoscitur*.

Ex huc usque explicatis aperte patet S. Damasi Coemeterium, hoc est eam amplissimi Coemeterii Praetextati partem, quam sanctissimus hic Pontifex reparandam suscepit, Coemeteriis tum S. Marci, seu Balbinae, tum etiam SS. Martyrum Marci, & Marcelliani inter Vias Appiam, & Ardeatinam fuisse contiguam. Sed cum, ut alibi diximus, Barbarorum vastationes longissimorumque temporum aetates certissima nobis eripuerint documenta, nec aliquod iisdem in locis supersit monumentum, Coemeteria, & Basilicas SS. Marci, & Damasi Pontificum digito ostendere est difficillimum. Verum ex fortissimis mox explicandis conjecturis unicuique persuasum fore putamus, S. Damasi eam fuisse Basilicam, quam indicavimus ab ipso supra illam Coemeterii partem, ejus postea nomine nuncupatam, erectam, sub qua intra idem Coemeterium ejus Corpus una cum Matre, & Sorore fuit tumulatum.

Eo itaque loco, quo memorata Ardeatina Via in Agrum ex Vineis utrimque positis procedit, & aliquantulum ad laevam flectitur, sub quodam parvo Sacello in altiori parte erecto sita est Vinea, quae nunc a Domina Margarita Bellotti possidetur. Extenditur haec Viam Appiam versus, sed haec Via per aliam alte-

(f) *Anastas. in Vit. S. Marci*. (g) *Idem in Vit. Nicolai I.*

alterius Domini Vineam dividitur. In extremitate autem hujus divisionis antiquissimae structurae Fabrica aedificata conspicitur, ad usum modo Cellari conversa: Formam tamen antiquissimae Ecclesiae praefert longitudinis fere palmorum septuaginta, latitudinis vero triginta circiter, habet ad Septentriones Semicyclum, seu tribunam, ubi situm fuisse Altare non est ambigendum; parietes quibusdam in locis quamvis divisa calce, qua olim fuerant contecti, coloribus tamen fuisse depictos apparet, quapropter Ecclesiam olim fuisse dubitari non potest. Non longe vero ab ea ad Orientalem plagam adest scala, per quam in subjectam amplissimi Coemeterii partem patet descensus, & hic Basilicam, atque Coemeterium S. Damasi extitisse non dubitant expertissimi rerum Coemeterialium, & antiquorum sacrorum Urbis Monumentorum a nobis paullo ante laudati VV. Canonici Buldhetus, atque Marangonus. Cum enim eorum, jussu Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Vicarii, Fossores SS. Martyrum detegendis Corporibus operam navarent anno 1736. semitam, seu viam qnamdam Coemeterialem, quae recta sub memorata Fabrica, seu Cellario aditum praebebat, aperuerunt. Hic primo praegrandis ex pario candidissimo marmore Sarcophagus repertus est ovalis figurae, palmorum fere quatuordecim, longitudinis sex, altitudinis, ac latitudinis quinque: ejus frons striatis, contortisque cuniculis elegantissime decorabatur, utrimque vero in angulis Leones duo perita Artificis manu sculpti prominebant; vacuus omnino ossibus repertus fuit, suo absque decenti operculo, cujus loco crassus alius marmoreus lapis erat superpositus, qui tamen haud totum operiebat Sarcophagum; super hoc vero lapide rudi elaborata opera structilis aderat columna ad summitatem usque pertingens superioris veluti aedificii memorati, nempe Cellarii fulcimentum. Post vero Sarcophagum cubiculum inventum est longitudinis, ac latitudinis palmorum circiter duodecim, quod perpendiculariter sub superioris aedificii abside consistit. Alii duo in hoc aderant marmorei Sarcophagi, in cubiculi fronte

unus, sinistro alter in latere, & ipsi terra tantum, ruderibusque referti, & absque operculis; eorum vero forma ad unum tantummodo recipiendum defuncti Corpus erat disposita, non sculptura, aut alio quovis ornamento insignis; prope memorati cubiculi Ostiolum extrorsum alterius ovalis Sarcophagi pars aderat sculptis exornata figuris; extra cubiculum vero, & primum circa Sarcophagum marmorea plura sparsa erant fragmenta, quae fortasse operculorum fuerant. Cum vero nondum, qua parte tam insigne Mausoleum huc fuisset invectum, appareret, idque cuique admirationi esset, Fossores ipsi non diu post ipsum ante Sarcophagum laborantes amplissimam scalam, seu descensum repererunt, quae in alteram contiguam Vineam aditum, & ingressum praebuerat, ex quo postmodum jubente Eminentissimo Cardinali Guadagno Vicario tres ipsi Sarcophagi fuerunt extracti, & ad ejusdem Eminentissimi Palatium deducti, penes quem sacra haec remanserunt Monumenta.

Hisce omnibus mature perpensis praefati duo valde sacrorum hujusmodi Monumentorum periti Viri in hanc ambo convenere sententiam, antiquam videlicet superiorem Ecclesiam, in Cellarium modo conversam, Basilicam a S. Damaso juxta Viam Ardeatinam excitatam extitisse, cubiculum vero sub ejusdem absside intra Coemeterium locum fuisse, in quo S Pontifex duobus in enunciatis Sarcophagis marmoreis Matris suae, Sororisque Irenis Corpora deposuit, juxta quas & sibi sepulchrum delegit; cumque e vita migrasset tantus Pontifex honoris caussa insigne illud Mausoleum eo invectum fuisse, in eoque ejus Corpus honorifice conditum, & ob id eam Coemeterii partem Damasi nomine distinctam: nec porro tanti Mausolei invectio per amplissimum, & tam patentem descensum ad persecutionum tempora referri potest, quibus defunctorum Corpora in ipsa Coemeteria clancusum deferre oportebat.

Haec omnia valida satis alia firmantur conjectura. Eadem in linea Occidentem versus, ad passus paullo ultra ducentos in diversa linea, alia antiqui Aedificii superest constructio, aliam

supra

fupra Coemeterii partem, fed fere tota diruta, & hic locus ab antiquiffimo ufque aevo, & praeter hominum memoriam a conterminis Vinitoribus appellatur *S. Marcus*. Cumque hujufmodi locorum antiquiffimae denominationes a traditionibus provenientes ab antiquitatum Scrutatoribus maxime fint obfervandae, haud longe videntur a veritate fuiffe fupramemorati CC. VV., fi eas parietinas, quae ad *S. Marcum* dicuntur, extitiffe olim fufpicantur Bafilicam a S. Marco Papa conftructam fupra illius Coemeterii partem, in qua B. Balbina fuit fepulta, ac propterea Coemeterium Balbinae nuncupabatur, & quae poftea ab ipfo S Pontifice inftaurata, ab ejus etiam nomine appellari coepit Coemeterium S. Marci, ubi & ejus Corpus fuit reconditum, ut habetur apud Anaftafium: *(h) Qui etiam fepultus eft in Coemeterio Balbinae Via Ardeatina*. In Vita vero Nicolai I. Pontificis intra Vias Ardeatinam, & Appiam locum hunc fuiffe demonftrat idem Anaftafius his verbis: (*i*) *Inter baec ad Coemeterium B. Marci Confefforis, atque Pontificis quod inter Appiam, Ardeatinamque Viam effe cognofcitur Sancto deductus eft Spiritu;* idque optime oculari infpectioni refpondet, cum fitus ifte utramque inter viam omnino fit medius. Id etiam, etfi non tam accurate, animadvertit quoque Severanus his verbis: (*k*) *E quantunque non vi fia oggidì più memoria di effa Chiefa, e Cimiterio, contuttociò vicino alle Catacombe nella Via, che fta tra l' Appia, e l' Ardeatina fi fcorgono alcune ruine, che potrebbono effere di quefta Chiefa, giacchè di fotto vi fono ampliffimi Cimiterj*. Propter haec Sanctus ipfe Damafus Tumulum ejufdem B. Marci, utpote fuae proximum Bafilicae verfibus hifce exornavit, quos refert Baronius (*l*):

Vita fuit Marci quam novimus omnes
Ore Dei poffet qui temnere Mundum
Oravit Populus quod difceret omnes,
Grandis bonor vitae contemptus babendi
Virtus tenuit penetralia cordis

(h) *Anaftaf. in Vit. S. Marci*. (i) *Idem in Vita Nicolai I.* (k) *Severan. in editione Romae fubter. Antonii Bofii lib. 3. cap. 18. p. 270.* (l) *Baron. in App. Annal. tom. 3. ad ann. 336.*

Te Custos Christi perfectus Amicus,
Et Damasus Tumulum cum reddit bonorem
Hic Marcus Marci Vita fide nomine consors, & meritis.

Sed eo, unde paullo divertimus, ad Basilicam scilicet, & Coemeterium S. Damasi redeamus In cubiculo igitur saepius memorato, in quo S. Pontifex, & Matrem, & Sororem deposuit, utrique elogia inscripsisse credendum est. De elogio Matris nulla superest memoria, Sororis vero a temporum injuria vindicatum habetur in collectione antiquarum inscriptionum, & refertur a Baronio (*m*), prout sequitur:

Hoc Tumulo sacrata Deo nunc membra quiescunt
Hic Soror est Damasi nomen si quaeris Irene
Voverat baec se Christo cum vita maneret
Virginis ut meritum Sanctus pudor ipse probaret
Bis denas Hyemes nec dum compleverat aetas
Egregios mores vitae processerat aetas
Propositum mentis Pietas veneranda Puellae
Magnificos fructus dederat melioribus annis
Te Germana Soror nostri nunc testis amoris
Cum fugeret Mundum dederat mihi pignus bonestum
Quem sibi cum raperet melior tunc regia Coeli
Non timuit mortem Coelos quod libera adiret
Sed doleo fateor consortia perdere vitae
Nunc veniente Deo nostri reminiscere Virgo
Ut tua per Dominum praestet mihi facula lumen.

Mausoleum vero, in quo probabiliter, ut antea explicavimus. S. Damasi Corpus conditum fuisse putamus, nullo repertum est elogio insignitum. Inscriptio vero ab ipso Damaso suo posita sepulchro legitur apud ipsum Baronium, ac in ejus operum collectione, estque hujusmodi:

Qui (n) gradiens Pelagi fluctus compressit amaros
Vivere qui praestat morientia semina Terrae

Sol-

(m) *Baron. in Append. ad tom. 4. Annal. ad ann. 384. pag. 508.* (n) *Oper. S. Damasi Carm. 16. pag. 85.*

Solvere qui potuit Lazaro sua vincula mortis
Post tenebras Fratrem post tertia lumina solis
Ad Superos iterum Mariae donare sorori
Post cineres Damasum faciet quia vivere credo.

Ex hoc epitaphio ea oritur difficultas, an scilicet haec Maria, quam Sororem appellat Damasus, eadem fuerit, quam in alio Irenem vocavit. Bosius, (o) & Severanus aliam diversam fuisse putant. In re tam obscura nullum nobis superest documentum, cum potuisset etiam Irenes Mariae praenomine appellari; verum si alia fuit Damasi Soror Maria, id conjectura firmari posset ex eo, quod, ut supra notavimus, in memorato Cubiculo praeter duos Sarcophagos, alterius effracti fragmenta fuerint reperta.

Reliquum tandem est, ut extremo hujus Capitis loco requiramus quo titulo haec Damasi Basilica fuerit insignita. Diu in opinione perstitimus hanc inclito S. Laurentio Martyri fuisse dicatam; sed cum nullibi mentio reperiatur alicujus Ecclesiae extra Urbem Via Ardeatina, seu Appia S. Laurentio dicatae, nec id ex textu Anastasii valeat deduci, a nostra sententia discedimus: ait enim Bibliothecarius: (p) *Hic fecit Basilicas duas, unam juxta Theatrum Sancto Laurentio, & aliam Via Ardeatina, ubi requiescit in Catacumbis*. Nam si utramque eidem praestantissimo Martyri dicatam asserere voluisset, scripsisset potius: hic fecit duas Basilicas S. Laurentio, unam juxta Theatrum, & aliam Via Ardeatina. Ea porro aetate passim construebantur Ecclesiae Christo, & Salvatori absque alio titulo. Sic factum fuisse constat a S. Marco Papa, qui, teste Anastasio, duas Basilicas fecit, unam Via Ardeatina, & aliam in Urbe Roma juxta Pallicinas; quapropter haec quoque Basilica a S. Damaso in Via Ardeatina excitata, Salvatori etiam fortasse fuit inaugurata, prout probabiliter ex conjecturis licet arguere.

CA-

(o) *Bosius pag. 261.* (p) *Anastas. in Vit. S. Damasi pag. 21. versic. 7. Parisiis ex Typograph. Regia.*

CAPUT IX.

De aliis Ecclesiis sive conditis, sive instauratis a S. Damaso.

PRaeter Basilicas duas, alteram gloriosissimo S. Martyri Laurentio ad Theatrum Pompeji, alteram Via Ardeatina, alias Ecclesias tum in Urbe, tum extra Sanctissimus Pontifex Martyrum studiosissimus vel excitavit, vel exornavit. Ecclesiam utique S. Anastasiae Titularem picturis a S. Damaso decoratam fuisse testantur Carmina olim descripta in antiquo Codice membranaceo Bibliothecae Palatinae, qui Romam postea translatus nunc in Vaticana (q) asservatur, & a Grutero in volumen suarum antiquarum inscriptionum relata, quae, & habentur inter opera S. Damasi a Milesio Sarazanio (r) collecta, quibus hic praefixus est Titulus:

In Sanctae Anastasiae

Antistes Damasus picturae ornarat bonore
Tecta, quibus nunc dant pulcbra metalla decus.
Divite testatur pretiosior aula nitore,
Quos rerum effectus possit babere fides.
Papae Hilari meritis olim devota Severi
Nec non Cassiae mens dedit ista Deo.

Ex his versibus apparet, S. Damasum istius Basilicae parietes, sive Tribunam musivis picturis exornasse, quae temporum injuria haud supersunt. Temporibus autem Hilari Papae, qui sedit anno Christi 461 aliis ornamentis, vel instaurationibus decoratam fuisse a quadam pia muliere nomine Cassia carmina ipsa testantur.

Absolvit item S. Damasus, ut asserunt Baronius (s), & Ciacconius Ecclesiam Sanctarum Virginum, & Martyrum Rufinae, & Secundae extra Urbem in loco nuncupato *Sylva Candida* decimo

(q) *Cod. M. S. Vatic. Biblioth. num.* 532. (r) *Miles. Saraz. not. in Carm.* 17. *pag.* 176.
(s) *Baron. Annal. tom.* 4. *ad ann.* 384. *pag.* 395. *Ciaccon. in Vita S. Damasi tom.* 1. *ad ann.* 367. *col.* 254.

cimo ab Urbe lapide; Nomine vero hoc, locus ille insignitus est ab illustri Martyrio Sanctorum Marcellini Presbyteri, ac Petri Exorcistae, ac Sanctarum Sororum Virginum memoratarum. Siquidem antea Sylva Nigra appellata, postmodum illustrata sanguine Martyrum, Sylva Candida denominari coepit a Fidelibus. Clarissimae namque hae duae Virgines a Sponsis, quorum connubia rejecerant, insimulatae, quod Christum colerent, ibidem, jubente Junio Donato Urbis Praefecto, necatae fuerunt anno salutis 260. Cumque projecta earum Corpora diu inhumata jacuissent, ipsae per somnum Plautillam loci Dominam admonuere, ut Christianam amplecteretur Religionem, & sua Corpora tumulo componeret. Plautilla igitur sacra ea Pignora religiose condidit, eisque Basilicam construxit, prout duriora illa insaevientium persecutionum tempora patiebantur. Restituta vero Ecclesiae pace magnificentius construi coepit, eamque absolvisse traditur S. Damasus. Cultus autem harum Sanctarum Virginum nemorosa in ea regione tantum augeri coepit, ut ibidem Romani Pontifices Sylvae Candidae, seu Sanctarum Rufinae, & Secundae Episcopatum constituerint, ejusque Praesulem (t) inter septem Cardinales Episcopos secundo loco in Sacris sibi servire statuerint. Urbe tamen illa frequenti Barbarorum incursione incolis destituta, Corpora Sanctarum Rufinae, & Secundae ab Anastasio Papa IV. Romam delata apud Baptisterium Lateranense anno 1154. sub Ara ipsis dicata deposuit: cum paullo ante, nempe anno Christi 1120. Callixtus Papa II Episcopalem Cathedram Sylvae Candidae Portuensi conjunxisset, & unam ex duabus effecisset, & ita deinceps Episcopus Portuensis, & Sylvae Candidae, vel Sanctarum Rufinae, & Secundae indistinctae nuncupatus sit; locus autem in rusticam Casam evasit, quae modo ad Archixenodochium S. Spiritus in Saxia de Urbe spectat.

Alia nobis occurrit Basilica a S. Damaso extra Urbem constru-

(t) *Ughell. Ital. Sac. tom. 1. de Episc. Sylv. Candid. & Portuen. pag. 87. & sequent.*

structa. Andreas (u) Ferrarius Canonicus, atque Thesaurarius Cathedralis Ecclesiae Nolanae narrat: Damasum ipsum schismate Ursicini exagitatum, atque calumniis impetitum vota nuncupasse Martyribus pro Ecclesiae unione; inter caeteros vero S. Felici Martyri Nolano. Cum autem in Concilio Romano quadraginta Episcoporum ejus Caussa agitata fuisse, ipseque, uti legitimus Pontifex, & innocens a structis sibi calumniis declaratus fuisset, id etiam ejusdem Martyris adscribens meritis, in gratiarum actionem haec carmina conscripsisse perhibetur, quae in collectione Christianorum Poetarum habentur:

Corpore, mente, animo, pariter quoque nomine Felix
Sanctorum numero Christi sacrate triumphis,
Qui ad te sollicite venientibus omnia praestas,
Nec quemquam pateris tristem repedare viantem,
Te duce servatus mortis quod vincula rupi,
Hostibus extinctis, fuerunt qui falsa loquuti
Versibus bis Damasus supplex tibi vota rependo.

Unde Pater Scribanius in suo Tractatu de Miraculis haec omnia perpendens subdit: *Et agnoscit Beneficia Damasus cum Divo Felice, & quo potest versu, memorem testatur animum.*

In hujus sui grati animi testimonium refert laudatus Ferrarius, quod Nolam ipse Damasus sese contulit, S. Martyris Pignora coram veneraturus, & ibi parvam Ecclesiam, quae intra majorem, inque ejus medullitio conspicitur, construxit, idest quadrilateram columnis suffultam musivis exornatam, ubi Sepulchrum S. Felicis duabus innixum columnis, quarum uni insculptum legitur *S. Felix*, alteri *S. Faustillus*. Quod vero S. Damasus hanc construxerit, atque consecraverit S. Felici Ecclesiam, clarum apparet testimonium in uno ex ejusdem parietibus, ubi legitur haec vetustissima inscriptio:

Septimo die stante mense Madii dedicatio erit bujus Sanctae Basilicae,

(u) *Ferrarius de Coemet. Nolano edit. Neapoli 1644. pag. 34.*

cae, quam B. Damasus PP. construxit, & aedificavit in honorem Dei, & Beatissimi Felicis.

Hujus tamen itineris S. Damasi non superest notitia apud Ecclesiasticos Annales, nec constructionis illius Ecclesiae in honorem S. Felicis. Nos autem morem gerentes traditionibus, ac monumentis Ecclesiae Nolanae, fidem habendam duximus praefato Auctori, & Canonico Thesaurario ejusdem Cathedralis.

CAPUT X.

S. Damasus plurimorum SS. Martyrum Monumenta Carminibus elegantissime exornavit.

EX his, quae Capitibus superioribus tradidimus in aliquot Sanctorum Martyrum memoriam, & his, quae in praesenti sunt explicanda studium pietatis eximium S. Damasi refulget. Primo igitur loco ejus Carmina afferamus, quibus Tumulos illustravit Sanctorum Martyrum Marcellini, & Petri (de quibus paullo ante sermonem habuimus, ubi de Sylva Candida) Martyrium namque passi sunt, & in ipso loco anno Christi 302. in Diocletiani persecutione; post vero horum Martyrum *(x)* triumphum, ut in actis eorumdem legitur, cuidam Matronae Lucillae una cum S. Tiburtio Martyre apparuerunt, jussitque S. Tiburtius, illorum Corpora e Sylva Nigra asportata, juxta ipsum in parte inferiore Coemeterii inter duas lauros Via Lavicana in crypta sepeliri. Ideoque in Martyrologio Romano legitur: *(y) Horum Corpora in crypta juxta S. Tiburtium sepulta sunt, eorumque Sepulchrum S. Damasus Papa versibus exornavit*: sunt autem hujusmodi:

Marcelline (z) tuos pariter Petre nosce triumphos
Percussor retulit Damaso mihi cum puer essem,

I Haec

(x) *Baronius in notis ad Martyrol. ad diem 2. Junii.* (y) *Martyrol. ad diem 2. Junii.*
(z) *Opera S. Damasi Carm. 12. pag. 83.*

Haec tibi carnificem rabidum mandata dedisse,
Sentibus in mediis vestra, ut tunc colla secaret,
Nec Tumulum vestrum quisquam cognoscere posset.
Vos alacres vestris manibus mundasse sepulchra,
Candidulo occulte postquam jacuistis in antro,
Postea commonitam vestra pietate Lucillam,
Hic placuisse magis sanctissima condere membra.

Praeter allata S. Damasi, quamplurima reperiuntur carmina ab eodem Sancto egregie conscripta, quae omnia recensere hic ommittimus; pluribus enim in locis typis excusa conspiciuntur. In libro siquidem de Romanis Pontificibus (*a*) Anastasii Bibliothecarii legitur, S. Damasum quaesiisse Corpora Sanctorum Martyrum, atque multa invenisse, nec non Concilia Martyrum, quae Concilia, ut superius est expositum, sunt sepulchra eorumdem Martyrum, scilicet Coemeteria, quae elegantibus versibus exornavit, ac memorias horum Sanctorum illustravit. De memoriis Sanctorum Martyrum in Suburbiis haec inquit Baronius: (*b*) *Extant ejusdem S. Damasi versus, quibus alias exornavit Sanctorum Martyrum Ecclesias furore barbarico dissipatas, quas ipse restituit, videlicet.*

De SS. Martyribus Vitale, Martiale, & Alexandro.

Dum (c) peritura Getae posuissent castra sub Urbem
Moverunt Sanctis Bella nefanda prius.
Istaque sacrilego verterunt corde sepulchra
Martyribus quondam rite sacrata piis.
Quos monstrante Deo Damasus sibi Papa probatos
Affixo monuit carmine jure coli.
Sed periit titulus, confracto marmore, Sanctus,
Nec tamen his iterum posse latere fuit.
Diruta Vigilius nam mox haec Papa gemiscens
Hostibus expulsis omne novavit opus.

Milesius Sarazanius non esse hoc Carmen S. Damasi asserit, etsi

(a) *Anastas. Vit. Pontific. de S. Damaso pag.* 29. *Moguntiae* 1642. (b) *Baron. Annal. tom.* 4. *ad ann.* 384. *pag.* 397. (c) *Opera S. Damasi pag.* 182.

etsi Cardinalis Baronius S. Damaso tribuat; at inter ejusdem Sancti carmina ponit, quia de illius versibus alloquitur, & a Vigilio Papa existimat esse exaratum. De alio S. Alexandro Episcopo, & Martyre distincto ab illo in praefato Carmine laudato haec habet Martyrologium Romanum: (c) *Romae Via Claudia vicesimo ab Urbe miliario passio S. Alexandri Episcopi, qui sub Antonino Imperatore pro Fide Christi, vincula, fustes, equuleum, lampades ardentes, ungularum laniationem, bestias, ac fornacis flammas superans, tandem gladio caesus, vitam adeptus est gloriosam. Ejus Corpus postea B. Damasus Papa in Urbem transtulit sexto Kal. Decembris, quo die Festivitatem illius celebrandam instituit.* Constanter asserit Baronius (d), hunc omnino esse diversum ab Alexandro Papa: cujus autem fuerit Civitatis Episcopus nondum ait invenisse; & in veteri Martyrologio apud Adonem (e) haec reperimus: *B. Alexandri Episcopi, & Martyris passi II. Kal. Octobris a Papa Damaso VI. Kal. Decembris translati, quando festivitatem ei dicavit;* & Petrus de Natalibus (f) de eodem S. Alexandro sequentia scribit: *Sanctus autem Martyr Via Claudia vicesimo ab Urbe milliario ductus est &c., sed postmodum Papa Damasus cryptam fabricavit, & ibidem ipsum deposuit.*

Aliud sequitur Carmen de Ecclesia sita in agro Romano a Gothis diruta tempore obsessae Urbis, quod (g) Baronius refert.

Hic furor hostilis templum violavit iniquus,
Cum premerent vallo moenia septa Getes.
Nullius hoc potuit temeraria dextera gentis,
Haec modo permissa est, quod peritura fuit.
Nil gravat hoc tumulo Sanctorum pessimus hostis,
Materiam potius reperit alma Fides.
In melius siquidem reparato fulget honore
Cum scelere hostili crevit amor tumulis:
Suscipe nunc gratus devotae munera mentis
Diogenes Martyr cui dedit ista volens.

 Quis-

(c) *Martyrol. Rom. 21. Septembris.* (d) *Baron. in not. ad Martyrol. 21. Septembris.* (e) *Ado in Martyrol. die 26. Novembris.* (f) *Petrus de Natalib. in Cathal. Sanct. lib. 8. cap. 101.* (g) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 396.*

Quisquis ad hoc Templum petiturus dona recurris,
Spes tibi sit, larga est munere vera Fides.

Plurima Sanctorum Martyrum monumenta S. Damasus Carminibus illustravit, ac ipsis plures tumulos excitavit. Liquet id tum ex ejusdem Pontificis, tum ex aliorum publice scriptis. Paulus (*h*) Aringus memoriae consignavit, S. Damasum carminibus, quae hic adscribuntur, sepulchrum S. Tarsicii exornasse, quae carmina illustre sunt testimonium ejusdem S. Martyris ad Calixti Coemeterium contumulati, quem porro constat Eucharistico Pane, quem pie deferebat in sinu instructum, tamquam armis validissimis, ad capessendam Martyrii Palmam convolasse.

De S. Tarsicio.

Par (i) meritum quicumque legis cognosce duorum,
Quis Damasus Rector titulos post praemia reddit.
Judaicus Populus Stephanum meliora monentem
Perculerat saxis, tulerat qui ex hoste trophеum
Martyrium primus rapuit Levita fidelis.
Tarsicium Sanctum Christi Sacramenta gerentem,
Cum male sana manus peteret vulgare prophanis,
Ipse animam potius voluit dimittere caesus,
Prodere quam Canibus rabidis caelestia membra.

Praeterea S. Marci laudatissimi Pontificis, & de Ecclesia optime meriti Acta, memoriam quot Carminibus, tot laudum praeconiis, totidemque fere virtutum trophaeis elatis idem S. Damasus decoravit, ut paullo ante, ubi de Coemeterio S. Marci egimus, relatum est.

Sepulchro autem S. Mauri, qui unus fuit ex filiis S. Hilariae, cujus Sanctae Mulieris extitit olim Coemeterium Via Salaria ab Aringo (*k*) recensitum, S. Damasus nobile hujusmodi Epitaphium inscripsit.

De Sancto Mauro.

Martyris (l) hic Mauri tumulus pia membra retentat

Quem

(h) *Aringus Rom. subter. tom. 1. lib. 3. cap. 11. pag. 456.* (i) *Opera S. Damasi Carm. 35. pag. 93.* (k) *Aringus Rom. subter. tom. 2. lib. 4. cap. 32. pag. 231.* (l) *S. Damasi Opera Carm. 21. pag. 87.*

Quem Damasus Rector longo post tempore plebis
Ornavit supplex, cultu meliore decorans
Insontem puerum cui poena nulla dejecti.

Exornavit insuper S. Damasus Sepulchrum Sanctorum Felicis, & Adaucti, ut testantur sequentia Carmina. Sancti Adaucti autem nomen proprium non est; nam cum Christiani hujus Sancti nomen ignorarent, Adauctum eum appellaverunt, quod S. Felici auctus sit ad coronam, ut scribitur in (m) Martyrologio Bedae, Usuardi, Adonis, Notherii, & Baronii.

De SS. Martyribus Felice, & Adaucto.

O semel, (n) atque iterum vere de nomine Felix,
Qui intemerata Fide, contempto Principe Mundi
Confessus Christum Coelestia Regna petisti.
O vere praetiosa Fides, cognoscite Fratres,
Qui ad Coelum victor pariter properavit Adauctus
Presbyter is verus, Damaso Rectore jubente,
Composuit tumulum Sanctorum limina adorans.

Dignissimum vero S. Saturnini Sepulchrum sequentibus Carminibus eruditissimus ille, aeque ac piissimus Pontifex Damasus exornavit, atque ejuscemodi titulum perpetui impensique erga Christi Martyrem obsequii locupletissimum veluti monumentum apposuit.

De Sancto Saturnino Martyre.

Tempore (o) quo gladius secuit pia viscera Matris
Sanguine mutavit patriam, vitamque, genusque
Romanum Civem Sanctorum fecit origo
Mira fides rerum, docuit post exitus ingens
Cum lacerat pia membra, fremit Gratianus ut Hostis,
Posteaquam fellis vomuit concepta venena,
Cogere non potuit Christum te Sancte negare
Ipse tuis precibus meruit confessus abire.
Supplicis haec Damasi vox est venerare Sepulchrum,

Sol-

(m) *Martyrol. die 22. Septembris de SS. Felice, & Adaucto.* (n) *Opera S. Damasi Carm. 24. pag.* 88. (o) *Opera S. Damasi Carm. 25. pag. 89.*

Solvere vota licet, castasque effundere preces
Sancti Saturnini tumulus, quia Martyris hic est.

Corpus pariter S. Marcelli Papae, & Martyris honorifice pia Fidelium manu in celebri Priscillae Coemeterio reconditum est, ut testatur (*p*) Aringus, cujus Sepulchrum merito honoris cultu S. Damasus auxit, & pietatis obtestandae gratia hisce Carminibus exornavit.

De S. Marcello Martyre:

Veridicus (q) Rector, lapsos quia crimina flere
Praedixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,
Seditio, Caedes, solvuntur foedera pacis:
Crimen ab alterius Christum qui in pace negavit,
Finibus expulsus Patriae est feritate Tyranni.
Haec breviter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus meritum cognoscere posset.

Extat adhuc in Ecclesia Sanctorum quatuor Coronatorum marmoreae inscriptionis a S. Damaso posita anterior pars in laudem Sanctorum Proti, & Hyacinthi, recenter tamen reliqua parte suppleta hoc titulo praeposito: *Fragmentum Carminum S. Damasi Papae ex Templi pavimento hic repositum, & suppletum*: Carmina sunt hujusmodi

De SS. Proto, & Hyacintho.

Extremo (r) tumulus latuit sub aggere montis
Hunc Damasus monstrat servat quod membra piorum;
Te Protum retinet melior sibi Regia Coeli
Sanguine purpureo sequeris Hyacinthe probatus,
Germani Fratres animis ingentibus ambo,
Hic victor meruit palmam, prior ille coronam.

Sanctorum porro Chrysanthi, ac Dariae Coemeterio ab Aringo (*s*) late descripto, Carmina, quae B. Damasus in eorumdem Martyrum honorem conscripsit, hic recenseamus.

De

(p) *Aringus Rom. subter. tom. 2. lib. 4. cap. 28. pag. 219.* (q) *Opera S. Damasi Carm. 26. pag. 89.* (r) *Opera S. Damasi Carm. 27. pag. 90.* (s) *Aringus Rom. subter. tom. 2. lib. 4. cap. 30. pag. 228.*

De SS. Martyribus Chrysantho, & Daria.

Hic (t) votis paribus tumulum duo nomina servant
Chrysanthi, Dariae nunc venerandus honor,
Effera quem rabies neglecto jure sepulchri
Sanctorum tumulos praeda furentis erat.
Pauperis ex censu melius nunc ista resurgunt,
Divite sed voto plus placitura Deo.
Plange tuum Gens saeva nefas, periere furores,
Crevit in his templis per tua damna decus.

Ultimo loco operae pretium ducimus elegantissimum S. Damasi Carmen apponere, quod conscripsit in laudem S. Agnetis Virginis, & Martyris, legitur hoc tum in Bibliotheca veterum Patrum, tum in collectione sacrorum Poetarum, tum denique inter Opera ejusdem collecta, & edita a Martio Milesio Sarazanio, ubique tamen minus fideliter descriptum, ejusque Authographum, quo loco esset, ignorabatur omnino. Verum cum anno 1728. jubente san: mem: Benedicto Papa XIII. Pavimentum Basilicae S. Agnetis extra muros Via Nomentana renovandum foret, ac illi substruendus fornix ad loci tollendam humiditatem, factum est, ut ingentia marmora, quibus totum contegebatur, loco removerentur, partim secanda, & in tabulas divisa novo pavimento ex lateribus conficiendo interponenda, & partim aliis usibus applicanda: Haec igitur ante fores Ecclesiae ejusdem in acervum disposita fuere. Ne autem hoc insigne S. Damasi monumentum deperiret omnino, divinae placuit Providentiae, ut alias memoratus Canonicus Johannes Marangonus Collega Canonici Buldethi [cum quo jam in pervigilio S. Laurentii ejusdem anni accesserat ad eamdem Ecclesiam, ut quaedam Corpora reperta sub Peristylio Arae majoris recognoscerentur] instinctu quodam superiori eo se contulerit, & ante fores conspexerit duo marmora, immo unum in duas partes extractum referens quamdam inscriptionem optimis quidem characteribus sculptam, sed calce adeo obductis, ut pau-

cae

(t) S. *Damasi Opera Carm.* 36. *pag.* 94.

cae tantum literae legi possent, eo quod marmor ipsum inversis literis stratum fuerit ipsi pavimento. Nimio igitur labore cultro, ac silice usus, calcem ipsam tamdiu amovit, reperitque esse authograghum Carminis, de quo loquimur, quo exscripto domum rediit. Hoc totum verò nihil ad servandum tale monumentum inserviisset, nisi majorem adhibuisset diligentiam, cum etenim eo tempore ad aeris perniciem evitandam Canonici Regulares Sanctissimi Salvatoris, qui curam ejusdem Ecclesiae habent, in S. Agnetis Monasterio non residerent, sed Romae apud S. Petrum in Vinculis, & Fabrimurarii operi suo incumberent, sollicitus idem Marangonus una cum Canonico Buldetho statim illucescente aurora eo miserunt Alexandrum Pompejum Aquilanum Fossorum in Coemeteriis laborantium priorem, qui Custodis nomine Fabris coementariis, ut lapidem illum in nullum usum converterent, sed tanquam ad Martyrem insignem spectantem in aditu Coemeterii propinqui reponerent, imperavit. Ut jussus fuerat diluculo valde eo pervenit, & eo fere momento, quo marmor illud sectioni aptabatur; ita ut mirabiliter ab irreparabili vastatione tam praeclarum insigneque monumentum fuerit vindicatum. Facti hujus admonitus idem Pontifex, jussit, inscriptionem ipsam simul conjunctam longitudinis palmorum quatuordecim, altitudinis vero quinque, suppletis in angulo initiali tribus primae lineae, duabus secundae, tertiaeque una literis, parieti navis sinistrae introeuntibus per Januam Ecclesiae majorem affixam reponi, ubi nunc etiam conspicitur. Historiam hujus inventionis idem Canonicus Marangonus in altero Tomo sui Thesauri Parochorum editi anno 1730. inseruit, ac etiam transtulit in Appendicem ad Acta S. Victorini Episcopi Amiternensis, & Martyris typis vulgatam anno 1740. Tenor igitur Carminis est:

Fama (u) prefert Sanctos dudum retulisse parentes
Agnen cum lugubres cantus tuba concrepuisset
Nutricis gremio subito liquisse puellam

Spon-

(u) *Johannes Marangonus in Append. ad Act. S. Saturnini pag.* 137.

Sponte trucis calcasse minas rabiemque Tyranni
Urere cum flammis voluisset nobile Corpus
Viribus immensum parvis superasse timorem
Nudaque profusum crinem per membra dedisse
Ne Domini Templum facies peritura videret,
O' veneranda mihi Sanctum decus alma pudoris
Ut Damasi precibus faveas precor inclyta Martyr.

Cui plane haudquaquam consonat aliud simile carmen, quod in Bibliotheca Patrum, & in S. Damasi Operibus per Milesium Sarazanium collectis, est evulgatum, prout hic subiicimus:

Fama (x) refert Sanctos dudum genuisse parentes
Augmentum lugubris cantus tuba cum crepuisset,
Nutricis gremium subito licuisse puellam
Sponte truces calcasse minas, rabiemque Tyranni
Urere cum flammis voluisset nobile Corpus
Viribus immensum parvis superare timorem
Nudam perfusos crines, & membra dedisse
Ne Domini Templum facies peritura videret
O' Agnes verum decus alma pudoris imago
Ut Damasi precibus faveas precor inclita Virgo.

Ad calcem hujus Capitis consentaneum arbitramur, quae sequuntur verba Jacobi Zeni Episcopi Patavini apponere, ex quibus liquet S. Damasum universis Sanctis Martyribus toto sui Pontificatus aevo repertis Sepulchra excitasse, atque eorum acta, & Martyrium metro edidisse. Sic memoratus Scriptor edisserit: (y) *Damasus &c. multa Martyrum Corpora plurimo studio, ac labore quaesita sepulchris condecentibus condidit, nec cujusquam Martyris reliquias comperiit, cujus etiam vitam, Martyriumque metro non scripsit.*

(x) *Opera S. Damasi Carm.* 2. *pag.* 78. (y) *Jacobus Zenus de Vit. Pontific. M. S. anno* 1470. *in Bibliot. Vaticana.*

CAPUT XI.

De scriptis, & literarum Monumentis S. Damasi ubi secernuntur vera ejus Opera ab Apocriphis, deperdita ab eis, quae supersunt. Item quae ad augendum divini cultus, morumque studium instituit.

NEc vero aetati suae dumtaxat, sed & universae consuluit posteritati S. Damasus literarum, sanctarumque praescriptionum monumentis, commisso sibi Fidelium Ovili ab omni labe deterso. Plura namque ingenii sui Opera reliquit, quorum praecipua, & genuina haec esse communi eruditorum calculo designantur; nempe opuscula de Virginitate versu, prosaque composita: Nonnullae item ad diversos Epistolae, ac demum sacra quamplurima carmina. Primo enunciatus tanti Viri literarius foetus desideratur, & tantummodo ejusdem fit mentio apud (z) S. Hieronymum, qui Epistola ad Eustochium illum commendat.

Epistolarum vero quamplures Damasi nomine circumferuntur, sed ut veras a suppostitiis secernamus earum cathalogum prolixiori ordine texere necesse est. Genvinae itaque S. Damasi Epistolae primo enumerantur duae ad Hieronymum, prima qua requirit: quid apud Haebreos verbum *Osanna* vere sonet? secunda, qua de scripturae locis quasdam quaestiones a Hieronymo explicandas proponit. Geminae aliae ad Acholium Thessalonicensem, quarum prima ad ipsum Acholium aliosque Macedoniae Episcopos scripta, Maximi Cynici ordinatione damnata, ut in Synodo proxime Constantinopoli celebranda dignus eidem Urbi Episcopus praeficiatur, commendat. Altera vero ad ipsum Acholium tantummodo Rusticum Gratiani Silentiarium pariter commendat.

Una ad Paulinum Anthiochenum Episcopum de Capitulis Fi-

(z) *Hieronym. Epist.* 18. *ad Eustochium.*

Fidei contra Macedonium, Eunomium, & Apollinarem; Quae Epiſtola non ſub una forma veteribus in monumentis exhibetur, ſcilicet apud Theodoretum (a) omiſſa praeambula Epiſtola, ſola fidei formula refertur ab Epiphanio Scholaſtico (b) exinde latine reddita. Iſidorus Mercator eam inde mutavit, & Epiſtola ad Paulinum aliunde ſibi comparata utramque aliis interjectis Epiſtolis ſeparavit; Lucas Holſtenius (c) vero in collectione Romana bipartita utrumque ſimul exhibuit; quapropter dubium irrepſit, unica ne, an gemina dici debeat ad Paulinum Epiſtola; Baluzius (d) in collectione Conciliorum duas exiſtimat; Petrus Conſtantius (e) vero in monito unicam eſſe affirmat; quae tamen duplici parte conſtet.

Praeter relatas adſunt nonnullae aliae Synodicae Epiſtolae S. Damaſo attributae, eo quod ſub ejuſdem Pontificatu prodierint, & inter ejus opera communiter recenſeantur. Prima eſt Concilii Romani circa initium anni 372. habiti ad Illiricos Epiſcopos ſcripta, qua Ariminenſis damnatur Synodus, Nicaena confirmatur Fides, Epiſcopoſque ab ea diſſentientes, ne dum a communione ſegregandos, ſed Epiſcopali etiam nomine privandos eſſe decernitur; haec eadem Epiſtola apud Holſtenium (f) ad Orientales Epiſcopos inſcribitur; primum fortaſſe ad Illiricos, ad Orientales exinde tranſmiſſa fuit.

Altera eſt pariter Concilii Romani, ſed ſub anni 378. finem, vel ſub anni 379. initium collecti, ad Gratianum, & Valentinianum, a quibus exquiritur, ut ipſi Imperatores executioni legis proſpiciant, qua ſanxerunt, ut de Religione Pontifex judicaret, & Sacerdos nullius profani Judicis ſubjaceret ſententiae. Ab Auguſtis vero id omne conceſſum fuit, prout ex reſcripto ad Aquilinum Urbis Vicarium (g) inſerto in collectione Epiſtolarum Summorum Pontificum a Clemente I., uſque ad Innocentium III. Petri Conſtantii e Congregatione S. Mauri.

(a) *Theodoret. lib. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 11.* (b) *Epiphan. in hiſtor. Tripart. lib. 9. cap. 16.* (c) *Holſten. collect. Rom. bipart. pag. 80.* (d) *Baluz. nov. collect. Concil. pag. 379.* (e) *Conſtant. Epiſt. Rom. Pont. tom. 1. pag. 505. edit. Pariſ. anno 1721.* (f) *Holſten. Rom. collect. bipart. pag. 265.* (g) *Conſtant. ubi ſupra pag. 530.*

Alia ipsius S. Damasi Synodica contra Apollinarem, & Thimotheum Haereticos ad Orientales scripta, qua ipsos certiores reddit una cum suo dogmate, ac Magistro suo Apollinario, Sedis Apostolicae Judicio Thimotheum jam fuisse damnatum.

Adscribitur etiam Damaso Synodica Aquilejensis Concilii Epistola ad Gratianum, qua expetitur, ne Imperator Ursicinum sibi patiatur obrepere, sed illum abiiciendo pacem Ecclesiae restituat.

Hae sunt Genvinae S. Damasi Epistolae apud eruditos communiter receptae; Aliae vero, quae Damasi nomine circumferuntur, ab Isidoro Mercatore suppositae, & ab ipso confectae, atque in suae collectionis exordio positae a (*b*) Baronio, Tillemontio, & unanimi pene emunctae naris Scriptorum consensu veluti commentitiae reiiciuntur, illaeque sunt; Una Damasi ad Hieronymum, quae incipit: *Dum multa corpora:* & Hieronymi responsio cum hoc initio: *Supplex rogo;* Item Stephani Archiepiscopi Concilii Mauritaniae, & Episcoporum de tribus Affricae Conciliis, nec non Damasi ad eosdem rescriptum; demum Aurelii Carthaginiensis Episcopi ad Damasum Epistola, ac ejusdem Papae ad ipsum responsio.

Affirmare vero jure possumus germanas S. Damasi Epistolas superius commemoratas ejusdem Pontificis laudi plurimum favere propter earum cultum, ac politissimum sermonem, miramque elegantiam, quae praeterea auctorem lingua graeca admodum peritum demonstrant; ut plane mirum videatur, senem annos natum fere octoginta, tam vividam in scribendo libertatem, & sane igneam dicendi vim ubique explicare. Conspicitur ibidem quanti ipse fecerit, & quam maxime teneretur sacrorum Voluminum studio, dum nihil eidem videtur aut acceptius, aut jucundius, quam ejusdem sacrae Historiae sensus arcanos ingenio suo investigare.

Carmina autem a S. Damaso exarata, ac elogia aliquot extant

(b) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 374. pag. 365. Tillemont. memoires Eccles. tom. 8. art. 15. pag. 422.*

tant in Bibliotheca Patrum, & manuſcripta in Bibliotheca Anglicana Bodlejana a Mileſio Sarazanio diligenter collecta primum Romae, ac deinde etiam Pariſiis excuſa ulteriori cribro non indigent, ſed ad eamdem (*i*) editionem lectorem remittimus plurima quamvis ſparſim in hoc Opere exhibeamus.

Sunt vero nonnulli Scriptores, qui alia S. Damaſo Opera attribuunt, leguntur enim praeter relatas, & aliae Synodicae Epiſtolae in Conciliorum Generalium collectione inſertae, quas Severinus (*k*) Binius Damaſi eſſe in ſuis notis affirmat. Trithemius quoque, qui ſequentia profert: (*l*) *Damaſus Papa Vir in Divinis eruditiſſimus, & in ſaecularibus literis egregie doctus, Rhetor & Poeta celeberrimus, & in componendis verſibus peritiſſimus, ingenio ſubtilis, vita devotus, atque Sanctiſſimus, Divi Hieronymi Presbyteri amantiſſimus. Scripſit utroque genere opuſcula;* Petrus (*m*) Crinitus haec pariter habet: *Damaſus poemata edidit non vulgari elegantia, & hymnos complures, ut Prudentius, Ambroſius, ac alii ejuſdem ordinis Auctores.*

At vero Romanorum Pontificum Vitae, quas S. Damaſo mox adducti Trithemius, (*n*) Petrus Crinitus, aliique attribuunt, alterius fuiſſe Opus, compertum eſt juxta Baronii ceterorumque eruditorum cenſuram. Baronius haec ait: (*o*) *Sanctus Damaſus inter Scriptores Eccleſiaſticos recenſetur, multa metro edidiſſe traditur, ſed & de Virginitate plures ſcripſiſſe libros tum carmine, tum ſoluta oratione; quae vero fertur nomine Damaſi breviter texta ſeries Vitarum Romanorum Pontificum alterius potius, quam ipſius eſt opus;* quod etiam confirmat, declaratque Antonius Pagius, ubi ſubdit: (*p*) *Liber etiam Pontificalis, ſeu Pontificale tomis Conciliorum inſertum Damaſo perperam attribuitur, ut inter eruditos convenit, quo ad Cathalogum veterum Pontificum, qui in Liberio Papa deſinit, quique Damaſi Chronici nomine a nobis appellatus eſt, Damaſi partum non eſſe recte vidit Baronius.* Non

(i) *Biblioth. Max. PP. tom. 27. pag. 60. Lugduni 1677.* (k) *Binii notae in Concil. General. tom. 2. a col. 860. ad col. 868. Lutetiae Pariſior. 1671.* (l) *Trithemius de Scriptor. Eccleſ. pag. 26. Francofurt 1605.* (m) *Crinitus de Poetis latinis lib. 5. cap. 87. pag. 509. edit. Baſil. 1537.* (n) *Trithem. & Petrus Crinitus ubi ſupra.* (o) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 497.* (p) *Pagius Critic. in univerſ. Annal. Baron. tom. 2. ad ann. 384. pag. 533.*

Non est autem cur de errore isto agamus, a praeclaris etenim illustrium criticorum judiciis praelo commissis ubique improbatur, nempe ab eruditis Praesulibus Johanne (q) Ciampino nostrae olim Basilicae Canonico, Emanuele a Schelestrate Vaticanae Bibliothecae Praefecto, & Francisco (r) Blanchino primum nostrae Basilicae, exinde Liberianae Canonico. Hic autem novissimus Praesul pleniori calamo in sua ad Anastasium Bibliothecarium praefatione errorem detegit inserta ibidem Schelestrati dissertatione. Huic vero aequivoco duae geminae superius indicatae Epistolae, una S. Hieronymi ad Damasum poscentis Cathalogum Vitarum Summorum Pontificum ab eodem Damaso exaratum sibi communicari, altera S. Damasi, qui postulatis annuit, caussam praebuere; commentitiae tamen, & ab Isidoro Mercatore suppositae dignoscuntur, de quibus sequens est Labbaei judicium: (s) *Supposititiae, apocryphae, & ineptissimae Viris doctis habentur, tantumque a stilo Damasi, & Hieronymi distant, quantum Caelum a Terra, & Polus Antarticus ab Artico.*

Hactenus dilucidata satis habeas, Lector, super copia, & distinctione Operum, quae felicissimos ingenii, & pietatis suae partus S. Pontifex posteris reliquit. Monemur jam gradum ad ea facere, quae ad augendum, & propagandum cultus Divini, morumque studium instituit S. Damasus.

Non equidem Sanctorum solummodo Templa, ut superius memoratum est, sed etiam eorum cultum auxit. Multi enim sacri Scriptores existimant, quod primus omnium constituerit, ut alternatim Psalmi die, nocteque in Ecclesiis canerentur, ut refert Anastasius, qui ait: (t) *Hic constituit, ut Psalmos diu, noctuque canerent per omnes Ecclesias: qui hoc praecepit Presbyteris, & Episcopis, vel Monasteriis;* Carmen insuper illud in fine cujusque Psalmi adiici mandaverit, quo trium Divinarum Personarum gloria celebratur, prout ex lectione Breviarii Romani eruitur. Hujus sen-

(q) *Ciampin. in Opusc. examen libri Pontifical. Romae 1688.* (r) *Blanchin. in praefat. ad Anastas. cum suis notis edit. Romae 1718.* (s) *Labbaeus, & Cossartius Conc. General. tom. 2. colum. 862, & 865. Lutetiae 1671.* (t) *Anastas. Vita S. Damasi pag. 30.*

ſententiae ſunt (*u*) Beda, Rabanus, Maurolicus, & Auctor qui ſub Luitprandi nomine latet. Pſalterium quoque emendatiſſimum juxta ſeptuaginta Interpretes labore, & ſtudio Hieronymi elucubratum S. Damaſum Romae, & Occidentalibus Eccleſiis canendum, & recitandum tradidiſſe conſtat ex ipſius S. Hieronymi apologia adverſus Ruffinum, ubi haec habet: *Pſalterium quoque certe emendatiſſimum juxta ſeptuaginta Interpretes noſtro labore Roma ſuſcepit.* His a S. Damaſo acceptis S. Hieronymi lucubrationibus in Pſalterium Davidis, laudem tanti Regis, atque Prophetae his cecinit verſibus a (*x*) Baronio relatis.

In laudem Davidis.

Nunc (y) Damaſi monitis aures praebete benignas,
Sordibus depoſitis purgant penetralia cordis,
Curia cum renovant Chriſto ſervire parati.
Prophetam Chriſti Sanctum cognoſcere debes,
Paſtorem puerum multis e fratribus unum,
Angelus ex ovibus rapuit, Regemque dicavit,
Organa qui ſciret manibus componere ſolus,
Pſallere per Citharam populo caeleſtia Regna.
Ingentem, clypeoque gravi, fruſtraque minantem,
Impium, maledicum, phaleras, ac tela gerentem,
Surdorum demens coleret qui Templa Deorum,
Mactavit ſaxo tereti, truncumque reliquit,
Judicioque Dei ingenti mox caede peracta,
Monſtravit populis, tulerat quae ex hoſte trophaea
Nam Damaſus ſcit Sancte tuos Deus, ipſe triumphos.

Carmina vero S. Hieronymi, quae ad S. Damaſum miſit hic pariter adſcribo, a (*z*) Baronio, & Sarazanio item relata, tametſi dictionis character, ſcribendive ratio S. Hieronymi ſtylo congruere non videatur.

Pſallere (a) qui docuit dulci modulamine Sanctos

No-

(u) *Beda in Martyrol. die 11. Decemb. Raban. in Martyrol. eadem die. Item Maurolicus. Luitprandus de Vita Pontif. ubi de S. Damaſo pag. 42. Moguntiae 1602.* (x) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 499.* (y) *Opera S. Damaſi Carm. 15. pag. 85.* (z) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 499.* (a) *Opera S. Damaſi in notis Carm. 15. pag. 172.*

Noverat iste, decem legis qui verba dedisset:
Quot digitis citharam chordis, totidemque dicavit
Nomina vel signum numerum crux ipsa notaret.
Credere quid dubitas? virtus regit omnia Christi,
Qui varias junxit uno sub carmine linguas;
Ut pecudes, volucresque Deum cognoscere possint:
Hic sonus est Fidei, mentes qui mulcet amaras;
Sic Creatura prior tanto de munere gaudet
Offerat ut Domino salvet quos gratia vocis:
Quisque sitis veniat cupiens haurire fluenta:
Inveniet latices servant qui dulcia mella.
Ores pro Nobis Beatitudo tua Beatissime Papa.

Supra relata tamen Anastasii (*b*) Bibliothecarii assertio, dum S. Damasum usus in Ecclesia Psalmos canendi praefert institutorem, non apud omnes accepta est; reperiuntur enim quamplures alii primae notae Scriptores, qui illam modificant, atque in partem repellunt: existimantes siquidem, quod antequam S. Damasus quidquam de modulatione Psalmorum constitueret, Divina jam Psalmodia pluribus in locis esset in usu. Hujus sententiae est (*c*) Baronius, qui intelligit praefatas auctoritates de aliqua forma a S. Damaso praescripta in Psalmorum recitatione, putans quod Psalmorum cantus non a S. Damaso primum fuerit institutus, sed laudabilem hunc Psallendi usum ab ipsis nascentis Ecclesiae incunabulis in diurna, nocturnaque Psalmodia viguisse. Tametsi vero de sacrae Psalmodiae origine, atque progressu non desint, qui accurate scripserunt, nihilominus paullo distinctius de eadem hic quasi per transennam sermonem instituere non pauca sunt, quae nos admonent. Primum laus, &. gratiarum actio Sancto Pontifici debita, quod si id genus sacri, publicique cantus non invenit, certe de eodem rite modulando normam praescripsit. Item nostri gradus animadversio, Canonicatus nimirum in ipsius Basilica, quo fungebamur, digni-

(b) *Anastas. in Vit. S. Damasi pag. 29. Moguntiae 1602.* (c) *Baron. Annal. ad ann. 384. tom. 4. pag. 429.*

gnitas, & qua ad persolvendum quotidie sacrum hoc Psalmodiae pensum instituti eramus. Postremo hujus nostri operis ratio, cui minime dissentire videtur illa tractatio. Quod autem attinet hymnum gloriae, qui tribus Divinis Personis persolvitur, quemque post singulos Psalmos iterari idem S. Pontifex statuit, subinde de eo verba faciemus.

CAPUT XII.

De Origine, atque Excellentia piarum precationum, & de iis quae circa divinum cultum sancita fuerunt.

DIvini cultus studium a primis Parentibus ad Christi adventum semper extitisse praeter auctoritatem Ecclesiae Patrum, testimonia quoque Infidelium ostendunt. Divinae enim Majestati laudes, tamquam debitae servitutis tributum, ut nascentis orbis simplicitas exigebat, cecinisse primos homines testatur S. Cyrillus (d) Alexandrinus Episcopus, qui cultum Dei ab Adamo inchoasse scribit. Nec controverti posse videtur, quod Ritus divini cultus ad Enos filium Seth, Adami Neptem referatur, quoniam de illo dicit scriptura: (e) *Iste coepit invocare nomen Domini*. Multiplex est autem hujus dicti interpretatio. Sunt qui putant, Enos primum fuisse, qui Deum sub nomine ineffabili invocaverit; alii quod populum coeperit ad publicas Dei laudes, ad publicum cultum cogere; alii demum existimant, Enos certas orandi formulas, certosque ritus, & caeremonias primum omnium invenisse, ideoque dictum est, quod nomen Domini coeperit invocare. Haec divini cultus egregia institutio post consequentes aetates majora in dies accepit incrementa. Sollicito nimirum cultu ultra ceteros tunc mortales fuit Noe ad Deum intentus; successit Abraham postea Pater credentium in fidem: deinde Isaach, & Jacob eximios

(d) *S. Cyrilli Opera tom. 6. contra Julianum lib. 3. pag. 83. Lutetiae 1638. G. L.*
(e) *Genesios cap. 4. vers. 26.*

mios Patriarchas divinarum laudum assidue studiosos extitisse ex divina lectione non est ambigendum.

Post alios equidem Patres, quorum sedula in divinis laudibus diligentia patet, in primis effulget Israeliticae Plebis Dux, & Legislator, qui gentem a Deo electam laudes, & hymnos pangere docuit, adhibitis musicis concentibus, & instrumentis. Sequitur postea vir ille secundum cor Dei, cujus psalmi adhuc versantur in ore Fidelium, & in Ecclesia Dei per omnem consequentis aevi ambitum resonabunt, quod ipse in spiritu praevidens ait: *(f) In Ecclesiis benedicam te Domine, psallam tibi in nationibus, in medio Ecclesiae laudabo, & psallam nomini tuo in saeculum saeculi, ut reddam vota mea de die in diem.*

Haec in Dei populo Psalmodiae observantia perseveravit, donec, Ecclesia Christi sanguine fundata, Prophetarum vaticinia diu expectata adimplerentur, ac succederet umbris claritas, atque figuris veritas. Tunc equidem excellentioribus Sacramentis ditata Religio, solemniori quoque cultu, atque studio fideles, quam licet maximo elaborarunt, ut divino largitori gratias, ac laudes impenderent; ipsumque Redemptorem ad instructionem nostram pernoctasse in oratione, & post misticam Coenam hymnum cum (g) Discipulis dixisse tradunt Evangelistae; quod quidem de Apostolis saepe potissimum apparet. Hora *(h)* enim tertia orantes acceperunt Spiritum Sanctum. Paulus, & Silas in ipso carcere media nocte laudabant Dominum. Hora sexta (i) Petrus ascendit in superiorem aedium partem, ut orationi vacaret; Demum idem, & Johannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam: nec desunt reliqua in Ecclesiae incunabulis testimonia, ex quibus depromere fas est quantum primi Fideles orationi operam dederint, & incumbuerint. Et praeter ea, quae de oratione clarissimi Viri pietate, ac sanctitate insignes tradidere, quae hic omittere necesse est, sunt etiam per plura testimonia ab his quoque, qui pro-

(f) *Psalmis* 25. 107. 21. & 60. (g) *Luc. cap.* 6. *v.* 12. *Matth. cap.* 26. *v.* 30. *Marc. cap.* 14. *v.* 26. (h) *Acta Apostol. cap.* 2. *v.* 12. *cap.* 16. *v.* 25. *cap.* 10. *v.* 9. (i) *Johannes cap.* 3. *v.* 1.

procul ab Ecclesiae septis floruerunt, ex quibus in primis referre consentaneum arbitramur Philonem Judaeum virum, omnium consensu doctissimum. Hic librum scripsit, si Suidae testimonio stemus, cui titulum posuit de Vita Christianorum, quem alii intitulant de Vita contemplativa, sive de virtutibus supplicum, quorum nomine etsi nonnullis Criticis dissentientibus Christianos Alexandriae B. Marci discipulos Patres aliquot intelligunt, quorum mores narret, qui orando, & supplicando tempus omne transigerent. Verum hoc omisso, se offert Lucianus (*k*) Samosathenus cognomento Atheus, qui in Dialogo quodam postquam ore sacrilego Christi Religionem impudenter irrisit, Christianos in fine conviciatur ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes. Ammianus (*l*) item Marcellinus Christianorum in Ecclesia pernoctationes commemorat. Videtur itaque nulla prorsus aevi particula a Mundi creatione, ut superius diximus, extitisse, qua a Dei laudibus cessaretur; adeo ut sacra divinarum laudum modulatio aequales cum Angelis sortita natales creverit: sub Patriarchis excellentius floruit, non sub Pelagio II., ad quem per maximum errorem precis horariae institutionem tribuunt aliqui, sed nascente Ecclesia Apostolorum constitutionibus firmata. Et quidem nocturnas vigilias, laudes Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas jam ab ipsis Apostolorum temporibus in usu fuisse constat.

Id etenim vetustissimus Auctor, sub Clementis nomine in Apostolicis Constitutionibus comprobat, qui ex Apostolorum praescriptis, mane orandum esse praecipit; gratias agentes, inquit, quod Dominus illuminavit nos, nocte sublata, & reddito die. Hora etiam Tertia, quod ea hora Pilatus judicium adversus Dominum pronunciavit. Sexta quod ea hora in Crucem actus est. Nona quod tunc natura universa commota, & tremefacta est Domino crucifixo. Vespere quod noctem dederit ad requiescendum a diurnis laboribus. Ad Galli cantum quod

(k) *Lucianus in Dialog. Philopatris tom. 4. pag. 479. Basileae per Sebastianum Henrici Stephani.* (l) *Ammianus Marcellin. lib. 28. in fine cum notis Valesii, Parisiis 1681.*

ea hora nunciet adventum Dei ad facienda opera lucis. De Completorio autem non meminit, quoniam a Divo Benedicto initium habuit, & ab ipso praeclarissimo Sancto primum fuit institutum, quod etsi aliqui non usquequaque eruditis inficiantur, stabilitur tamen solidis auctoritatibus, ac rationibus a Cardinali *(m)* Bona in ejus tractatu de divina Psalmodia.

Verum est tamen longo postmodum temporum decursu non defuisse, qui ausi sunt publicam horarum Canonicarum recitationem irridere, & calumniari, asserentes supervacanea esse tot Officia ad honestam dumtaxat Religiosorum in otio, & inertia languentium occupationem inventa, ac melius esse in Ecclesiae utilitatem, in studiis literarum, in praestantissimis caritatis operibus se exercere, quam die, nocteque incumbere cantui, & Psalmodiae. Sed nonne Viri Choro jugiter mancipati, infinita pietatis opera exercuerunt, & exercent, ac plura Posteris reliquerunt, & relinquunt doctrinae monumenta? Sancti profecto veteres Ecclesiae Patres solemnem Divini Officii recitandi morem numquam otiosorum occupationem dixere, quin potius Caelestium Spirituum divinas jugiter laudes canentium imitationem. Nec video cur Ecclesiasticus cantus irrideri possit, cum tot Ecclesiae Proceres, tot Praesules, & Antistites, tot sanctitate insignes Viri, tot illustres Dominici Agri Cultores non sine animarum fructu, & proximi utilitate, ac aedificatione obnixe eodem utantur; cum tot Cathedralium, Basilicarumve insignium Canonici, scientia, ac natalibus clarissimi, morem hunc publice psallendi statutis horis coluerint? Et jure merito, quoniam psalmodia illa est, quae maximas Dei laudes continet, nostrae Religionis arcana item commemorat, contemplationem nutrit, gignit amorem, perfectam orandi formam exercet, delicias spirituales subministrat, ac caelestis gloriae in terris felicitatem quamdam exhibet.

Exordium tamen divinarum laudum, ac in eisdem exercitatio non ad solos homines spectat; ejus siquidem initium subli- mius

(m) *Card. Bona de divin. Psalmod. cap. 11. pag. 226. Parisiis 1663.*

mius eſt, & a nobilibus Creaturis; Nam Propheta (*n*) Iſaias commemorat, cuſtodes conſtitutos ſuper muros Caeleſtis Hyeruſalem, qui non taceant die, ac nocte laudare nomen Domini. Seraphicos (*o*) item Spiritus apud eumdem, & in Apocalypſi reperimus, qui alterna modulatione clamabant: (*p*) *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis Terra gloria ejus*. Quae ſuperius Iſaiae relata verba interpretans Sanctus Johannes Chryſoſtomus haec habet: *(q) O mira Chriſti dona! In ſupernis exercitus Angelorum canunt gloriam, in terris homines in Eccleſiis choros agentes ad illorum exemplum eadem canunt laudis cantica. In ſupernis Seraphim ter Sanctum illum hymnum clamant: in terris eumdem hominum promit multitudo, communiterque tum caeleſtium, tum terreſtrium feſtivus conventus congregatur.*

Nec ſemel Angelos pſallentes hominibus viſos eſſe ex Eccleſiaſtica hiſtoria compertum eſt; habetur enim apud (*r*) Bollandum in Actis S. Ignatii, eidem duos Angelos hymnos, & verſus concinentes apparuiſſe; exinde S. Patriarcha in ſua Antiochena Eccleſia hanc pſallendi formam praeſcripſerit, in alias deinde Eccleſias diffuſam. Caſſianus (*s*) quoque alterum exhibet hujuſmodi exemplum, quod apud ipſum require.

Sed ne extra metam, & propoſitum ad incoeptum opus pertexendum excurramus, reditus proinde nobis ſit ad inſtitutum, atque praefixum ſcopum, & ſacrae Pſalmodiae tractationem reordiamur, de cujus primordiis exortu, ac excellentia cum jam egerimus, illud recto ordine procedentibus dumtaxat eſt reliquum, ut recenſeamus quot varia nomina illi impertita fuere, cur myſtica ſeptenarii numeri diviſione complectitur, ac quam maxime in perſolvendis divinis laudibus in Orthodoxis Eccleſiis extiterunt varietates, quae omnes fere nunc in unum redactae ſunt.

CA-

(n) *Iſaias cap. 62. v. 6.* (o) *Idem cap. 6. v. 3.* (p) *Apocalypſ. cap. 4. v. 8.* (q) *S. Johan. Chryſoſtom. tom. 7. Homilia in Iſaiam pag. 95. edit. Monſfauconii Congr. S. Mauri.* (r) *Bolland. ad diem 1. Januarii.* (s) *Caſſian. lib. 2. Inſtit. cap. 5.*

CAPUT XIII.

De divino Officio, ejusque nomine, & notione; Mysterium Numeri septenarii. Ritus precandi varius etiam apud Ethnicos. Horae nocturnae. Editio Breviarii Romani, & castigatio per S. Pium V.

QUotidianae laudationis obsequium, quod Majestati divinae persolvere pro tot in nos collatis beneficiis adstringimur, Officii Divini nomine antiquiores Ecclesiae Patres merito nuncuparunt. Sonat enim apud Latinos hoc vocabulum id, quod quisque debet efficere, habita ratione locorum, temporum, ac personarum; nam ut notat S. Ambrosius, (t) dicitur Officium, una nempe prima immutata litera ob decorem sermonis, quasi efficium ab efficiendo: inde titulum de officiis acceperunt libri tres ejusdem Praesulis Mediolanensis, totidemque Ciceronis. Importat quoque Officii nomen apud Svetonium (u) honorem, & obsequium, dum ait de Cajo Caesare: *Assidentem conjurati specie officii circumsteterunt.* Alii horarias preces, cursumque divinum vocarunt laudes, quas Deo reddimus, vel a cursu solis desumpto vocabulo, vel quia legendo, & canendo percurruntur, ut testimonium perhibent sequentia S. Bonifacii verba: (x) *Speciales horas, & cursum Ecclesiae custodiant.*

Alii vero vocant Officium Synaxim, quod passim invenitur apud (y) Cassianum a verbo Graeco, quod colligere, seu congregare importat, quia ad psallendum colliguntur in unum, & congregantur divinas laudes recitandi gratia. Eademet porro ratione ab aliis nuncupatur Collecta. Sic in Vitis Patrum asserit (z) Ruffinus.

Sanctus Benedictus Officium divinum appellat opus Dei; opus

(t) *S. Ambros. de offic. lib. 1. cap. 8.* (u) *Sveton. in Vita Caii Caesaris.* (x) *S. Bonifac. Epist. 17. in Bibliothec. Patrum Parisiensi tom. 16. pag. 54.* (y) *Cassian. lib. 3. cap. 10. & collect. 15. cap. 1.* (z) *Ruffin. lib. 2. de Vit. Patrum cap. 29.*

opus nimirum, quod erga Deum devota mentis actione praestare debemus; de quo ait Scriptura: *(a) Opus justi ad vitam. Maledictus, qui facit opus Domini fraudolenter.* Impertitum postremo est Officio nomen Canonicarum horarum, quoniam Patres Ecclesiae tempus, & horas, quibus praedictum Officium recitandum est, sacris Ecclesiae Canonibus constituerunt; ad asservandam nimirum nostrae Redemptionis memoriam, septies in die laudes Deo persolvere statutum est; juxta hos vulgatos Glosae *(b)* versiculos.

Haec sunt, septenis propter quae psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat;
Prima replet sputis; Causam dat Tertia mortis;
Sexta Cruci nectit; Latus ejus Nona bipertit;
Vespera deponit; Tumulo Completa reponit.

Primis Ecclesiae saeculis duo inter se opposita Haereseos genera suborta memorantur, quae versabantur circa originem, & methodum humanas preces Divino Numini repraesentandi. Nitebantur alii supplicationem Deo, precesque in omne tempus incessanter esse emittendas, juxta illa verba S. Lucae: *(c) Oportet semper orare, & non deficere.* Conati sunt alii ex adverso stabilire nullam esse temporis partem, in qua orare, & precari sit Fidelibus necessarium, sed libere, & pro sua quisque voluntate posse quaslibet horas eligere ad pias precationes ex animo effundendas.

Ut ea errorum semina Ecclesia Romana de medio tolleret, instituit horas Canonicas ex Sanctorum Patrum, & hominum sapientissimorum sententia, atque adeo Conciliorum praescriptis. Ut itaque nulla fere diei in suas horas divisi pars pia supplicatione vacaret, indictae sunt preces publicae, atque privatae, praesertim sacris Ordinibus initiatis; ad eum modum die Ecclesiastico distributo, ut nulla fere ejusdem pars a pia precatione vacua relinqueretur; & hujusmodi quidem preces sunt, quae

(a) *Proverb.* 10. *v.* 16. *Jerem.* 48. *v.* 10. (b) *Glos. in cap.* 1. *de celeb. Missar.*
(c) *Evang. Luc. cap.* 18. *vers.* 1.

quae Matutini, Primae, Tertiae, Sextae, Nonaeque horae; tum Vesperis, & Completorii nomine nuncupantur.

Nec vero sine gravi caussa, & prudenti consilio institutum est ab Ecclesia, ut praescriptae diurnis horis divinae preces numerum septenarium prae reliquis sequerentur: constat siquidem ex sacris literis eum numerum praecipuo quodam in honore fuisse habitum, eidemque in rebus sacris designandis plurimum attributum. Huc referas septem divini Spiritus dona; septem tubarum clangorem, quo Jerici moenia quatefacta conciderunt; Orationis Dominicae petitiones item septem: & uti in sacra Scriptura reperitur, quod septies cadet Justus, & resurget, ita idem Justus septies in die laudem dicit Domino, ut tentatus resistat, & post lapsum resurgat.

Accedit Sanctorum Patrum, & sacrorum Divinae Scripturae Interpretum auctoritas, qui declarandae, atque stabiliendae septenarii numeri praerogativae plurimis, gravissimisque animadversionibus certatim collaborarunt. Eas vero hic enumerare, nedum pro dignitate exponere, atque perpendere prolixioris esset operae. Occurrunt vero ejusmodi documenta, passimque sunt omnibus obvia in eorumdem Sanctorum Patrum scriptis, quorum Elenchum adscribimus, praecipue vero ex Operibus *(d)* S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Augustini, & S. Hieronymi. Cum igitur tot praerogativis septenarium insignitum sit, merito primi Ecclesiae Patres hunc numerum divinis pariter laudibus celebrandis consecrarunt.

Praetermissis interea iis, quae ab Ethnicis quoque, ac Infidelibus, ipsisquemet Turcis mutuari possem, quoad observantiam ritus designandi certas horas die, noctuque in precibus fundendis, sacrisque peragendis ad suorum cultum Deorum, Daemonumque latriam, tamquam profana potius, & absona ab instituto, satis compertum est, Christianos summi veri, Omnipotentis Dei cultores in hoc vigilandi studio, ut ipsius Dei laudes

(d) *Basilius Homil. 11. in Hexamet. divini Officii. Nazianzen. orat. 94. Augustin. lib. 11. de Civit. Dei cap. 31, & lib. 1. de Gen. contra Manich. Hieronym. Epist. de celeb. Paschae, & lib. 6. comment. in Jerem. cap. 32, & Isa. lib. 7. cap. 22, & Amos lib. 2. cap. 3.*

des celebrarent, ac beneficia commemorarent, haud parum sedulos, vel non minus sollicitos extitisse. Quot enim graves acciderunt primis Fidelibus consternationes ob nocturnos coetus? Quot olim calumniis primo, ac secundo Redemptionis nostrae saeculo Christiani ab Ethnicis fuerint exagitati, usquequaque prorsus patet ex Tertulliani, Athenagorae, Arnobii, Justini, & Minutii Felicis Apologeticis. Exinde sacrae vigiliae ab ipsis nempe Apostolorum temporibus originem duxisse videntur, quod tamen haud dubie illis longe antea primordium fuit, quoniam in veteri testamento non optantur exempla, quibus vigiliarum usus commendetur. Inter alia emicant (e) Abraham de nocte consurgens. Isaac immolaturus ascendit in montem. Jacob noctu scalam mysticam videre meruit, & luctatus cum Angelo usque mane caelesti benedictione repleri. Noctu eduxit (f) Dominus filios Israel de Aegypto. Samuel Propheta oraturus pro Rege clamavit ad Dominum tota nocte. Gedeon cum (g) trecentis viris, incipientibus vigiliis noctis mediae, turbavit castra Madian, & in fugam vertit. Judith exibat (h) nocte ad orandum. David (i) lavabat lacrymis lectum suum per singulas noctes, & stratum suum rigabat; media nocte surgebat ad confitendum Domino. Quaesivit Deum nocte, & non est deceptus. Alios etiam ad partes ejusdem gratiae exortatus est, inquiens: (k) *In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum.*

In novo pariter Testamento quot exempla ad vigilandum, ac per noctem orandum reperimus! Nasci dignatus est Dominus nocte media, dum Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Multis in locis apud sacros (l) Evangelistas vigilandae noctis admoniti sumus. Quid plura? ipse Dominus pernoctat in oratione Dei, ut prius nos oratione liberet, quam redimat passione.

(e) *Genes. cap. 22. v. 3, & cap. 32. v. 12.* (f) *Exod. cap. 12. v. 42. Regum lib. 1. cap. 15. v. 12.* (g) *Judicum cap. 7. v. 19.* (h) *Judith cap. 12. v. 5.* (i) *Psal. 6. v. 6.*
(k) *Psal. 133. v. 3.* (l) *Luc. cap. 2. v. 8. Matth. cap. 24. v. 20. Marc. cap. 13. v. 18. Luc. cap. 6. v. 12.*

ne. Etsi pro nobis Dominus vigilavit, merito nos, qui servi sumus, pro Domino totis viribus vigiliis, orationi, ac ejusdem laudibus recitandis incumbere debemus. Notissima est illa Salvatoris exhortatio: (*m*) *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem; & quis hoc dixerit scitis*, ait (*n*) S. Bernardus, *& tempus scitis; Domini enim est verbum istud instante jam Passione sua.*

Fuere tamen quidam Sectarii, somniculosi communiter nuncupati, & ab (*o*) Isidoro Nyctages, qui nocturna sacra, aliosque Ecclesiae ritus circa vigilias impudenti temeritate irriderent, ajentesi superstitiosum esse jura temerare divina, quae noctem ad quietem tribuerunt. Horum praecipuus fuit Vigilantius, impurissimus Haeresiarcha, sui nominis hostis, ac eversor, quem refellit (*p*) S. Hieronymus, ac lepide vocat Dormitantium. Polidorus (*q*) Virgilius, scriptor in pluribus futilis, & ineptus, ait, nocturna sacra ob periculum impudicitiae fuisse damnata; sed quam insane loquatur depraehendere licet ex eo, quod nullum frequentius exercitium, atque non alia magis vulgata pietas in primis Christi Cultoribus, quam sacrae pernoctationes, ac pervigilia, ad quae passim Fideles in Ecclesiis convenisse Sancti Patres, & Historiographi commemorant. At de iisdem vigiliis, quod ad historicam veritatem pertinet, legendus (*r*) Baronius in Annalibus, & in notis ad Martyrologium Romanum. Nunc autem refrigescente caritate, quoad laicos vigiliae sunt sublatae. Legitur sane apud sacros Auctores, quod olim Fideles, tribus vigiliis tres matutinos nocturnos divisim in nocte persolvebant, quarta autem vigilia laudes recitabant. Adeoque vehemens tunc erat ardor caritatis, ut Fideles quater ad orationem in nocte surgerent, ad cujus rei uberiorem cognitionem videri potest S. Thomas, Suarez, & Baronius. Hoc ipso tempore tres Nocturni simul cum Laudibus recitantur, & quidem a multis Regularibus media nocte, ab aliis pri-

(m) *Matth. cap. 26. v. 41.* (n) *Bernard. serm. 5. in psal.* Qui habitat, *tom. 1. col. 841. edition. Mabillonii Congreg. S. Mauri.* (o) *Isidor. lib. 8. orig. cap. 5.* (p) *Hieronym. Epist. 53.* (q) *Polidorus Virgil. de invent. rerum. lib. 6. cap. 4.* (r) *Baron. Annal. tom. 1. ad ann. 51. num. 68, & tom. 8. ad ann. 59. num. 36, & 37. In Martyrolog. die 5. Januar.*

prima vigilia, ab aliquibus vero tertia circa Galli cantum: a Clericis vero Saecularibus circà finem quartae vigiliae, vel saltem juxta cujusque nationis, & Ecclesiae morem; alios nimirum usus Ecclesia Romana colit, alias Parisiorum Ecclesia consuetudines observat, alterasque habet Ecclesia Mediolanensis: reperiuntur siquidem dispares, dissimilesque in recitandis Officiis diversarum Ecclesiarum institutiones, ac consuetudines: eo potissimum, quia veluti Gentium, atque Nationum mores diversos esse constat, ita ad actus Religionis, & cultum divinum diversis utuntur institutis; quae, illaesa Orthodoxae Fidei incolumitate, & integritate, vix possunt omitti, vel auferri. Maxima etenim semper viguit Ecclesiarum libertas in sacris caeremoniis, ac in ritibus circa cultum psallendi, & orandi, profluens ex illa spirituali libertate, quam Christus dilectae Sponsae morte sua vindicavit. Non enim conveniunt singula singulis. Quaedam *(s)* alicubi observantur, quia nullum ibi vitium accessit; alibi vero eadem ob exortum vitium sunt profligatae, ipsaque temporis ratio efflagitat saepe nova quaedam introduci, vel aboleri; quod enim neque contra Fidem, neque adversus bonos mores habetur, indiscriminatim propter eorum, inter quos vivitur, societatem, est sectandum, ne per observationum varietatem schismata oriantur. Refert *(t)* S. Augustinus sibi dubitanti de variis, ac diversimodis Ecclesiarum observationibus dixisse S. Ambrosium, ad quam forte Ecclesiam deveneris, ejus morem serva, si cuipiam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. De eodem S. Ambrosio, item apud *(u)* Baronium legitur, quod rogatus de jejunio Sabbati sic respondit, aliarum Ecclesiarum consuetudini non detrahens suam servaret, Sabbatoque jejunaret, dum Mediolani esset; Romae autem dum moraretur, Romanae servaret Ecclesiae consuetudinem, quam summa semper coluit observantia: nam de his aliquando agens, haec addit verba: *(x)* *In omnibus cupio sequi Romanam Ecclesiae*

(s) *S. Isidorus de Ecclesi. Offic. lib. 1. cap. 43.* (t) *Augustin. Epist. 118. ad Januar.* (u) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 502.* (x) *S. Ambros. de Sacramen. lib. 3. cap. 1.*

cleſiam. In his porro, in quibus divinae Scripturae, vel Mater Eccleſia nihil ſtatuere, mos Populi Dei, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt; & uti inquiunt Sacri *(y)* Canones, ſcit Sancta Romana Eccleſia, quod nihil obſunt ſaluti credentium diverſae pro loco, & tempore conſuetudines. At veluti quidquid humanum, ac mundi eſt, multis erroribus ſolet eſſe obnoxium, ac depravari plerumque, & in deterius labi, ideo in expoſitione divini Officii repentinas novitates viſa eſt pars maxima Eccleſiaſticae Hierarchiae admittere: tantaque paullatim irrepſerat in divinis laudibus licentia, ut ſinguli Epiſcopi, inſcio Romano Pontifice, privatos ſibi ritus aſſumerent, non ſine magna divini cultus perturbatione. Hanc nimis exuberantem precandi, ac pſallendi varietatem aegro animo ferens S. Pius V., Romanum Breviarium magno ſtudio emendatum, atque juxta Tridentini Concilii Decretum priſtino nitori reſtitutum pervulgari juſſit, eoque ex ritu ſolemni, ac conſueto ſic correcto omnes Orbis Eccleſias uti praecepit; quaecumque vero alia Breviaria abolevit, iis dumtaxat exceptis, quae vel a S. Sede Apoſtolica jam a primaeva inſtitutione approbata, vel a ducentis annis antiquiora fuiſſent. Itaque reliqua omnia ſunt Breviaria antiquata, & varietates, quae irrepſerunt, multis in locis ſublatae extiterunt, & divini Officii diverſitates ad multo minorem numerum redactae ſunt.

CA-

(y) *Diſtinct.* 11. *cap.* 7, & 8. *Diſtinct.* 12. *cap.* 3, & 12.

CAPUT XIV.

De Hymno Glorificationis Divinarum trium Personarum in fine cujuslibet Psalmi a S. Damaso constituto.

IN undecimo hujus libri capite recensuimus Scriptores fide dignissimos, qui praxim Ecclesiae Doxologiae in fine singulorum fere Psalmorum addendae, & modulandae ad S. Damasum referunt. Verum quoniam non defuerunt viri gravissimi, qui hoc ipsum in controversiam vocarunt, hanc etiam a nobis laboris partem suscipi aequum est, ut ad ejus elucidationem quaestionis, eorum placita referamus, atque in quam potissimum partem sit inclinandum exponamus.

Nemo profecto Orthodoxos inter ignorat ab ipsis Apostolorum temporibus Fideles in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizari consuevisse: exinde patens est, Apostolos tres Divinas Personas hoc eodem hymno conglorificare coepisse, quem antiqui Ecclesiae Patres hymnum Glorificationis vocarunt. Quamobrem in errorem lapsi sunt aliqui in primis, qui ex (z) Theodoreto, Sozomeno, Nicephoro, & Tripartita historia, Flavianum Monachum Antiochenum hymni hujus putant esse auctorem. Cum enim imperante Constantio, Orthodoxi Patrem cum Filio pari gloria celebrarent, Ariani vero ambiguis locutionibus Filium Patre inferiorem esse ostendere niterentur, Flavianus, ut praeallegati Scriptores inquiunt, coacto Monachorum coetu clara voce cantavit *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Sed auctoritate Sanctorum Athanasii, & Basilii constat hunc hymnum antiquiorem esse Flaviano, quoniam hi duo Sancti Patres, qui ante aevum Flaviani floruerunt, hunc hymnum commemorant; nimirum S. Athanasius his verbis: (a) *Cum surrexeris a mensa, rursus gratias agendo trinis vicibus dicas; Miserator, & misericors Dominus escam dedit timentibus se;*

(z) *Theodoret. Valesio interprete lib. 2. cap. 24. pag. 105. Parisiis 1673. Sozomenus Valesio interprete lib. 3. cap. 19. Parisiis 1668. Nicephor. lib. 9. cap. 24. Tripartit. lib. 4. cap. 35.* (a) *Athanas. lib. de Virginitate sive de Meditat.*

se; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; rursumque post peractam glorificationem preces tuas absolve. Basilius duobus in locis hymni hujus Glorificationis mentionem facit: primum quippe haec habet: *(b) Proinde quod a Majoribus nostris dictum est, & nos dicimus, Gloriam esse communem Patri cum Filio, quapropter & Glorificationis hymnum Patri simul cum Filio offerimus*. Secundo clarius de eodem hymno haec subdit: *Professionem Fidei veluti initium quoddam Glorificationis fecimus; sed quid faciendum est? nunc credimus. Dictum est igitur nihil referre ad sensum, sive dicas; Gloria Patri, & Filio cum Spiritu Sancto, sive dicas; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;* Haec Basilius.

Errarunt & alii, qui post Vualfridum Strabonem *(c)* a magna Synodo Nycaena compositum fuisse hunc hymnum asserunt: Cardinalis *(d)* Baronius siquidem a Nicaenis Patribus Glorificationis hymnum non esse inventum pluribus auctoritatibus, ac rationibus ostendit. Sane ut Ariani Baptismi formam corruperant, ita Glorificationem; ut dicerent Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto. Et cum iidem Ariani ore sacrilego assererent, fuisse tempus, quando Filius non erat cum Patre; adversus hanc sceleстam, impiamque loquelam decrevit Nicaena Synodus, ut ad antiquam Glorificationem appendix illa adderetur, scilicet: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in saecula saeculorum, amen;* quod quidem fuit pariter sancitum in primo Concilio Valensi, seu Vasatensi, sed verius Vassionensi in Gallia, quod paullo post Nicaenum, tempore Constantii Imperatoris, sub Julio Papa coactum est, licet ejus Canones confusi existant cum Vasionensi secundo sub Leone Magno. Verum enim vero, uti hunc Glorificationis hymnum non fuisse inventum a Nicaena Synodo superius memoratum est, ita etiam asserit Cardinalis *(e)* Bona non fuisse ab eadem Synodo statutum, ut in fine cujuslibet Psalmi concineretur. Nam, ut praefatus Auctor inquit, cum fuerint post Concilium Nicaenum de

(b) *Basilius lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 7.* (c) *Vualfridus de rebus Eccles. cap. 25.* (d) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 382. pag. 463.* (e) *Bona de divina Psalmodia cap. 16. §. 6. pag. 338. Parisiis 1663.*

de hoc hymno diversae diversarum Ecclesiarum consuetudines, exinde consentaneum existimat credere, nullam universalis Ecclesiae fuisse communem praeceptionem, a qua proculdubio nullus Fidelium deviare praesumpsisset. Fateor tamen me invito animo cogi ad alio deflectendum a sententia Cardinalis Bonae, cujus ceteroqui eruditionem, ac doctrinam plurimi quidem faciendam duxi, prout ostendi in praepositis tribus capitibus, in quibus ab ejusdem opinione nunquam secessi; sententia siquidem tot Scriptorum eximiae auctoritatis, qui legem hanc addendi hymnum Glorificationis ad Sanctum nostrum Damasum referunt, a quo editam sanctionem ajunt suadente, & procurante D. Hieronymo, nobis non videtur aspernanda, cum iidem Auctores fulciantur auctoritate vulgata Ecclesiae Romanae, quae in lectionibus Breviarii Romani aperte ansam omnem dubitandi dirimit, circa tempus, & Summum Pontificem Romanum, vel Concilium Oecumenicum, qui statuerunt hanc legem psallendi in fine Psalmorum hymnum Glorificationis: En verba Breviarii: (*f*) *Damasus &c. statuit, ut in fine cujusque Psalmi diceretur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; cui prae ceteris auctoritati nobis est acquiescendum, & quamvis inter apocripha scripta ea S. Hieronymi (*g*) Epistola ad S. Damasum connumeretur, quae habetur primo tomo Conciliorum in rebus Damasi, in qua haec leguntur: (*h*) *Precatur ergo Cliens tuus, ut vox ista psallentium in Sede tua Romana diu, noctuque canatur, ut in fine Psalmi cujuslibet sive Matutinis, sive Vespertinis horis conjungi praecipiat Apostolatus tui Ordo Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, ut existimant Cardinales Baronius, & Bona, non proinde labefactatur robur, & fides tot in adversam partem Scriptorum, & Breviarii Romani lectionum, quibus adhaerendum esse, merito arbitramur. Ceterum ancipiti animo de hac re ambigere nemo potest, cum idipsum testentur Acta Concilii Romani, auctoritate S. Damasi anno reparatae salutis 382. coacti,

(f) *Lect. Breviar. die 11. Decemb.* (g) Oper. S. Hieronym. *cum notis Mariani Victorii Episcopi Reatini tom. 9. pag.* 218, *&* 219. *Parisiis* 1643. (h) *Concil.Gener. Labbaei, & Cossartii tom. 2. ad ann.* 367, *& notae Binii col.* 868. *Parisiis* 1671.

cti, a Baronio relata in hanc sententiam: (*l*) *Decretumque ibi ponitur, quo jubetur in fine cujusque Psalmi apponi: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto;* illud porro de hoc Glorificationis hymno evidens est, quod ab Apostolis inventus, a Patribus Nicaenis auctus, ab universa Catholica Ecclesia receptus, omni reverentia celebrandus est.

C A P U T XV.

De voce Alleluja, *quae sub S. Damasi Pontificatu ab Ecclesia Romana frequentari incoepit, ac de praestantia ejusdem Cantici.*

SUperest, ut non nihil differamus de Cantico, & voce ipsa *Alleluja*. Ad id impellimur, quoniam primae notae Scriptores aliquot ejus vocis usum percrebuisse opinantur, cantarique consuevisse non solum tempore S. Damasi, verum etiam ejusdem sanctione.

In Opere quod de vita, & morte Prophetarum inscribitur, quodve diu subdititio S. Epiphanii nomine apud nonnullos fuit receptum, asseritur: Aggaeum Prophetam primum fuisse, qui *Alleluja* cecinerit anno ante adventum Christi 417. cum novam Templi structuram vidit, ut adimpleretur, quod Venerabilis Tobias Divino afflante Numine praedixerat his verbis: (*m*) *Ex lapide candido, & mundo omnes plateae Hierusalem sternentur, & per vicos ejus* Alleluja *cantabitur;* nec alibi in tota serie veteris Testamenti, exceptis (*n*) Psalmis, & memorato libro Tobiae vox *Alleluja* reperitur expressa. (*o*) Cassiodorus vir clarissimus *Alleluja* asserit habuisse initium a Psalmo centesimo quarto; nec ante a quopiam testatur se reperiisse positum; at in nova lege S. Johannes (*p*) audivit in Caelo supernarum virtutum Agmina psallentia, & dicentia *Alleluja*, ut inde agnoscamus in novam Chri-

(l) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 382. pag. 463.* (m) *Tob. cap. 13. vers. 22.* (n) *In initio Psalm. 104, & sequent. aliorum Psalm. qui sunt 20.* (o) *Cassiodor. in Psalm. 104.* (p) *Apocal. cap. 19. vers. 1. 3. 4. & 6.*

Chrifti Ecclefiam e Caelo nobiliffimum hoc canticum *Alleluja* defcendiffe.

In errorem lapfum effe Durantum affirmat *(q)* Cardinalis Bona, cum admoneat *Alleluja* effe vocem graecam Bedam credidiffe; verum Beda manifefte dicit vocabulum effe hebraeum, & inter hebraica nomina ipfum ponit in libello de eorumdem interpretatione, & alibi Beda ejufdem cantici *Alleluja* referens arcana, rectiffime ait, & pulcherrime generalis Sanctae Ecclafiae mos inolevit, ut hoc divinae laudationis carmen propter reverentiam primae auctoritatis a cunctis per orbem Fidelibus hebraea voce cantetur. Demiratur praefatus Cardinalis Bona Anfelmum (*r*) Cantuarienfem Epifcopum, fi tamen ipfi hoc dixit, cum de genvina ejufdem Sancti lectione hic valde ambigendum fit, fcripfiffe *Alleluja* non effe vocem alicujus linguae, fed Angelicam, quae non habet propriam interpretationem in aliqua lingua: *(s) Miror, inquit, virum doctiffimum non vidiffe antiquorum Patrum commentaria afferentium genvinam hujus nominis fignificationem. Sed omnis homo aliquid humanum patitur, & quandoque bonus dormitat Homerus.*

Rupertus (*t*) Abbas Tuitienfis ait canticum *Alleluja* latinae linguae peregrinum nomen effe, cujus myfterium, velut quod- dam gaudii ftillicidium, de divitiis fupernae Jerufalem primum in mentem Patriarcharum, & Prophetarum, poftea in Apoftolorum ora plenius per Spiritum Sanctum delapfum eft. Quid autem latinae fignificet hoc hebraicum nomen *Alleluja* Johannes Lorinus, *(u)* & Ludovicus ab Alcazar abunde fuppeditant: inquiunt nimirum hi Auctores, legitimum hujufce vocis fenfum ex hebraico idiomate accipiendum effe; neque *Alleluja* unam fimplicem dictionem praeferre, fed e duobus vocabulis componi, nempe *Hallelu*, & *Jah*; quod fonat laudate Deum cum jubilo, laetitia, & cantu. Porro *Hallelu*

idem

(q) *Bona de divina Pfalmod. cap. 16. §. 7. pag. 343. Durantus lib. 2. de Ritibus Eccl. cap. 20. pag. 315. Parifiis 1624. Beda Homil. in Dominica poft Afcenf.* (r) *Anfelm. in cap. 19. Apocalyp.* (s) *Bona de divin. Pfalmod. cap. 16. §. 7. num. 3. pag. 343.* (t) *Rupertus l.1. de divin.Offic. c.35,& l.4. c.8.* (u) *Lorinus in Pfal.104. Alcazar in Apocal. c.19.*

idem est, ac laudate, vocem extollite cum laetitia; verbum quidem *Jah* unum est apud Hebreos ex decem nominibus Dei; quamobrem *Alleluja* importat jucundam exhortationem ad laudes Dei celebrandas, quae cum unico verbo latino exprimi nequeat, majores nostri primitivam hebraici vernaculi nomenclaturam asservarunt.

Plures sacri Scriptores, ut indicavi, existimarunt hanc vocem ex Jerosolimorum Ecclesia Romanam accepisse, praecepto, atque auctoritate S. Damasi, quam sententiam secutus est S. Gregorius, cujus en verba: (x) *Ut Alleluja hic diceretur de Jerosolimorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione tempore beatae memoriae Damasi Papae traditur tractum*. Id tamen caute intelligendum esse animadvertit Cardinalis (y) Bona; non enim coepit eo tempore in Ecclesia Romana cantari *Alleluja*, sed cum tempore tantum Paschali caneretur, tunc sancitum est, ut etiam extra illud usu haberetur. Idem putat Cardinalis (z) Baronius inquiens, non sic accipienda esse verba S. Gregorii, ut aevo S. Damasi credatur Romae cani inchoatum esse *Alleluja*, sed ita intelligendum, ut caneretur extra tempus Paschale; nam hujus vocis usum Romae perantiquum fuisse pluribus Sanctorum Patrum auctoritatibus evincitur; affirmat enim (a) S. Augustinus non recentiori usu, sed antiqua traditione ab Ecclesia Catholica toto Orbe diffusa *Alleluja* cantari solitum. Ceterum peculiarem quemdam ejus vocis usum ab Ecclesia Jerosolimitana, hortante S. Hieronymo, Romanam accepisse opere S. Damasi verbis S. Gregorii supra relatis reputandum est. Diversas siquidem, ac varias extitisse in pluribus Orbis Catholici Ecclesiis consuetudines circa usum vocis *Alleluja* idem (b) S. Augustinus ad Januarium scribens testatur; & alibi tradit certis tantum diebus moris fuisse solemniter decantari, atque ab eo cantico cessari Quadragesimae tempore: tunc enim intermittendum

---

(x) *S. Gregorius Epist. lib. 7. Epist. 63, & 731. quae, & apud Johannem Diaconum lib. 2. cap. 21. Vit. S. Gregor. ann. 593.* (y) *Bona de divin. Psalmod. cap. 16. §. 7. pag. 345.* (z) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 500.* (a) *S. August. in Psalm. 106.* (b) *August. Epist. 119, & in Psalm. 106, & 110, & 116.*

dum esse sanxerunt Magistri Ecclesiae, ut nova ejus repetitio majorem, gratioremque Paschalibus solemnis honorificentiam, ac splendorem reddat.

Quidam (*c*) Sozomenum secuti putarunt Ecclesiam Romanam non nisi semel in anno canere consuevisse *Alleluja*, nempe in die dumtaxat Resurrectionis, cujus erroris auctor fuit haeresiarca Vigilantius, qui conatus est hanc opinionem Jerosolimis inducere, quem iccirco (*d*) S. Hieronymus reprehendit. Liquet potissimum Sancti nostri Damasi aevo adeo communi usu hoc canticum fuisse receptum, ut etiam in funere Defunctorum caneretur. Hoc nimirum aperte patet ex eodem S. Hieronymo (*e*), testante, quod dum agerentur exequiae Fabiolae, sonabant Psalmi, & aurata tecta Templorum reboans in sublime quatiebat *Alleluja*; adeoque frequens, & peculiaris omnibus olim vox ipsa *Alleluja* extitit, ut infantes in ejus sonum linguam primum solvere docerentur; quod videre est ex saepe citato S. Hieronymo in Epistola, quam scribit ad Laetam de filia Paula, ubi tradit infantulum ore balbutiente consuevisse concinere *Alleluja*. Jerosolimis aeque vulgaris usus in omnium ore Piorum viguit, ut agricolae loco quoque profanarum cantionum laboris molestias sublevandi gratia, & solatium exinde capiendi eo cantico communiter uterentur, ut affirmat laudatus Hieronymus (*f*); & postremo ejusdem vocis symbolo, consueto more, ad synaxim congregari solitos Monachos alibi tradit idem S. Hieronymus, additque Sanctissimam illam Paulam Virgines Deo dicatas ad Collectam, seu Chorum vocasse hac voce *Alleluja*. Tandem ad piam Fidelium venerationem erga hoc canticum *Alleluja* hic obiter referre consentaneum arbitramur, quod S. Germanus Parisiensis Episcopus concinens *Alleluja* magnum extinxit incendium, ut Fortunatus (*g*) Pictaviensis memorat. Ab altero Germano Episcopo Antisiodorensi devictos

N 2 fuisse

(c) *Sozomen. histor. Valesio interprete lib. 7. cap. 19. pag. 736. G. L. Parisiis 1668.*
(d) *S. Hieronym. initio lib. adverf. Vigilant.* (e) *S. Hieronym. Epist. 30. in epitaph. Fabiolae.* (f) *Hieronym. Epist. 27, & in epitaph. Paulae ad Eustochium.* (g) *Fortunatus in Vit. S. Germani cap. 5.*

fuisse hostes, dum Sacerdotes conclamarent *Alleluja*; ejusdem Acta a Constantio Presbytero conscripta ostendunt. Auditam in Templo Serapidis vocem concinentem *Alleluja*, tamquam prodigium habitum, quod Templum quamprimum destruendum foret, & a Christianis occupandum, Sozomenus (*h*) refert, & revera sic accidit, ejusque ruinam impius Eunapius Sardianus diabolico spiritu afflatus describit, exaggerans, quod Sacerdotibus Idolorum Monachi fuere substituti impudentissimis his verbis. (*i*) *Cultus numinis apud Alexandriam, & Serapidis delubrum disturbata, dissipataque fuere non Religio tantum, sed universa Fabrica, & omnia eum habuerunt exitum, quem Poetarum fabulae tribuunt Gigantum victoriae, & qui bellum nunquam auditione acceperant, Serapidis aedem funditus demoliti sunt, Templique donariis manus hostiliter injecerunt;* & paullo post: *Idem postea in sacra loca invexerunt Monachos, sic dictos, homines quidem specie, sed vitam turpem Porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita, atque infanda scelera committebant, quibus tamen pietatis pars videbatur sacri loci reverentiam proculcare.* Sic ille Blasphemus Eunapius, cujus verba hic recensuimus, ut Lectores agnoscant, quo spiritu haeretici recentiores ducantur, qui praedicta verba idololatrae hujus Eunapii magno soleant plausu, ut inquit Cardinalis (*k*) Bona adversus Monachos, ac pios, Sanctosque Religiosos effutire.

Et haec quidem abunde sint elucidata super sacris praescriptionibus, & Ecclesiae Romanae salutaribus decretis, quae a S. Damaso emanarunt. De summi viri laudibus, & innumeris in gregem Christi meritis, si pro dignitate esset dicendum, nullum sermonis exitum invenirem. Quamobrem satis habeat humanissimus Lector, quae supra strictim sparsimque recensuimus. Gradum proinde faciamus ad ejus obitum, & rerum admirandarum signa, quae illum subsecuta sunt, ut eo clarius ejusdem sanctimonia, & egregiae virtutes patescant; quos porro miros eventus ad eumdem modum referemus, quo ab antiquis Scripto-

ptori-

(h) *Sozomen. histor. lib. 7. cap. 20. pag. 737. G. I.* (i) *Eunapius lib. de Vit. Philosoph. in Aedesio.* (k) *Bona de divin. Psalmod. cap. 16. §. 7. pag. 347.*

ptoribus literis consignati sunt. Fatemur demum ingenue non esse nostrarum virium omnia complecti juxta affatum Benedicti Presbyteri, quod hic pro hujus capitis coronide adducimus: (l) *Impossibile est omnino, & longum de isto viro, ejusque distinctae vitae, illiusque moribus retexere cuncta, nisi, ut praediximus, sicut Epistolae Hieronymi ad eum saepius missae testantur. Qui plenius scire voluerit qualis Damasus Romanae Urbis Episcopus fuerit, ibi invenire poterit. Vere totus Orthodoxus, atque Catholicus, prudens, & simplex, atque ab omni malitia alienus. Hinc merito dicere possumus: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est inventus. Hic est, qui non derelictus est a Deo in die certaminis, quando Ursicinus ad invidiam boni, & innocentis praefati Damasi constitutus sub contentione convictus, atque dejectus est. Quare hoc? quia fideliter Venerabilis Damasus vixit in mandatis Dei.*

CAPUT XVI.

Ordinationes, Obitus, & quaedam S. Damasi miracula.

QUinque habuit S. Damasus Ordinationes in universo sui Pontificatus ambitu in Urbe Roma mense Decembri, veluti testimonium perhibent (m) lectiones Breviarii, & Auctores omnes, quos super hanc rem perlustravimus. In his ordinationibus creavit Presbyteros unum supra triginta, Diaconos vero undecim, Episcopos autem per diversa loca sexaginta duos. Non alia, nec praestantior superest memoria felicissimi transitus Sancti hujus Pontificis e terrestri hoc carcere ad superos, quam illius Codicis Manuscripti Archivi Canonicorum S. Petri, cujus verba hic recensere operae pretium duximus: (n) *Sed cum post multos labores vellet eum Deus de exilio ad Patriam revocare, vocem ejus exaudiens, qua semper ingemiscens clamabat: Educ de carcere animam meam, febrili calore vehemen-*

(l) *Vita S. Damasi a Benedicto Presbyt. ex M.S. Cod. in Biblioth. Vatic. ac in Biblioth. PP. & apud Milesf. Sarazan. Oper. S. Damasi pag. 70.* (m) *Lect. Breviar. Rom. die 11. Decemb. Anastas. Biblioth. in Vit. S. Damasi ad ann. 367. pag. 30. Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 500. Ciaccon. in Vita S. Damasi tom. 1. ad ann. 367. col. 354.* (n) *Vita S. Damasi ex Cod. M. S. Archivi Canon. S. Petri apud Sarazan. in Oper. S. Damasi p. 58.*

menter correptus est, ita ut infra paucos dies Vir tunc usque robustissimus destitui viribus omnimodo videretur. Itaque obitus sui diem, quo semper cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, appropinquare conspiciens, circumstantes Sacerdotes, & reliquos Ecclesiastici gradus ita alloqui coepit: o fidissima Christi pignora inter discrimina mundi disposita, sagaciter cursum ad caelestem Jerusalem dirigite, arctam utique viam, non spatiosam eligentes, nam arcta via est, quae ducit ad vitam. Scitis namque Carissimi, quia non per oblectamenta hujus saeculi, sed per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei: non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Certamen autem difficile, quia non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes tenebrarum barum, contra spirituales nequitias in caelestibus: adversus superbiam, & odium, adversus iram, & fornicationem: adversus omnes mundi voluptates. Omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, sed mundus perit, & concupiscentia ejus; adveniet enim dies Domini magnus, & horribilis, in quo Caeli magno impetu ardebunt; Elementa vero ignis calore solventur. Veh impiis, & peccatoribus in die illa, quia si justus vix salvabitur, ipsi ubi parebunt? tunc Paleae, idest reprobi tradentur igni, frumenta vero, idest justi in caelesti recondentur horreo; Fruentes gaudio, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Ego autem jam delibor, viam universae carnis ingrediens: Vos vero vigilate, & estote parati, quia nescitis diem, neque horam. Et post haec corpus, & sanguinem Domini reverenter suscepit, elevatisque oculis, ac manibus, cum oraret, migravit ad Dominum anno divinae Incarnationis trecentesimo octogesimo quarto. Aetatis suae vero octogesimo, Imperii Theodosii nono, Indictione prima.

Tertio idus Decembris diem natalem S. Damasi, & ejusdem inter Sanctos adscriptionem contigisse antiqua memoria perseverat, atque jam prope octogenarium decessisse affirmat (o) Baronius ex auctoritate S. Hieronymi, qui Romae tunc agebat, nec nisi post S. Damasi mortem ab Urbe recessit. Sed ut ea quae tempora Pontificatus, & obitus S. Damasi respiciunt hic stabiliantur, praeter auctoritatem plurium Scriptorum, qui concordant ejus-

(o) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 496.*

ejusdem decessum die undecima Decembris accidisse anno 384; hoc potissimum ratione etiam deducimus. Constat siquidem S. Hieronymum simul, ac Epiphanium, & Paulinum Romam venisse anno Domini 382. Antonio, & Syagrio Consulibus, veluti Baronius (p) probat, & cum idem S. Hieronymus asserat pene triennium Romae cum S. Damaso mansisse, nec inde, nisi eo e vivis sublato, recessisse, nempe mense Augusto sequentis anni 385, atque profecto cum liqueat S. Damasum sedere coepisse anno Domini 367, die 15. Septembris, aetatis vero 62, ex necessaria proinde connexione colligitur Pontificatum S. Damasi durasse annos decem, & septem cum tribus mensibus, si quatuor dies demas, ut maxima Scriptorum pars existimat, sicque ad superos evolasse S. Damasum die undecima Decembris anno 384, quod quidem ex periodo ejus Pontificatus annorum decem, & octo quos inchoavit per menses tres, demtis diebus quatuor, clare dignoscitur. Exinde errore lapsum esse Marcellinum comitem in Chronico videtur, dum asserit ante biennium, nempe anno 382. sub Consulatu Antonii, & Syagrii, mense Octobri Damasum defunctum esse: hoc nimirum adversatur iis, quae communiter omnes sacri Scriptores de Pontificatu, & obitu S. Damasi statuunt. Praeterea S. Pontificem floruisse anno 384. apertum redditur animadversione alia, qua pro certo habemus eumdem aetatem eatenus produxisse, quo tempore Symmacus Praefectura fungebatur. Cum autem constet ex ipsius Epistola eodem anno 384. ipsum Symmacum fuisse Praefectum, in dubium revocari non potest, eodem vixisse anno Pontificem commemoratum. Pagius (q) quoque diem obitus S. Damasi existimat incidisse tertio idus Decembris, sed postridie sepulturae mandatum fuisse via Ardeatina in Basilica a se excitata juxta Matrem suam, & Germanam in Catacumbis, ut (r) Baronius, Anastasius, & Aringus asserunt, anno aetatis suae octogesimo, Imperii Theodosii Senioris sexto, Indictione duodecima. Adver-

(p) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 496. S. Hieronym. Epist. 99, & in Apolog. advers. Ruffin.* (q) *Pagius critica tom. 1. pag. 534.* (r) *Baron. ut supr. Anastas. in Vit. S. Damasi pag. 29. Aring. Roma subter. tom. 1. pag. 472. S. Hieronym. de Vir. illustr. c. 103.*

Adversis iterum opinionibus pugnatum est a Martyrologiorum Scriptoribus super die exitus vitae felicissimi ejusdem Pontificis. Praefigunt nempe alii ejusdem obitus diem Decembris decimum, hoc pacto illum enunciando: *Depositio S. Damasi X. Decembris*. Potior tamen, saniorque eorum pars ad ejusdem mensis diem undecimum eumdem contigisse memorant; quam sententiam unanimi consensu secuti sunt cum Romano Martyrologio Beda, Usuardus, Ado, Rabanus, Valdebertus, & alii. Ex quo conjecturam facere jure possumus, non levem lapsum intercidisse inter Auctores, attribuentibus aliis S. Damaso Pontificatus exerciti annos 28: aliis 20: aliis 19: aliis 18, menses duos, dies decem: aliis dies 17: aliis undecim supra duos menses auctos. Nos vero Cardinalis Baronii superius relati super hac controversia sententiam amplectimur.

Postquam Beatissimus Damasus ad superos migravit, multa miracula per eum Deus patrare voluit; qui enim vivens suis precibus plura obtinuerat, eo magis ad superos gradiens mirabiliora est consecutus. Daemonia nimirum ab obsessis corporibus sunt expulsa, febricitantes curari, clinici, atque contracti extensi, lunatici sanati, caeci luce orbati visui restituti, veluti referunt plura antiqua documenta, Cardinalis (s) Baronius, Ciacconius, aliique primae notae Scriptores.

Ex quodam opusculo in Angelica Urbis Bibliotheca existente Gothico caractere impresso, & cui titulus: *Mirabilia Romae*, *Ann:* MDXI. edito, S. Damasi virtus in effugandis febribus depromitur. In eo namque ubi de Ecclesia S. Damasi sic legitur: *Ad S. Laurentium in Damaso in Regione Parionis. Ecclesiam istam fundavit B. Damasus primus, & dicavit. Ponitur in Festivitatibus in una capsa eburnea decorata; in qua plures capsellae cum Reliquiis Sanctorum, quorum nomina una cum istis capsellis in una Cedula scripta ponuntur. Etiam unum Biccerium magnum vitreum, ex quo in die S. Damasi homines sumunt potum ad honorem praenominati S. Damasi. De cujus virtute omnes homines confidunt de febribus se liberaturos*. Huic lectio-

(s) *Baron. Annal. tom. 4. ad an. 384. p. 497. Ciaccon. in Vit. S. Damasi ad an. 367. col. 354.*

lectioni reſpondet etiam alterius opuſculi lectio ibidem pariter exiſtentis, & cui titulus: *Indulgentiae, & Reliquiae Urbis Romae* Gothico pariter caractere impreſſi; ubi namque de Eccleſia S. Damaſi loquitur in omnibus ad unguem ſuprarelata cum lectione concordat, niſi quod *Bicherium* habet pro *Biccierio*.

Quamplura poſſemus Sancti noſtri Damaſi hic recenſere miracula, tam in ejus vitae decurſu, quam poſt ejus ad Caelum tranſitum, quae ad ſanctiſſimi Corporis in noſtro Templo exiſtentis obſequium contigerunt, ſed ne immenſam, ac nimis latam narrationem aggrediamur pro omnibus ſufficiant ea, quae infraſcripti Codices promunt. (t) *Qualis vir ſit iſte Beatiſſimus Damaſus hic intelligimus: unde merito ſuo, & ſanctitate ſummum meruit Sacerdotium, & poſt apud Deum Coronam confeſſionis accepit. Nam frequenter ad Sanctum ejus Tumulum mirabilia fiunt diverſarum infirmitatum. Nuper res eſt haec geſta, quam factam vidimus in ejus Eccleſia in Sacro Fonte, quem ipſe Venerandus S. Damaſus conſtruxit. Sabato Paſchalis Feſtivitatis, dum turbae comprimerent ad Baptiſmum Puerulus de manu Sacerdotis elapſus eſt, atque in uno fonte demerſus, & poſt ſpatium fere unius horae, dum ſperarent omnes jam mortuum, quidam vir Manſionarius ipſius Eccleſiae in fiduciam S. Damaſi proiiciens ſe in fontem, & abſtrahens eum, ſecum ſalvum, & illaeſum reduxit. Quod nos omnes videntes non ambiguimus merita S. Damaſi fuiſſe.* Hactenus primus Codex M. S. ſequitur alter. (u) *Nam ut plura praeteream, ea nullo modo reticebo, quae Petrus Sedis Apoſtolicae Diaconus in ſermone, quem in honorem B. Damaſi edidit, in ejuſdem titulo contigiſſe commemorat; ait itaque Fratribus praefati tituli: Jam crebro, Fratres, vidiſtis hic Daemonia effugata, febricitantium corpora ſanata; & quod bis majus, Clinicos, & Contractos extentos, ut nuper viſum eſt in quodam homine inceſſu veſtigiorum privato, qui hujus ante fores Eccleſiae poſitus, cum non diffideret ſe ſalvatum iri, eatenus ipſe per ſe coepit ligneis ſuſtentaculis repere, quatenus huc potuit pertingere: cui ſicut demum ipſe profeſſus eſt lux ex improviſo accidens, velut lampas*

O inſul-

(t) *Cod. M. S. Bibliotb. Vallicellanae apud Sarazanium Opera S. Damaſi pag.* 34.

(u) *Vita S. Damaſi ex Cod. M. S. Archivi Canonicorum S. Petri apud Sarazanium in Operibus S. Damaſi pag.* 61.

insulsit, & illico pedum vestigia reparavit. Quod vero sequitur non solum scripta ejusdem tituli, verum etiam picturae declarant. Fuerunt enim duo homines non sanae mentis, quos Medici lunaticos vocant, ipsam Basilicam frequentantes, & ut salutem reciperent B. Damasum continuis precibus exorantes. Quadam itaque die venientes ante sepulchrum ejus, se projecerunt, lacrymabiliter plus solito Dei misericordiam, & S. Damasi subsidium implorantes. Cumque ardenter hoc facerent, exauditi sunt, & recuperata salute, Dei magnalia praedicabant, & percepti Beneficii non immemores, coma capitis detonsa, cunctis diebus vitae suae in eodem loco Domino servierunt. Haec autem miracula alii B. Laurentio Martyri, alii B. Damaso deputant Confessori, nos autem in miraculis non dividimus, quos una Patria genuit, una Ecclesia promovit, una Basilica colit in Terris, unus Deus coronat in Caelis.

Supererant post mortem S. Damasi adhuc aliqui addicti Ursicino, qui S. Damaso licet defuncto gloriam invidentes, dicerent, non meritis Damasi, sed intercessione S. Laurentii ea patrata fuisse miracula. Sed intercessione illius Sancti, qui ab aegrotantibus invocatus est miraculum obtentum esse quis dubitat? ac saepe Deum per Confessorem impertiri quamplura, quae a Martyre accipi minime valuerunt; idque ad illustrandam memoriam Confessoris saepius accidisse legitur, plurima exempla declarant; & S. Augustinus, ubi agit de S. Felice Nolano Confessore, ultore periurii, id aperte ostendit. Verum enim vero, qui tot miraculis post mortem coruscavit, vivens quoque iisdem a Deo insignitus est, ut diximus; quorum unum, & perinsigne quidem hic describemus, quod Cardinalis (x) Baronius item refert: id vero ut eo apertius elucescat eximia omnium virtutum complexio S. Damasi, simulque ut penitus adimatur fides obtrectationibus, vanisque commentis, quae Ursicini fautores disseminarunt contra Scriptorum veterum, ac recentium fide dignissimorum sententiam. S. Damaso redeunti e Basilica Vaticana, ubi ad Altare S. Petri Missam celebrarat, vir oculorum luce annis tredecim penitus orbatus occurrit, magna-

(x) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 428.*

gnaque fide inclamare coepit, ut S. Pontificis precibus ad Deum fusis se illuminari spe duceretur. Cumque S. Damasus aliquantisper cunctabundus immoraretur, fide tamen petentis captus, signo crucis oculos ejus munivit, haec proferens verba: *Fides tua te salvum faciat*, statimque aperti sunt oculi ejus, & confestim vidit. Editum esse tunc divina impellente virtute hoc miraculum putat Cardinalis (y) Baronius, ut qui Populi Romani schismate Ursicini sacrarum legum sancita non nosset, eo saltem praecipuo prodigio intelligeret, quem verum, ac legitimum Pontificem coleret, cui Deus hoc signo annuens suffragatus fuerat.

C A P U T XVII.

Cur S. Damasus extra Urbem sepultus, ac tempus scrutatur, quo ejus Corpus e Coemeterio fuerit extractum.

Ex historia tum sacra, tum profana satis compertum est lege duodecim Tabularum, mortuorum cadavera, & cineres intra Urbem sepellire vetitum Romanis fuisse, quapropter nobilis unaquaeque Famalia, vel facultatibus praestans suo in Praedio, aut Villa prope vias publicas ad suorum condenda Corpora locum habebat designatum, magnifice constructum, exornatumque, ut ex plurimis eorum, quae adhuc supersunt, vestigiis cernere licet. Hujusmodi Sepulcrorum copiam, & majestatem, quae suo etiam aevo in celebri via Salaria supererant profert piissimus Poeta Prudentius in libro primo contra Symmacum scribens.

Ecce Deos manes cur inficiaris haberi?
Ipsa Patrum monumenta probant Diis manibus illic
Marmora sacra lego quaecumque latina vetustas
Custodit cineres densisque Salaria bustis.

Busta profecto appellata, quod a Syllae Dictatoris tempore,

O 2 pecu-

(y) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann.* 384. *pag.* 428.

peculiari lege cautum fuerit, ne corpora integra sepeliri fas esset, sed iis igne combustis, cineres tantummodo conderentur, qui exinde usus apud Gentiles memorati Dictatoris aevo ad Theodosii Magni usque tempora perduravit, quo super ritu vide eruditissimum Opus a C. V. Canonico Marco Antonio Buldetho (z) editum de Coemeteriis.

Christiani igitur cum initio nascentis in Urbe Religionis ex vi praefatae Legis duodecim Tabularum absque vitae periculo Fidelium Cadavera intra Urbem sepelire non possent, atque etiam a combustione, quae Gentilium saperet superstitionem, abhorrerent, veterum Scripturae Patrum exempla secuti extra Urbem quidem, sed integra, & saepe etiam aromatibus condita defunctorum Corpora in cryptis sepelienda curarunt. Juxta vias porro publicas, & in quorumdam Christianorum nobilium praediis aderant cryptae, e quibus ad aedificiorum constructionem arenae fodiebantur; hisce in Arenariis Martyrum, aliorumque Fidelium sepulchra religiosa Christianorum pietas efformanda suscepit, ac in dies adeo hujusmodi cryptas ampliavit, ut temporum progressu subterraneae potius Civitates, quam cryptae viderentur, labyrinthi formam inflexis, distinctisque cuniculis, ac interjectis quandoque cubiculis, & Sacellis referentes, quorum plurimorum Icones exhibentur in Roma subterranea, tum Antonii Bosii, tum Aringhii, ac etiam in supracitato Buldethi Opere; & haec quidem loca variis nuncupata fuerunt nominibus, nempe Tumbae, Catacumbae, & Arenariae, communiori tamen vocabulo Coemeteria a voce Graeca, quae Latine Dormitoria explicat, docente Christiana Fide, justorum mortem somnum esse, juxta Salvatoris dictum in Evangelio: *Lazarus amicus noster dormit*.

Hisce vero in Coemeteriis Sanctorum Martyrum, aliorumve Christifidelium Corpora non tantum tempore persecutionum, sed etiam reddita Ecclesiae Pace ad saeculum usque quintum tumulari consueverunt, prout variis ex Inscriptionibus in iisdem reper-

(z) *Buldeti Osservazioni sopra i Cimiterii de' SS. Martiri lib. 1. cap. 17. pag. 69.*

repertis eruitur. Hujusmodi vero usum cessasse credendum est, ubi Gothorum Rex Gensericus ingenti comparato exercitu ejusdem saeculi initio anno nempe Christi 409. Romam obsedit, captamque anno sequenti diripuit, ex quo deinde tempore Urbs ipsa Hunnorum, Gothorum, atque Longobardorum invasionibus, ac direptionibus ad plura saecula subjecta fuit; tum enim Fidelium studium friguisse arbitrandum est, quum in Coemeteria ipsa ad Synaxes celebrandum, & sacra obeunda, vel saltem ad sacra Martyrum pignora veneranda solebant convenire, cujus rei testis est S. Hieronymus de se ipso ita scribens: (a) *Dum essem Romae, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum ceteris ejusdem aetatis, & propositi diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum profunda defossae ex utraque parte ingredientium per parietes habent Corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur; descendant in infernum viventes, & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes, rursumque pedetentim acceditur, & cava nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur.*

Horror ubique animos simul ipsa silentia terrent.

Cum igitur S. Damasi aetate nullus fere ex Fidelibus alio in loco praeterquam in Coemeteriis sepeliretur, & ipse in ea Coemeterii Praetextati parte sepulchri locum delegit innumeris Sanctorum Martyrum exuviis refertum, quem etiam Basilicae constructione nobilitavit juxta Matrem, Germanamque suam non longe a S. Marci Praedecessoris sui tumulo Catacumbis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Coemeterio Calixti, quibus in locis & Platoniam fecerat, & Epigrammata marmoreis Tabulis inscripta, ut supra relatum est, affigi curaverat.

Ut tandem cuncta, quae ad tumulum, & Coemeterium hujus S. Pontificis spectare videntur hic complectamur, requirendum esset quanto temporis spatio ejus Corpus inibi requieverit, & quo

(a) *S. Hieronym. in Ezech. cap. 40.*

quo tempore; vel a quibus eo loci extractum; ad nostram S. Laurentii Basilicam translatum fuerit; sed in hac parte cum monumenta nostri Archivi in Urbis direptionibus sublata, dispersaque fuerint, nihil certi habere potuimus; unde per conjecturas investigandum est. Constat primo ex historia Ecclesiastica per aliquot saeculorum curricula, vel nullas, vel fere nullas a Summis Pontificibus pignorum Sanctorum in Coemeteriis quiescentium peractas fuisse translationes: Nam loco Reliquiarum, petentibus etiam Regalibus Personis, tantum concedi solebant Brandae, seu Vela, quae supra eorum Corpora per aliquod temporis spatium deposita fuissent, ut habetur ex Epistola S. Gregorii Papae ad Constantinam Augustam. Primus autem omnium Pontificum Bonifacius Papa IV., qui sedit anno Christi 607, cum Pantheon insigne Idolorum Templum Deiparae Virgini, cunctisque Sanctis Martyribus dedicasset, illuc intulit duodetriginta curribus Ossa SS. Martyrum e diversis (*b*) Urbis Coemeteriis effossa, solemniterque comportata, ac decentissime collocavit. Post Bonifacium S. Paulus Papa I. creatus anno 757. cum paternam domum in Ecclesiam cum Monasterio commutasset, plura transtulit, ex sacris cryptis a Longobardis dirutis, Corpora Sanctorum in eamdem dicatam SS. Sylvestro, & Dionysio in Regione Campi Martii, ut ex ejus diplomate apud Baronium; notandum pariter est, quod inter Corpora ab eo extracta nonnulla memorantur Sanctorum Pontificum, quae in Coemeteriis Praetextati, & Calixti sepulta fuerant, nulla tamen fit mentio de Corpore S. Damasi. A Paulo autem primo usque ad S. Paschalem I. Pontificem nullus alius memoratur Translationes hujusmodi peregisse. Praeterea Anastasius Bibliothecarius in Vita Johannis Papae VII., qui sedit anno Domini 705, de eo scripsit: *Laboravit autem & in Coemeteriis BB. Martyrum Marcelliani, & Marci, Damasique S. Pontificis*. Ubi verbum illud laboravit, sumendum est pro instauravit, vel exornavit. Ex quo colligi potest, quod ibi adhuc S. Da-

(b) *Baron. in not. ad Martyrol. Rom. 13. Maii*.

S. Damasi Corpus consisteret; nam si Johannes ipse illud transtulisset ab eo Coemeterio in Urbem, porro Anastasius id indicasset, prout fecit de aliis similibus translationibus peractis. Idem vero Bibliothecarius in Vita Adriani Papae I., qui Pontifex renunciatus est anno 772. haec habet: *Renovavit etiam tectum Basilicae S. Laurentii, quam Damasi vocant, ubi & Vestem super ejus Altare de stauracim fecit, simulque aliam Vestem de post Altare fecit, ubi requiescit Corpus S. Damasi.* Ex quibus verbis clare patet tempore Adriani I. sacrum S. Damasi Corpus jam e Coemeterio suo extractum, in nostra Basilica requievisse, idque factum esse oportuit tempore elapso a Johanne VII. usque ad Adrianum I.

En leviter perstrictae res gestae, dotesque Sanctissimi Pontificis Damasi, ut eas ex vetustis Scriptoribus eruere nobis licuit. Gradum facimus ad perinsignem nostram Basilicam, de qua fide optima, nec tamen longo verborum circuitu ea referre constituimus, quae Scriptores probatissimi literis demandarunt.

Finis Libri Primi.

L I B E R II.

De Basilica S. Laurentii in Damaso.

C A P U T I.

Praenotiones de Theatro Pompeji cognomento Magni, & ejusdem vestigiis, ac monumentis prope eamdem Basilicam repertis.

ANtequam hujus Venerabilis Basilicae descriptionem aggredimur, consentaneum videtur differere prius de antiquo situ, ubi aedificata extitit, & ea ratione de Theatro Magni Pompeji. Cum haec Ecclesia non aliter fere, quam cum adjectione ad Theatrum appellationem habuerit apud antiquos.

Postquam Pompejus mira felicitate, atque celeritate terra, marique triumphos obtinuerat, adhuc adolescens ab exercitu Syllae Magnus est salutatus: Ex opibus in tot expeditionibus acquisitis Theatrum in Campo Martii marmoribus primum in Urbe confecit. Dedicatum est anno Urbis DCXCIX. Pompejo, & Crasso Consulibus, ut refert (a) Dio, idemque Auctor est, hoc Theatrum non a Pompejo extructum, sed Deme-

(a) *Dio histor. Roman. lib. 39. pag. 108. G. L. Hannoviae 1606.*

trium libertum ejus ex pecuniis, quas sub eo militans comparaverat, condidisse, recteque ad Pompejum retulisse, ne male audiretur, quod Libertus tantum pecuniae ad tot sumtus erogandae collegisset. Pyrrhus (*b*) Ligorius librorum copia, qui in aedibus Eminentissimi Cardinalis Otthoboni manu exarati asservantur, tamquam non vulgaris pretii literarium monumentum, ubi de Genealogia Gentis Pompejae verba facit, praefatum libertum Marci Pompeji Demetrii nomine notatum fuisse testatur: Eumdem, praeterea refert, memoratum Gneium Pompejum Magnum, in Castris secutum extruxisse Veneris Templum cum adjecto admirandi operis Theatro pulcherrimis simulacris exornato, quorum multa adhuc conspiciuntur partim in Pontificio viridario ad Aedes Vaticanas, partim in aedibus Alexandri Cinquini, & Gentis *della Valle*. Verum licet supra conditionem Libertus ille polleret, quod exposuit (*c*) Plutarchus, attamen omnes fere alii Scriptores Pompejo, ejusque sumtibus Theatrum adscribunt. Tertullianus (*d*) ita scribit: *Pompejus Magnus solo Theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriae suae censoriam animadversionem, Veneris aedem superposuit, & ad dedicationem Edicto Populum vocans, non Theatrum, sed Veneris Templum nuncupavit.*

Sed plerique putabant a Pompejo consultum parsimoniae, quod (*e*) perpetua sedes Theatro locata sit, potiusquam immenso sumtu singulos per annos consurgeret, ac strueretur: Romae quidem usque ad Pompejum temporaria fuere Theatra, & Amphitheatra; nam antea subitariis gradibus, & in tempus scena struebatur. Sed Pompejus ea vitii nota caruit, quin potius in Populum culpae crimen defluxit, qui prorupta audacia, atque amentia tam infida, instabilique sede utebatur ad spectacula, ludosque intuendos, de quo inquit Plinius relatus a Blondo: (*f*) *En hic est ille Terrarum Victor, & totius Domitor Orbis,*

qui

(b) *Pirrho Ligorio Cod. M. S. in Biblioth. Ottboboniana lit. P pag.* 42. (c) *Plutarch in Vita Pompeji pag.* 716. *Lugduni apud Pesnot.* (d) *Tertul. de spectac. cap.* 10. (e) *Tacitus Annal. tom.* 2. *lib.* 14. *cap.* 20. *pag.* 676. *ad usum Delphini.* (f) *Blond. Roma instaurat. lib.* 2. *cap.* 107. *pag.* 257. *Basileae* 1531.

qui gentes, & regna diriperet, jura exteris mitteret in machina pendens, & ad periculum suum plaudens; Ecce Populus Romanus universus, velut duobus navigiis impositus binis Cardinibus sustinetur, & se ipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo laxatis Machinis. Primum autem hoc Theatrum lapide quadrato a Gn. Pompejo positum fuisse concordant Scriptores. Mira dispositione erat ordinatum, utpote quod octoginta millia spectatorum facile caperet, nec quisquam impedimentum aliorum oculis afferret. Ibidem primum visi sunt ad spectaculum, ludosque inducti Elephantes.

Harum aedium laxitatem non aliunde praestantius expromere fas est, nisi referendo, Neronem Populi Romani Majestatem, Magnitudinemque Germanis pandere exoptantem, illos ad Pompeji Theatrum populo plenum perduxisse, uti referunt Romanarum rerum Scriptores. Non facile apud Romanos invenies, qui alacriori impetu, & majori celeritate sibi ad supremam gloriam aditum aperuerit, praeter Pompejum secundis juxta, adversisque rebus ad summa velificatus. Idem in Populum admodum gratia pollebat, cujus studia humanitate, nec sapientiae minus, quam fortitudinis opinione promeruerit, ut late traditur a Plutarcho in ejus vita. Verum quod saepe accidit in rebus humanis, tantorum prius exercituum Imperator, miserandum in modum vitam explevit. Accepta siquidem clade in acie Pharsalica cum ad Regem Ptolaemeum, cujus Patrem multis ante officiis sibi conciliaverat, confugisset, ab eodem per summam injuriam, & nefariam proditionem interfectus est, habitusque ludibrio a vilissimis percussoribus, ut vel Caesaris, hostis sui olim infensissimi, lacrymas elicuerit. De eo ait Paterculus: (g) *Tantum in illo viro a se discordante fortuna, ut cui modo ad victoriam Terra defuerat, deesset ad sepulturam.*

Praefari me isthaec oportuit de summo Duce, quoniam Theatro a se condito ipse simillimus invenitur. Non impari quippe vicissitudine deformatum hoc postea incendiis, & injuria temporum vix ulla antiqui splendoris, atque magnificentiae

(g) *Vell. Paterc. lib. 2. histor. Roman. pag. 180. cap. 53. cum not. varior.*

vestigia retinuit; merito enim haurire, atque diluere debuerunt ultrices flammae eas criminum sordes, quibus olim, liquet, illud fuisse contaminatum. Fatiscentem primum molem, & ruinam minitantem restituere conatus est Tiberius, ut auctor est Tacitus (*h*), cum e Pompeji Familia non ullus superesset tanto operi restaurando. Idem iterum, iterumque flagravit sub Caligula, Claudio, & Nerone, quorum postremus magnificentissime restitutum auro linivit: summa vero celeritate laboriosissimum opus peregit, ut effulgentem molem, regiosque ibidem ludos Tiridati ostenderet Armeniae Regi.

Ea porro fuit ejus celebritatis amplitudo, ut ille (*i*) ludorum dies ab aureo aedificio, aureus quoque appellatus sit. Sub Imperatore Philippo denuo arsit millesimo Urbis anno, referente Pomponio Laeto. (*k*) *Cum multitudo solemnibus ludis intenta esset, incendium, aut ex luminaribus, aut ex ignibus coalitum in Curia divagatum est, & Theatrum Pompeji arsit.* Quod quidem annis vix quadringentis integrum permansit, ex eo colligimus, quia Theodoricus Ostrogothorum Rex illud non parva ex parte dirutum instaurari jussit; cum jam vel novis incendiis, vel vetustate collaberetur; ejusdem Theodorici ad Senatum verba, molis amplitudinem ostendentia, recensemus: (*l*) *Theatri fabricam magna se mole solventem, consilio vestro credimus esse roborandam, ut quod ab Auctoribus vestris in ornatum patriae constat esse concessum, non videatur sub melioribus Posteris imminutum. Quid non solvas o Senectus, quae tam robusta quassasti? Montes facilius cedere putarentur, quam soliditas illa quateretur; quando & moles ipsa sic tota de cautibus fuit, ut praeter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse crederetur: hoc potuissemus forte negligere, si nos contigisset talia non videre. Caveas illas saxis pendentibus absidatas ita juncturis absconditis in formas pulcherrimas convenisse, ut cryptas magis excelsi montis crederes, quam aliquid fa-*

(h) *Tacitus tom. 1. lib. 3. num. 72. pag. 499. ad usum Delphini. Seneca de Consolat. ad Marc. Epist. 22. tom. 1. pag. 181. Lugd. Batav. 1649. Svetonius in Tiberio Cajo, & Claudio.* (i) *Plinius histor. Natur. lib. 33. cap. 3. pag. 369. Dio histor. Roman. lib. 63.*
(k) *Pomponius Laetus apud Donatum lib. 3. cap. 8.* (l) *Cassiodorus lib. 4. variar. cap. ultim. pag. 122: Parisiis apud Orry 1600.*

fabricatum esse judicares. Fecerunt antiqui locum tantis populis parem, ut haberent singulare spectaculum, qui mundi videbantur habere dominatum. Et deinde. *Unde non immerito creditur Pompejus hinc potius Magnus fuisse vocitatus, & ideo sive masculis pilis contineri, sive talis fabrica refectionis studio poterit innovari expensas vobis de nostro cubiculo curavimus destinare, ut & vobis acquiratur tam boni operis fama, & nostris temporibus videatur antiquitas decentius innovata.*

Apud idem Theatrum Pompejus sui nominis atrium, quod multis postea in locis curia est vocatum, extruxit, veluti ejusdem appendicem, vel additamentum, fuitque his locus, in quo Cajum Caesarem occisum fuisse testatur *(m)* Suetonius. Ante atrium fuit Porticus Pompejana, quae dicebatur Centenaria, eo quia a centum columnis fulciebatur, quam egregie Vitruvius commendat his verbis: *(n) Post scaenam Porticus sunt constituendae, uti cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat Populus, quo se recipiat, ex Theatro, Choragiaque laxamentum habeant ad chorum parandum, uti sunt Porticus Pompejanae.* De hac eadem Pompeji Porticu Ovidius sic cecinit:

Tu (o) modo Pompeja lentus spatiare sub umbra
Cum sol Herculei terga Leonis adit.

Ea aedificiorum moles, quam ex dictis maximam, amplissimamque fuisse, non suspicari modo, sed intelligere licet, juxta sensum Blondi a Campo Florae ad Judaeorum plateam, & ad Rosae Monasterium, quod olim fuit, & nunc est in Urbe celeberrimum S. Catharinae de Funariis nuncupatum, pertingebat. Omnem loci positionem, in quam se hoc Theatrum extendebat facili negotio pernoscere poteris ex verbis Fulvii, qui ejusdem rudera initio saeculi XVI. pervidit; De iisdem haec sunt ipsius verba apud Nardinum: *(p) Extant adhuc vestigia juxta Campum, quem Floreum appellant, ubi nunc Palatium DD. Ursinorum, a cujus tergo erat Theatri cavea versus Auroram; & quidem etiam nunc in recenti stabulo aedium gentis Ursinae quaedam structurae lacerae ve-*

(m) *Sueton. in Vita Caii Julii Caesar. lib. 1. pag. 126. cum notis varior.* (n) *Vitruv. Architect. lib. 5. cap. 9. cum notis Danielis Barbari pag. 169.* (o) *Ovidius de arte lib. 1. vers. 67, & 68.* (p) *Nardinus Roma antiq. lib. 6. cap. 3. pag. 328. primae editionis.*

vestigia conspiciuntur. Ex adductis verbis deducit Nardinus ejus Theatri caveam in gyrum protensam respexisse viam a Clavium Fabris vulgo nuncupatam *Chiavari*, ac proinde ipsam Theatri scaenam ad Florae Campum obversam fuisse. Verum is Auctor parum diligenter observavit verba Fulvii: *Theatri cavea versus Auroram erat*; idest interior Theatri pars orbiculata; Cavea quippe a Cavitate dicitur, ex quo fiebat, ut spectatores ad orientem Solem faciem converterent, ut scaena fruerentur. Quamobrem Templum Veneris Victricis in ipso caveae fastigio constitutum, cujus decisae projecturae graduum officium supplebant, in eodem Florae Campo erat locatum. Corroboratur id testimonio Marliani (*q*) affirmantis a tergo Ecclesiae S. Mariae de Crypta picta nuncupatae, quae indicatis adjacet stabulis anno 1525. erutum fuisse marmor antiquum cum Epigraphe *VENERIS VICTRICIS*. Ex quo colligitur Theatrum ipsum ab Aedibus olim Ursinae gentis, hodie Piorum Familiae, ad indicatam pertinuisse viam Clavium Fabrorum. Blondus (*r*) refert: dum Angelus Pontanus Jurisconsultus, Cellaevinariae locum altius effoderet prope Templum hoc nostrum Coementarios saxum quadratum extraxisse, in quo literae cubitales verba isthaec praeferebant *GENIO THEATRI POMPEJANI*, ex quo conjicere licet, Genium pro jacti fundamenti Theatralis initio, primoque lapide; ex quo deducitur Theatri, & scenae locum, hanc prope laudatam Basilicam extitisse, nempe penes Palatium Ursinorum ad Campum Florae.

Observat Pompejus Ugonius, ubicumque apud Auctores occurrit appellatio Theatri sine alia adjectione intelligendum esse id de Theatro Pompeji, quod omnium merito nobilissimum est habitum, tam vetustatis nomine, quam splendore, sumptuve, & magnificentia operis; proindeque tametsi (*s*) Bibliothecarius affirmaverit, S. Damasum extruxisse hanc Basilicam ad Theatrum sine adjectione, exponendus tamen ille est de Theatro Pom-

(q) *Marlian. Urb. Rom. Topograph. lib. 5. cap. 10. Antiquit Roman. Grevii tom. 3. col.* 177. (r) *Blond. Rom. instaur. lib. 2. cap. 108. pag. 257.* (s) *Anastas. in Vita S. Damasi pag. 21. Parisiis Typograph. Regia 1649.*

Pompeji. Ad rem pertinere opinamur commemorare in Calle, vulgo *de Leutari* nuncupato, ad ipsam aedem Cancellariae, ac Basilicam regnante Julio III. repertam fuisse Pompeji Statuam altitudine palmorum fere quindecim subterraneo in loco, cujus collo paries incumbebat, aedes in altum geminas dispertiens. Certatum est ab utrarumque aedium Dominis de legitima ejus Statuae possessione, & jura publica interposita, ne in alterius possessionem eadem transiret: contendebat enim ex iis Dominis alter eamdem sui juris esse, quoniam ad proprias aedes ejusdem pars maxima pertingeret; alter vero contra intendebat sibi jure deberi, quoniam aedes proprias urgebat statuae caput, quod & nobilissima pars ejusdem esset, ex quo Pompeji illud fuisse simulacrum deprehenderetur. Cum vero magis, magisque irritatis Dominorum animis res ad legitimos Magistratus esset delata, contigit, Judicem ac si celeberrimum Salomonis Regis judicium imitari studuisset, eam tulisse sententiam, ut recisum caput alter, reliquum vero statuae alius acciperet. Proh Pompeji Magni fatum aerumnosum! non satis fuit eximio Duci Ptolaemeo Aegypti Regi amputandum obtulisse proprium caput, nisi eumdem idem maneret exitus in effigie marmorea memorata. Ejus vero parum idoneae sententiae rumor, cum ad aures pervenisset Cardinalis de Capite Ferreo, eamdem suspendi jussit, & rei gestae particeps factus ab ipsomet Cardinali Julius III., simulacrum diligenter erui praecepit, nummis aureis quingentis ad utrumque Dominum missis, ut aequata portione inter se illos dividerent. Effossam vero statuam praefato Cardinali de Capite Ferreo eximia liberalitate tradidit idem Pontifex. Nunc vero commemoratum simulacrum, quod elegantissimam praesefert caelaturam visitur in aedibus Gentis Spadae juxta Pontem a Sixto Pontifice nuncupatum. Cujus rei memoriam perlegimus apud Flaminium Vaccam in libro, cui titulus: *Memoriae variarum Urbis Romae antiquitatum*, edito apud Flaminium Nardinum.

Ex hoc Pompeji simulacro reperto in Via Fabrorum Cithararum,

rarum, vulgo *Leutari* prope eamdem Basilicam, conjici potest; non admodum procul inde, atque adeo ubi Cancellariae aedes tolluntur, extitisse olim Basilicam opere Regio ab eodem Pompejo constructam; cum Suetonius de Augusto in haec verba scribat: (*t*) *Pompeji quoque statuam contra Theatri ejus Regiam marmoreo Jano supposuit translatam e Curia, in qua Cajus Caesar fuerat occisus*.

C A P U T II.

De Basilicis, Templis, Ecclesiis, ac Oratoriis, sacrisque aliis Aedificiis, & eorum significationibus.

POst narrationem eorum, quae ad Pompeji Theatrum pertinent, non ingratum Lectori futurum opinamur, si priusquam hujus Basilicae originem, memorias, structuram, formamque describendam calamum referamus, quaedam in antecessum praejecerimus de Graecis, Romanisque Basilicis, sacrisque Aedificiis, quae ante Constantini Magni tempora traditum est in usu fuisse, & quidnam eorum nomina significent.

Basilicam igitur, a cujus praenotione exordiemur, pulcherrimum quidem aedificium fuisse, & amplum locum instar porticus columnis, & simulacris ornatum ad judicia exercenda censendum est; unde ait Seneca: (*u*) *Fremitu judiciorum Basilicae resonant;* nec non ad Negotiatorum, Mercatorumque conventus peragendos; sic in collectione Graecarum, Romanarumque antiquitatum apud Gronovium, & Graevium reperimus. Ipsum autem nomen a Graeco vocabulo deductum regiam aedem sonat; iccirco Isidorus inquit: (*x*) *Basilicae prius vocabantur Regum habitacula, unde, & nomen habent, nunc autem ideo Basilicae divina Templa nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus, & Sacrificia offeruntur*. Donatus item haec ait: (*y*) *Fuit enim Basilica aedifi-*

(t) *Suet. in Aug. cap. 31, & 32. cum not. varior. pag.* 203. (u) *Seneca de Ira tom. 1. lib. 3. cap. 33. pag. 88. Lugdun. Batavor.* 1649. (x) *Isidor. Orig. lib. 15. cap. 4.* (y) *Donatus lib. 4. cap. 2.*

aedificium, quod duplici, aut quadruplici columnarum ordine medianam testudinem simplici, aut duplici hinc, atque inde porticu cingebat. Cui sententiae alii etiam Auctores adhaerent, quos Baronius refert, subditque: (z) *Haec licet vera sint, tamen ejusmodi nomen una cum re a Gentilibus ad Christianos derivasse mihi magis probatur: Nam Basilicae illae Gentilium in Ecclesias Christianorum aliquando commutabantur.*

Nec modo publicis, sed privatis in aedibus fuere Basilicae Civium, Caesarumque, veluti Vitruvius commemorat: (a) *Habeant nobilium Domus Basilicas non dissimili modo, quam publicorum operum magnificentia comparatas, quod in Domibus eorum saepius, & publica consilia, & privata judicia arbitriaque conficiuntur;* quod quidem Basilicae nomen, ad diversos usus constructae amplae Domui tribuerunt etiam antiqui. Sunt qui putant locum, ubi Nuncii excipiebantur, & ludi, & convivia exercebantur, Basilicam esse nuncupatum. Alii, ubi controversiae dirimerentur, & ut Populus ad Jus dicendum convenire posset. Alii vero fuisse Basilicas ad exercitium Templis persimiles, ambulacris instructas, ad quas multi tota ex Urbe confluebant. Fuerunt etiam Basilicae exaedificatae, ut negotiatores hyemali tempore foverentur. Quamobrem in priscis Basilicis perampla fora extruebantur, in quibus Emporium exercebatur.

Potiori jure in Palatiis Principum, quod suo exemplo ceteros Reges sapientissimus docuit (b) Rex Salomon, cujus Regias Aedes, quas in sacris paginis legimus cum describeret Josephus (c), Basilicae etiam intra ipsas constitutae descriptionem aggressus est, cujus haec sunt verba: *Erat magna nimis Basilica, & pulchra, haecque innumera columnarum multitudine fulciebatur.*

Plura adhuc recensere possem nominis Basilicae significata, quae ex priscis Scriptoribus emanant, qui lato calamo earum descriptiones, Architecturam, modulos, variaque aedificandi genera, ac fabricas produnt. Ad nostras Christianorum Basilicas properando apertum est, quod Templa Sanctis dicata hoc

(z) *Baron. in not. ad Martyrol. 5. Augusti.* (a) *Vitruvius lib. 6. cap. 8. pag. 175. cum not. Daniel. Barbari Venet. 1556.* (b) *Regum lib. 3. cap. 7. fere per totum.* (c) *Joseph. antiquit. Judaic. lib. 8. cap. 5. pag. 223.*

sibi Basilicae nomen vindicarunt, quod egregie sic explicat Cardinalis *(d)* Belarminus. Basilica enim non dicit relationem ad sacrificia, nam etiam Regia Palatia dicuntur Basilicae, & inde nomen translatum est ad Martyrum aedes significandas. Ex quo factum est Basilicas ab Ethnicis rebus profanis dicatas fuisse. Orthodoxi vero locum orationis, ac spiritualis exercitii, ubi verum Numen colerent constituisse; Constat siquidem Ecclesiam Basilicam appellari a Sanctis Augustino, (*e*) Hieronymo, aliisque innumeris.

Basilicae autem vero Numini a Constantino Magno sunt extructae antequam Ethnicorum Basilicae sacras in aedes commutarentur, & toto passim terrarum Orbe Ecclesiae aedificatae remanserunt, vigentibus adhuc Gentilium superstitionibus, & immutatis Deorum Templis intactisque opibus, quas Prisci in his congesserant, ut ex S. Ambrosio docet idem (*f*) Baronius. Imitatores nimirum fuere Gentilium Christifideles in sacris aedificiis construendis, deinde Ethnicorum aedificia plurima, ab omni labe expiata superstitionis profanae, divinos in usus aptarunt, ut innuit Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu his verbis: (*g*) *Basilica olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis.*

Insuper veteri illo Christianorum aevo mos inolevit, ut aedes sacrae non minus apud Graecos, quam Latinos Templa, & Basilicae nuncuparentur; & exinde nomen Ecclesiae, & Templi confunditur, ut ex S. Hilario depraehendere licet, dum inquit: (*h*) *Conventus quidem Ecclesiarum, sive Templi, quos ad secretam Sacramentorum Religionem aedificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel Domum Dei solita est nuncupare, vel Templum; Scriptura quoque vel Prophetica, vel Apostolica ad demonstrationem locorum his usa est nominibus.* Quod confirmant Eusebius, Isidorus, Origenes, Au-

(d) *Belarminus controvers. tom. 2. de cultu Sanct. lib. 3. cap. 4. col. 857. Coloniae Agrip.* 1619. (e) *S. Augustin. lib. de Eccl. dogm. cap. 73, & de Civit. Dei lib. 1. cap. 4. Hieronym. in Epitaph. Nepot. & alibi.* (f) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 384. pag. 494.*
(g) *Ausonius ad Gratian. Imper. gratiar. act. pro Consulatu pag. 700. Amstelod. 1671.*
(h) *Hilarius in Psalm. 126.*

Auguſtinus, Hieronymus, Tertullianus, aliique, quos brevitatis cauſſa linquimus, a quibus promiſcue uſurpatur verbum Eccleſia, Templum, Baſilica, & Oratorium, uti legentibus Scriptores Eccleſiaſticos, & Concilia apertum eſt. Quae porro nomina cum pene idem ſonent, illa tamen Cardinalis Belarminus ſic diſtinguit, inquiens: (*i*) *Primo ad ſacrificandum Deo appellari, & hinc dicuntur Templa. Secundo ad orandum, & hinc dicuntur Oratoria. Tertio ad Martyrum reliquias honorifice conſervandas, & hinc Baſilicae, ſeu memoriae, ſeu martyria. Quarto ad Populum Verbo Dei, & Sacramentis paſcendum, & hinc dicuntur Eccleſiae.* Hoc poſtremo non eſt omittendum, quod nomen Baſilicae, quibuſdam magnificis, ac illuſtribus Eccleſiis dumtaxat tribuitur, veluti apud Graecos, & Latinos compertum eſt.

Nonnulli obſervarunt veteribus morem fuiſſe Templa Ethnicis tribuere, Eccleſias vero Chriſtianis, quorum conjectura niti videtur auctoritati (*k*) Tertulliani. Sed Templum, & Eccleſia veteribus idem ſunt, & priſci Sancti Patres promiſcue, & communiter Eccleſias, & Templa nuncuparunt, ut apparet ex Euſebio, (*l*) Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino. Probabile enim eſt ait (*m*) Durantus, antiquos Chriſtianos abſtinuiſſe nomine Templi, & Sacerdotis ob recentem memoriam Sacrificiorum Aaron, ne cum Judaeis confunderentur. Unde in Evangelio, & fere uſque ad aevum Irenaei Sacerdotes vocantur Presbyteri, & Patres. Cum vero deſiiſſet memoria Sacrificiorum Judaicorum Sancti Patres priſtinum Templi nomen inſtaurarunt. Haeretici vero loca, in quibus coetus, & conventicula agunt, Templa nominare ſolent, more, ut quidam putant, Judaico.

Apoſtoli Domum Dei potius Eccleſiam, quam Synagogam nuncuparunt, quoniam Eccleſia cenſetur Fidelium convocatio,

(i) *Belarm. controverſ. tom. 2. lib. 3. de cultu Sanctor. cap. 4. col. 857. Coloniae Agrippinae* 1619. (k) *Tertull. de Idololat. cap. 7, & 11.* (l) *Euſeb. lib. 3. de Vit. Conſtant. cap. 29, & 30. S. Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 21, & 28. S. Hieronym. in cap. 7. Hierem. S. Auguſt. lib. de Civit. Dei cap. ult. & ſerm. 252, & 255. de Templis.* (m) *Durant. de Rit. Eccleſ. Cathol. lib. 1. cap. 1. num. 8. pag. 5. Pariſiis 1624.*

quae Congregationem fignificat, ut qui intraffent, vocatione quadam quafi electione divinitus facta, fimul coacti, & conjuncti effent. Hinc quia Populus fidelis fimul convocatus in Ecclefia effe folet, ideo etiam locus ipfe appellatur Ecclefia, ut fic fpiritualiter, materialiterque Ecclefia compraehendatur.

Verum praeter haec, quae expofita funt nomina familiari vocabulo a Graecis Ecclefiae nuncupantur Martyria, quia ibi Sanctorum Martyrum reliquiae jacent, vel eorum memoria colitur. Sic plures Ecclefiae Patres, Bafilicam Vaticanam Martyrium Apoftolorum vocant. Et teftibus (n) Eufebio, Theodoreto, & Nicephoro, Templum Jerofolymis in Calvariae loco a Conftantino aedificatum magnum Martyrium nuncupabatur. Porro Ecclefiae, quae a Graecis, ut diximus, Martyria appellantur, apud Latinos Confeffiones dicuntur, ut patet ex Anaftafio his verbis: (o) *Fecit Sixtus Epifcopus Confeffionem Beati Laurentii Martyris cum columnis porphyreticis, & ornavit tranfenam, & Altare, & Confeffionem Sancti Martyris Laurentii de argento puriffimo.*

Ad abfolutum harum vocum intellectum hic referre confentaneum arbitramur, graffante perfecutionum turbine prifcos Chriftifideles, ne Sanctorum Martyrum memoriam temporum ingluvies abforberet, fuper eifdem locis, ubi Martyrii coronam acceperant, clanculum plerumque ob timorem tyrannicae poteftatis, eorumdem facra Corpora, prout opportunitas aderat, fepeliviffe, & pro memorabili eorum virtutum conftantia humilia excitaffe aedificia, quae memoriae, five fedes, conciliave Martyrum, five Martyria, Confeffionefque, vel conditoria nuncupabantur. Cum itaque fuperius expofitum fit verbum Martyrium, & Confeffio; fupereft, ut nunc differamus de Martyrum memoriis, & fedibus, nec non de Oratoriis, Cappellis, atque Sacellis, & quid haec omnia fonent nomina, exponamus.

Vocabulum, *memoria* paffim vetufti ufurparunt, ut legitur in Pontificali de Anacleto. (p) *Hic memoriam B. Petri conftruxit, & com-*

(n) *Eufeb. lib. de vit. Conftant. cap.* 40. *Theodoret. lib.* 2. *cap.* 2. *Nicephor. lib.* 8. *cap.* 50. (o) *Anaftafius in Vita Sixti III. pag.* 36. (p) *Anaftaf. in Vita Anaclet. ad ann.* 103. *pag.* 3, *& in Vita Felicis I. ad ann.* 272. *pag.* 12.

& compofuit; & in Vita Felicis I. *Hic conftituit fupra fepulcbra, & memorias Martyrum Miffas celebrari*. Ratio autem, cur hoc utamur vocabulo, ex eo defumi poteft, quia illi, qui viventium oculis morte fubtracti funt, ne oblivione etiam cordibus fubtrahantur, in memoriam ita revocantur: nam & ipfum nomen id apertiffime oftendit, quem ritum conftruendi fepulchra in memoriam mortuorum apud omnes nationes viguiffe, jam fatis notum eft, atque oftendit Grutherus in fua magna Epigrammatum collectione: idem hoc vocabulum apud Ethnicos, & Chriftianos fonat, & univoca eft illius vocis ufurpatio.

Sedes appellantur in Codice (q) Theodofiano Apoftolorum, & Martyrum fepulchra: unde fedes extruere ufurpatur pro loco, ubi cineres, vel offa mortuorum cum aliquo ornatu reponuntur. Immo apud Ethnicos, puriorefque latini fermonis Auctores fic accipitur; inquit enim Virgilius:

Quam (r) fedibus offa quierunt.

Et inferius.

Sedibus ut faltem placidis in morte quiefcam.

Oratorium autem appellatur aedes facra: habebant enim initio Chriftiani Oratoria, in quibus cum ob anguftiam multitudo capi non poffet, ampliores Ecclefias in univerfis Urbibus erexerunt, hoc teftante (s) Eufebio, ac Nicephoro. De Oratoriis tum privatis, tum publicis, & quomodo ab Ecclefiis fecernantur plene in Canone *Unicuique*, & Canone *Clericos*, ac Canone *fi quis de confecratione, diftinctione prima* late differitur. Nunc vero differt Oratorium a Cappella, quae eft idem, ac parva Ecclefia, quia Cappella dicitur communiter publicum Oratorium, & non poteft erigi abfque Ordinarii facultate. Oratorium autem fimpliciter fumitur pro loco, in quo res divina non peragitur, & quaelibet privata familia abfque ulla petita venia erigere poteft, fic diftinguit Oratorium a Cappella (t) Dominicus Macrus.

Confunditur etiam faepe verbum Cappella cum verbo Sacellum,

(q) *Cod. Theodof. lib. 6. de Sepulchro viol.* (r) *Virgilius Aeneid. lib. 6.* (s) *Eufeb. lib. 8. hiftor. Ecclef. cap. 1. Nicephor. lib. 7. cap. 2.* (t) *Macrus Sacr. Dictionar. verbo Cappella, & verbo Oratorium.*

lum, quod nomen est diminutivum a sacro, & compositum verbum quasi sacra Cella, & nihil aliud significat apud Orthodoxos, praeter parvum locum Deo dicatum, vel Beatae Virgini, atque Sanctis, una cum Altari. Gentiles porro eorum falsis Numinibus sua Sacella composuerunt, ut legentibus illorum temporum Scriptores patet.

Quis mortalium primus Templa extollendi, iisque Deos excolendi rationem excogitaverit, in diversa Scriptores trahunt: eorum sententias, aliquas sic nobis exponere consilium est, ut primum omnium profiteamur Scriptores Graecos, qui memoriarum veterum primi veluti fontes habentur, suorum temporum gesta commentis fabulosis mirifice corrupisse. Ab his accepimus, primum Templi positorem fuisse Dedalum Hymetionis filium Atheniensem, ex opinione Porphyrii, ut narrat *(u)* Eusebius. Postquam enim nonnullorum Deorum simulacra a Lycurgo apud Aegyptios effigiata vidisset, adorationem quoque ex combustarum herbarum suffumigationibus perpendisset, eisdem ut aliquid suo artificio vir artificiosus adjiceret, aedem Diis primus extruxisse fertur; obscuram quidem utpote subterraneam, eo praetextu, quo supplicaturi illic homines in quadam essent libertate illud faciendi, & in obscuris antris, ne invicem cognoscerentur. At quia simulacra in ipsis Templis posita discerni vix poterant, ignem intulerunt, quem postmodum tanquam vel hominibus commodissimum, vel Diis simillimum existimantes perpetuo ardentem in Templo servabant. Quod lumen hodie quoque a nobis pristino more servatur, licet non eadem ratione custodiatur.

Arnobii *(x)* sententia primus fabricator Templorum fuit Prometheus Aegyptius, aut Merops, aut ut tradit in admirandis Varo, Jovis proles Aeacus. Post vetustissimum Assyriorum, sive Chaldaeorum Regnum in Babylonia primum exortum ab ea in Ninivem, & per idem tempus, quo Assyriorum Regnum pri-

(u) *Euseb. Caesarien. praepar. Evang. lib. 1. pag. 30, & 31. Coloniae 1688.*
(x) *Arnob. lib. 6. advers. Gent. pag. 195. Parisiis 1580.*

primordium habuit, alibi quoque Regna conſtituta ſunt, praeſertim apud Aegyptios, qui primi inter Idolatras ſacra factitarunt. Graeci poſtea Templa in cultiorem modum extruxere. Deinde Hetruſci Italiae populi auctore Pithagora, a quibus mox Romani. At hi quantum in Templorum ſtructuris exceſſerint videmus etiam num admirantes ex ruinis, atque ruderibus, quae hoc etiam infimo ſtatu majeſtatem priſtinam conteſtantur. Omnes unus Salomon ſuperexcelluit, qui celeberrimum, ac omnino mirabile Jeroſolymis magnificentiſſimum Templum cum aliis non conferendum excitavit, ut fuſe dilucideque narrat ſacra hiſtoria. Sed non procul ab inſtitutione divinorum impias Aras falſis gentium Numinibus erectas ſacrae item paginae oſtendunt (*y*). Moyſes enim manſiſſe dicitur contra Fanum Phogor, quod Mohabitarum, & Madianitarum gentium Numen erat, & Baalpeor, vel Beelphegor fuit nuncupatum. Item ex ſacris literis conſtat, ante conditum Templum Jeroſolymis, Judaicae Religionis ſacrarium, Idololatras ſuis falſis Numinibus Templa erexiſſe: legitur enim, quod (*z*) caeſo Saule, & Jonatha dimicantibus cum Philiſtaeis, qui praeciſo capite Saul armis expoliaverunt, & miſerunt in Terram Philiſtinorum per circuitum, ut annuntiaretur in Templo Idolorum, & in populis, ac poſuerunt arma ejus in Templo Aſtaroth. Porro Arca Dei in Caſtris, & ſub Tentoriis ſervabatur, vel in aedibus privatis, habemus enim, quod poſtquam unxerunt David in Regem ſuper Iſrael in Hebron; David, & univerſus Populus adduxerunt Arcam Dei, tuleruntque eam de Domo Abinadab, quae erat in Gabaa, & adduxerunt eam in Domum Obededon, ubi habitavit tribus menſibus. Poſtea David eam reduxit in Domum ſuam in arcem Sion, ubi videns, quod ipſe habitaſſet in Domo Caedrina, & Arca Dei poſita eſſet in medio pellium, bona intentione cogitavit aedificare Domum Domini. Sed a Propheta Nathan hoc illi vetitum: En ſermo Dei ad Nathan. (*a*) *Vade, & loquere ad Servum meum David. Haec* di-

(*y*) *Deuteronom. cap.* 3. *verſ.* 29. (*z*) *Reg.* 1. *cap.* 31. *verſ.* 10. (*a*) *Kegum lib.* 2. *cap.* 7. *verſ.* 5, & 6.

dicit Dominus, numquid tu aedificabis mihi Domum ad habitandum? neque enim habitavi in Domo ex die illa, qua eduxi Israel de Terra Aegypti usque in diem hanc, sed ambulabam in Tabernaculo, & in Tentorio. Tunc promittitur Davidi Christus, qui aedificaturus erat Ecclesiam hoc pacto. *(b) Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus; ipse aedificabit domum nomini meo, & stabiliam Thronum Regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.* Ex his non obscure deducitur primum, & omnium antiquissimum vero Numini positum Templum Jerosolymitanum fuisse. At pedem ab his referentes, quae sua vetustate pene impervia prorsus redacta sunt, ad minus difficita, nec tam sepulta rudera curam intendamus.

Ante Constantini Magni aevum Templa fuisse Deo dicata exploratum est; in primis nimirum tribus Ecclesiae saeculis persecutionum tempore publica aedificia habuere Catholici, ut patet ex Epistola ad Eusebium Caesareae Episcopum pii hujus Imperatoris, qua ut sacris aedificiis incumberet, quam vehementissime imperabat, asserens omnium Ecclesiarum aedificia, aut per incuriam corrupta, aut prae metu ingruentis temporum iniquitatis minus honorifice exculta esse.

Porro licet prisci Fideles primis Ecclesiae temporibus in privatis aedibus, ac in Coemeteriis sacras sinaxes peragerent, Apostolos attamen adhuc Jerosolymis, vel in vicinia commorantes, in Templum, vel in Sinagogas interdum, & in privatas aedes convenisse in dubium ab aliquibus Neotericis revocari nequit, ibique Discipulos congregasse, ut in oratione, ac Sacramentis communicarent, utque universum Populum Evangelicam Legem docerent: quod ex Actis (c) ipsorum Apostolorum evincitur. Etenim cum pluribus Corinthios Doctor Gentium imbuisset Legibus, de mulieribus statuit, ut non nisi velato capite in Ecclesiam convenirent. Romae vero persecutionum tempore praeter privatas Domos, etiam in Coemeteria ad sa-

(b) *Regum lib. 2. c. 7. v. 12, & 13.* (c) *Acta Apost. c. 2. v. 46, & c. 13. v. 5, & 14.*

ſacra obeunda Chriſtianos conveniſſe certum eſt, itaut etiam Pontifices in iis Epiſcopos ordinaſſe legantur, & ab illis Corpus Domini ad Chriſtianos in Urbe degentes mitti ſoleret. Legem *(d)* quoque Apoſtolus promulgavit, de alendis iis, qui Evangelium annuncient. Ex his (*e*) Baronius colligit fuiſſe quidem tunc profuſas Chriſtianorum largitiones, quoniam non ſolum Clerici ex his victitarent, ſed multi etiam pauperes, in quos eas Clerici dividebant. Donaria ſimiliter tunc Eccleſiis non parvi momenti conferebantur, ut non ſacra tantum vaſa, ſed lucernae eſſent pariter argenteae. Haec nimirum Templa gliſcentibus etiam perſecutionum tempeſtatibus extitiſſe, haud aegre evincitur, jam tum apud primos Fideles extrui coepta fuiſſe, cum antea in Coenaculis privatarum aedium convenirent.

Romam Petrus, & Paulus advenientes ad novos in fide Tyrones *(f)* erudiendos, veluti ipſorum Apoſtolorum teſtimonio referunt, & communi Patrum ſuffragio perſpicuum eſt, ſacras aedes, & Eccleſias habuerunt, nec non ſucceſſores Pontifices, nempe Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, & alii, ut late, ac dilucide probat Johannes Ciampinus in ſuis veteribus monumentis, ubi etiam videri poteſt Eccleſiarum Elenchus in tribus prioribus Eccleſiae ſaeculis per univerſum Orbem a Fidelibus extructarum. Habetur ex Anaſtaſio *(g)* in Vita Evariſti, ab hoc Pontifice Presbyteris Titulos fuiſſe diviſos. Primaevo autem illo naſcentis Eccleſiae tempore Tituli in Urbe, quamvis in iis ſacra fierent, ad eos convenirent Fideles, & loco Eccleſiarum eſſent, nihilominus nil aliud erant, quam illae Domus, quae ſub alicujus illuſtris Viri Titulatione a Gentilium perſecutione erant immunes; ceſſante vero perſecutione Eccleſiarum (*h*) nomen obtinuerunt, retenta etiam Tituli denominatione, qua & ad noſtra uſque tempora diſtinguntur. Hujuſmodi inſuper Titulos uſque ad S. Marcellum numerum XXV. non exceſſiſſe, Eccleſiaſtica ex hiſtoria compertum eſt. Sanctus

(d) *Paul. Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 11. verſ. 5, & ſeq.* (e) *Baron. Annal. tom. 1. ad ann. 57.* (f) *Clem. Alex. pedag. lib. 2. cap. 10.* (g) *Anaſtaſ. in Vita Evariſti ad ann. 112. pag. 3. Moguntiae 1602.* (h) *Marangon. Theſaur. Paroc. tom. 1. lib. 1. cap. 33.*

vero Marcellus ad XXVIII. reduxit. Praetereundum quoque non est eosdem Titulos, Ecclesias, sacrasque aliarum appellationum aedes, tametsi privatim propter divexatum Christifidelium populum frequentarentur, adhuc tamen non caruisse ornatu suo, atque munditia, quantum eorum temporum iniquitas ferre potuit. Veteres enim Christianos splendida aedificia ad usum Ecclesiarum habuisse ornamentis plurium mobilium referta, & sacris suppellectilibus, atque vasis argenteis, Optatus Milevitanus de saevis Maxentii temporibus agens, ostendit sequentibus verbis: (i) *Erant enim Ecclesiae ex auro, & argento quamplurima ornamenta, quae nec defodere terrae, nec secum portare poterat;* & quam abundaverint Ecclesiae vasis aureis, & argenteis pretiosissimis superfluum est dicere: erant enim ipsis Gentilibus in admiratione. Unde Felix Comes sacrarum largitionum copiam, atque divitias Antiochiae intuens obstupescens dixit. (k) *En quam sumptuosis vasis Filio Mariae ministratur.* Haec ille apud Theodoretum: at non vasa dumtaxat, sed loca ipsa Dei obsequio dicata ingenti splendoris cultu habita, & mirifice a Christianis exculta fuere, cujus quidem rei ipsimet infensissimi Christianae fidei hostes, & Christi nominis adversarii testes sunt (l).

Multis haec Scriptorum testimoniis corroborare possem. Satis vero hic fuerit exhibere verba Luciani Samosateni Scriptoris antiqui, quem scriptis, quae reliquit, nullam habuisse fidem constat ulli Religioni, sed potius omnium, atque ipsius supremi Numinis contemtorem, & irrisorem fuisse, & quidem quo major ejusdem adversus res sacras neglectio fuit, & irrisio, eo major ex ejusdem verbis praestantiae, & cultui nostrae Religionis ab ipso elatae praestanda est fides. Is proinde Scriptor Christianae fidei hostis acerrimus, ut eidem nequiter, & rabiose illuderet in suo Philopatri nomine Dialogo Critium quemdam inducit, qui cum Thiephone sermonem miscens, sociansque asseverat, deductum se a nostrae Religionis homine in coetum,

(i) *Optatus Milevitan. cum notis varior. contra Parmenian. lib. 1. pag. 19. Lutetiae Parisior. 1676.* (k) *Theodoret. histor. lib. 3. cap. 17.* (l) *Arring. tom. 2. lib. 4. cap. 29. pag. 227. Romae 1651.*

tum, ubi fideles convenire solerent, simulate, ficteque mentitum unum se ex eorum coetu, & societate esse. Adscribo ejus verba: *(m) Pertransivimus ferreas portas, & aerea limina, multisque jam superatis scalis, indomum aureato fastigio insignem ascendimus; qualem Homerus Menelai fingit esse: atque ipse omnia illa contemplabar, quae Insularis ille adolescens: video autem non Helenam, sed mehercle viros in faciem inclinatos, & pallescentes.*

Quamobrem non est dubitandum primis etiam nascentis Ecclesiae temporibus Templorum, & sacrarum aedium numerum non ita levem, parcumque floruisse, licet privatim haberentur, furore nimirum Caesarum Ethnicorum ubique grassante in ipsis primordiis, ac veluti incunabulis exortae Religionis. *(n)* Anno tamen reparatae salutis 224. nostrae Fidei Cultores unanimi consensu, & suffragatione convenerunt Alexandrum Imperatorem, qui maternae educationis caussa erga Religionis Christianae alumnos propenso studio erat affectus, obnixeque ab eodem petierunt, ut liceret ipsis in publico aedificio res sacras exercere, & ex ritu Catholico obire publice sacra ministeria. Licet autem summo conatu Popinarii omnibus exertis viribus conarentur, ne sui voti compotes fierent, benigno tamen Divini Numinis afflatu pia Fidelium vota promovente, optatum aedificium aedemque sacram publicam ab eodem Caesare obtinuerunt: quemadmodum constat ex responsione ejusdem Alexandri, quam refert Aelius Lampridius in hanc sententiam: *(o) Cum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, e contra Popinarii dicerent sibi eum deberi: rescripsit, melius esse quomodocumque illic Deus coleretur, quam Popinariis detur.*

Eam *(p)* ob caussam S. Calixtus Summus Pontifex Ecclesiam inibi non ita magnam excitavit, dicavitque Divino Deiparae partui in Regione Transtyberina, ubi Taberna meritoria erat, & Oleum ex antiqua traditione Augusti tempore, e terra erumpens copiose fluxerat: Platina, Ciacconius, & alii praeclari

 Scri-

(m) *Lucian. Oper. in Dialog. Philopatr. tom. 4. pag. 479. Basileae.* (n) *Baron. Annal. tom. 2. ad ann. 224.* (o) *Lampridius apud Augustae histor. Scriptor. tom. 1. pag. 930. in Vit. Alex. cum not. varior. Lugd. Batavor. 1671.* (p) *Anastas. in Vita S. Calixti ad an. 224. pag. 7.*

Scriptores in Vita S. Calixti I., sed magis aperte *(q)* Baronius haec testatur; itemque, ut *(r)* Severanus asserit, haec prima fuit Ecclesiarum omnium, quae Romae divino cultui sacraretur. Verum non admodum extitit diuturnus usus, & exercitatio sacrorum in memorata Ecclesia, eademque eosdem Fideles statim orbarunt profani Antistites Ethnicorum. Id quidem contingere non potuit, nisi cum ingenti luctu, atque moerore Christifidelium; cum cernerent Gentilium Antistitum saevitia, atque malignitate accensum fuisse, inductumque Ulpianum Romae Praefectum, hostemque fidei infensissimum, ut suis artibus, omnique apud Caesarem conatu id extorqueret, ut praefata Ecclesia dirueretur. Accidit autem id tertio ejusdem Alexandri imperantis anno, quo adstricti fuerunt optimi illi Christi cultores occulte rem sacram peragere in caenaculo eidem Ecclesiae adjecto, ut prolixius refertur a Surio *(s)*.

Quod mirum, cum Principum edicta, Judicum sententiae, delatorum metus, intenta supplicia undique urgerent, non Romae modo, sed aliis quoque in Urbibus; adhuc tamen Christiani suas habuere Ecclesias, donec Diocletiani, ac Collegae Imperio promulgatum est edictum, quo sacras Christianorum aedes dirui demandatum fuit, & sacri ubique libri concremari. Sane non alias in Christianos gravior procella incubuit, ultimi enim fuere, si Juliani apostatae brevem persecutionem excipias, Inferni conatus. Porro ad Constantinum devoluto Imperio, divino haud dubie Numine suffragante, Ecclesiae pax diu exul tandem est restituta. Primus enim omnium Imperatorum plurimas edidit leges, quibus Religionem Christianam adversus ejusdem hostium vim, & audaciam communivit. Omnibus Urbem incolentibus edixit, ut libere unicuique liceret Christum colere, quod eo usque fuerat interdictum, animumque ad ingentium Basilicarum, & Titulorum erectionem convertit, multasque sacras aedes per diversas Orbis Romani partes,

---

(q) *Baron. Annal. tom. 2. ad ann. 224. pag. 321.* (r) *Severano delle sette Chiese di Roma pag. 302.* (s) *Surius tom. 5. die 14. Octobris.*

tes, Imperatoria magnificentia dignas extrui juſſit; pecuniis a Fiſco ſuo in tantum opus erogatis. Idem Imperator circa annum Domini 313. Lateranorum magnificas aedes, ſive ab Uxore Fauſta, ſive a ſe poſſeſſas S. Melchiadi Papae, ac Sanctae Romanae Eccleſiae donavit, publiciſque ſumtibus in magnificentiſſimam ſub (t) Sanctiſſimi Salvatoris nuncupatione, S. Silveſtro Pontifice ſedente, Baſilicam convertit. Quae ab ornatu aurea dicta primum perenne, ac patens Chriſtianae ſuſceptae Religionis teſtimonium fuit, a ſuo fundatore Conſtantiniana, & a proximo baptiſmali fonte, temporum ambitu Eccleſia S. Johannis nuncupata. Item in antiquiſſimo Campo Vaticano, tot ſpectaculis, rebuſque celeberrimo, ubi Circo a Cajo extructo Auguſto, & Tiberio dicato, licet poſtea Neronis aſſumpſerit nomen, piiſſimus idem Conſtantinus ſpectabilem Principis Apoſtolorum Baſilicam excitavit. Ea ductus cauſſa, quoniam inibi Beati Petri Corpus ſepultum fuit, ut refert Anaſtaſius his verbis: (u) *Sepultus eſt via Aurelia in Templo Apollinis juxta locum, ubi crucifixus eſt juxta Palatium Neronianum in Vaticano juxta Territorium triumphale*. Hujus occaſione narrat Alpharanus a Ciampino relatus, quod ubi nunc Ara maxima viſitur, ibi ante Conſtantinum B. Petri Confeſſio, ſive Oratorium erat, ejuſque prima in Urbe Sedes, ſucceſſorumque ejus, in qua omnes Chriſtiani ad divina audienda, nec non ſacroſancta percipienda myſteria conveniebant. Pro quibus firmandis, plures in noviſſima Ciacconii (x) editione congeruntur auctoritates. His de aedibus ſacris in genere explanatis, jam nunc ad noſtram Baſilicam accedamus.

CA-

(t) *Baron. ad ann. 324. num. 19.* (u) *Anaſtaſ. in Vita S. Petri ad ann. 45. pag. 15. Moguntiae 1602.* (x) *Ciaccon. tom. 1. ad ann. 68. col. 71. Romae 1677.*

C A P U T III.

De Origine, & primaevo Situ nostrae Basilicae: ejus consecratio marmori commendata a S. Damaso, ubi quaedam de Ecclesiarum consecratione. Item de collatis in eam Beneficiis ab eodem S. Pontifice.

PRimum omnium statuendum est in duas potissimum sententias distrahi Scriptores, qui de origine, primaque aedificatione hujus nostrae Basilicae accurate tractarunt. Sunt, qui eam a S. Damaso primum erectam; sunt, qui ab eodem restauratam solummodo, atque exornatam fuisse scripserunt.

Omnium vero gravissimum testimonium pro hujus Basilicae origine petendum omnino est ab extante publice documenro sub ejusdem Sancti Pontificis nomine. Quamobrem asserendum videtur carmen illud, quod inter ejusdem S. Damasi opera circumfertur editum numero XVIII., aut ab eodem non esse confectum, aut si ejusdem ipse Auctor est, tunc opinandum praedictam Basilicam non quidem extructam ab ipso, sed amplificatam, novisque additamentis auctam fuisse. Commemoratum vero carmen a S. Damaso fuisse elucubratum praeter auctoritatem Baronii suadere videntur magni nominis Critici, Baillettus, & Tillemontius, item Fleuri, Milesius Sarazanius, aliique, quorum testimonia brevitatis caussa praetermittimus, ac proinde concludendum est, quod persuasum habemus, S. Pontificem non erexisse primum omnium nostram Basilicam, sed erectam multis accessionibus, & ornamentis stabilitam, & exornatam reliquisse. En (y) vero tibi depromptos, quos indicavimus ejusdem Pontificis versus in nostra Basilica hoc titulo insignitos:

De Templo Sancti Laurentii a S. Damaso instaurato.

Hinc

(y) *Opera S. Damasi cum notis Sarazanii carm. 18. pag. 86.*

Hinc Pater exceptor, Lector, Levita Sacerdos
Creverat hinc meritis, quoniam melioribus actis
Hinc mihi provecto Christus, cui summa potestas
Sedis Apostolicae voluit concedere honorem,
Archibis fateor volui nova condere tecta,
Addere praeterea dextra, laevaque columnas
Quae Damasi teneant proprium per saecula nomen.

Martius Milesius Sarazanius in notis ad eosdem versus, ac praesertim ad verbum Archibis, eam vocem derivari monet a Graeco idiomate Palatium, Regia aedes, & intrusam testatur vocem Archibis pro Archiviis. Nos vero in eam sententiam flectimur, ut S. Pontifex iisdem versibus testatum esse voluerit suum esse consilium, ut veteri S. Laurentii Basilicae recentem ipse, & longe nobiliorem molitionem astrueret.

Ab alio vero subscripto Epigrammate, quod S. Damaso tribuitur, videtur colligi posse Atticam Felicis uxorem, cui quemadmodum ex eodem Epigrammate fit manifestum, clarissimae cognomentum est impertitum, non nihil molitionis huic Basilicae, & facile porticum adjecisse (z).

De Templo S. Laurentii in Damaso.

Quis quis plena Deo mysteria mente requiris
Huc accede, Domus Religiosa patet,
Haec sunt tecta Pio, semper devota timori,
Auditumque Deus commodat hic precibus,
Ergo laethiferos propera compescere sensus,
Jam propera sacras laetus adire fores,
Ut transacta queas deponere crimina vitae,
Et quidquid scelerum noxius error habet,
Attica Felicis Magni clarissima conjux
Sumtibus hoc propriis aedificavit opus.

Sed observandum est labare fidem a S. Damaso conscripti ejusdem Epigrammatis, si praefato Felici Atticae marito a Sidonio Appollinari, veluti refert idem Milesius Sarazanius, versus

(z) *Opera S. Damasi carmen 20.*

sus aliquot conscripti, missique fuerunt, cum iste Apollinaris centum circiter annos post S. Damasi obitum e vivis sublatus sit. Affero, quae super hoc observavit Jacobus Sirmondus in suis ad praedictum Apollinarem notis: (a) *Attica nomine mulier quaedam fuit uxor Felicis, qui Magnus appellatus est, qui Consul tamen non fuit, sed Praefectus tantum Praetorio, & Patritius. Prius enim quam ad Consulatum perveniret saeculum reliquit, & religiosam vitam amplexus est. Attica enim ea videtur, de qua Romae vetus Epigramma in Ecclesia S. Laurentii in Damaso, in qua nescio, quid operis suo sumtu construxerat.*

Videtur autem hic gradum esse faciendum ad elucidandum, quo primum Auctore, & quo reparatae salutis anno erecta fuerit haec Basilica. Verum ejus rei fidem incertam faciunt nutantia testimonia Scriptorum, ex quibus id erui possit, cum omnium firmissima videatur testificatio, quae ex ejusdem S Damasi versibus colligitur. Proinde paullo prolixius, & majori qua possumus claritate erit id perpendendum; praecipue cum non nisi conjecturis in re implexa, dubiaeque fidei agere valeamus.

Itaque primum omnium praejaciendum est, primis Ecclesiae saeculis cum Christianae fidei sectatores, quam maxime divexarentur, Theatra Romae olim fuisse Martyrum pro fide certantium praecipuam Arenam, & Palestram. Porro Gentilium oculis pro ludis spectatissimis, ac ludricis spectaculis exibebantur certamina Christianorum cum bestiis; & hic jugiter adversus Christianos funestae illae voces sanguinem innoxium exposcentes in Caelum attollebantur; Tertulliano testante his verbis: (b) *Si Tyberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si Caelum stetit, si Terra movit, si fames, si lues, statim Christianus ad Leonem acclamatur.* Id eam ob caussam contigisse putat (c) Baronius, quod ejusmodi supplicium vilioribus in primis personis a legibus irrogabatur: Et Christiani apud Gentiles talis erant existimationis; nec adversus vulgares personas solum sic inclamatum,

(a) *Sirmondi Opera tom. 1. Sidon. Apollin. carm. 9. col. 1226. vide notas Sirmondi.*
(b) *Tertullianus in Apologet. ad Sent. cap. 39. pag. 710. Paris 1580.* (c) *Baron. in notis ad Martyrol. 1. Februar. lit. C.*

matum, sed & adversus Episcopos, ut patet de S. Ignatio, qui in Amphitheatro Titi sub Trajano a Leonibus discerptus est. Hic demum Religioni, ac sacris Christianorum ritibus illudebatur, & persecutionum, ac Martyriorum praeludia agebantur, atque Christiani mactandi cum titulo Christianitatis circumducebantur: quamobrem in Theatris constantia illuxit Christianorum in perferendis pro fide cruciatibus; exinde Theatra in Urbe innumeris Martyrum triumphis celebriora reddita. Haec porro omnia contra jura antiqua Romanorum, quibus vetita erant damnatorum cruciamenta in Theatris, cum ludi agerentur, exhiberi.

Haec loca Sanctorum Martyrum sanguine passim illustrata tanquam auro, pretiosisque lapillis locupletata, venerationi insuper esse coeperunt; & horum non pauca commutata subinde fuerunt in aedes sacras, ubi non ferino, aut humano sanguine manantes victimae, sed incruenta hostia amantissimi Filii supremo Patri offerretur; eam praeterea ob caussam, quemadmodum *(d)* Nardinus testatur, in Circo Vaticano, a Constantino Magno elata fuit Beatissimo Petro dicata Basilica: itemque ad Theatrum Scauri, sive ut alii volunt Amphitheatrum Tauri, seu Castrense, altera erecta prope commemoratum Theatrum, cui a Sancta Jerosolymitana Cruce, ejusque supremo cultu dignissima est appellatio. Quamobrem cum constet, clarissimum Martyrem S. Laurentium a primis Ecclesiae saeculis apud Romanum Populum singularem venerationem obtinuisse, ob decerptum in Urbe Gentium Domina ex improbissimis sacrae fidei hostibus triumphum, palmamque; juxta S. Leonis encomium. *(e)* *A Solis ortu, usque ad occasum Leviticorum luminum corruscante fulgore, quam clarificata est Jerosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio;* ad demostrandum quanti ab eodem Romano Populo fieret ejusdem S. Laurentii fides, & constantia admirabilis, Constantinus Magnus Imperator in ho-

(d) *Nardinus Roma antic. lib. 7. cap. 3. pag. 487.* (e) *S. Leo Papa serm. 83. in festo S. Laurentii M. pag. 169. edit. Lugdun. 1700.*

norem ejusdem Levitae extruendam, dicandamque curavit Ecclesiam ab eodem Sancto Martyre nuncupatam in agro Verano.

Ex his admodum credibile apparet, non ita multo post exaedificatas priores Basilicas, Laurentianam hanc nostram fuisse excitatam, aut ab eodem summa pietate praedicto Caesare Constantino, aut ab ejusdem, vel S. Sylvestri Summi Pontificis aliis Successoribus.

Id vero peractum, ut commodius posset sua Sancto Martyri obsequia testificari Populus Romanus, & quidem ad Pompeji Theatrum, quae compertissima coeteroqui Urbis pars incolebatur. Plures enim fide dignissimi Scriptores affirmant nullam Romae celebriori, frequentiorique loco sitam esse Ecclesiam. Permotus demum Ecclesiae ejusdem conditor ad id executioni mandandum ab insinuato superius argumento, quo Christianorum interitum in Theatralibus acclamationibus postulari moris erat a populo Ethnica tunc superstitione, & erroribus illaqueato. Et haec quidem quantum conjiciendo assequi potuimus, [cum firmiora, & magis solida nobis argumenta defuerint] pro erectione nostrae Basilicae exposita esse sufficiat: Cum id solum certo asseverare possimus ex auctoritate ejusdem S. Damasi, & aliorum fide erectam hanc fuisse Basilicam ante tempora ejusdem S. Pontificis. Verum cum ulterius ea de re nihil aliud compertum habeamus, ad alia progredimur, ne forte hic temere quidquam dixisse videamur; quod auctoritate Scriptorum, nedum manifestis rationibus probari non possit.

Hujus Basilicae antiquitas repetenda est a marmorea Tabula exprimente ejusdem consecrationem quarto vertente saeculo per S. Damasum habitam. Asservatur autem inter praeclaras inscriptiones a Fulvio Ursino olim collectas, quae post ejus obitum munificentia Alexandri Cardinalis Farnesii S. R. E. Vice Cancellarii ab interitu vendicatae, in aedibus Serenissimae Gentis Farnesiae ad Campum Florae tutissimo loco custoditae omnium oculis exhibentur.

Praedicta marmorea Tabula literis insculpta, quae promunt pri-

priſcam hujus Baſilicae conſecrationem a S. Damaſo peractam, compari eſt figura, ac magnitudine alteri Tabulae, quam Franciſcus Cardinalis Barberinus pariter S. R. E. Vice Cancellarius in Ara maxima hujus Tituli ex marmore nobiliori ſubſtituit, veterem, ut arbitror, Altaris frontem imitatus. Haec porro inſcriptio videtur in aedes Farneſianas translata, quando praefatus Cardinalis Farneſius hanc Baſilicam reſtauravit, ipſamque, & Aram maximam pluribus ornamentis decoravit, ut gentilitia ejuſdem Cardinalis inſignia in laqueari, & parietibus impreſſa teſtantur. Memoratam inſcriptionem a S. Damaſo poſitam in cruſta marmorea ſemipalmari hic ſubjicimus.

T. I. X. N. EGO DAMASIVS.
VRB. ROMÆ. EPS. AN C.
DOMV. CONSECRAVI.
N. R. Q. S. MS. PA. S. PE.

Eruditus Praeſul Franciſcus Blanchinus hujus literas inſcriptionis ſic exponit: (f) *Titulus in Chriſti nomine Ego Damaſius*. Ita enim promiſcue ſcriptum Damaſium, & Damaſum reperitur in antiquis monumentis: *Urbis Romae Epiſcopus hanc Domum conſecravi*. Sequentium literarum ſenſum non aſſequor, ait ſuperius laudatus Praeſul, niſi forte poſtremarum S. P. A S. P. E., quas S. Paulus, S. Petrus, veluti ſignaculum Eccleſiae Romanae proprium, & a Succeſſoribus cuſtoditum in publicis documentis decretorum, & literarum exponendas eſſe libenter credam. In adverſa parte ejuſdem Tabellae leguntur nomina Sanctorum, quorum Reliquiae ſub eo ſignaculo Tituli, & dedicationis concludebantur, ritu ad noſtra etiam tempora derivato, & ſunt ſequentia.

(f) *Anaſtaſius cum notis Franciſci Blanchini tom. 1. in praefatione, Romae Typis Salvioni* 1718.

HIC REQVIESCIT CAPVT. SCI. CRESCENTINI. M. ET. RELIQVIÆ. S. SVP. ANT.

Aequum porro ducimus animadvertere Ecclesiarum consecrandi consuetudinem ab ipsis Apostolis usque ad nostram aetatem manasse, atque Ecclesiae Romanae libros Rituales, ac Pontificales, ex prisca institutione praecipere, in aedium sacrarum, & Altaris dedicatione, cum (g) Venerabilibus Sanctorum Lipsanis, epocham consecrationis scripto consignatam, ab Episcopo consecrante sub Mensa Altaris ad perennem, diuturnamqne consecrationis memoriam asservandam reponi. Porro tum in Oriente, tum in Occidente, jam inde ab aevo S. Sylvestri mos erat, ut dedicationes Ecclesiarum, Altariumque fierent in Conventu Episcoporum, qui ob hanc caussam invitari consueverant. Tantique hoc celebre ministerium Ecclesiae sacris initiandae, ac dedicandae habitum fuit, ut in Italia id non praesumerent exercere Episcopi Dioecesani quarto, & quinto vertente saeculo, nisi impetrata prius a Summo Pontifice potestate. Quod colligitur ex quadam Epistola (h) Gelasii primi, & ex S. Gregorio: quodque videre est in celeberrimo opere de antiquis Ecclesiae ritibus edito a Patre Edmundo Martene (i).

Caeterum Ecclesiarum dedicationes Imperatorum Optimorum factis, & ex utroque testamento petitis exemplis, & miraculis commendat Durantus. Festivitates vero annuas dedicationis Ecclesiarum ex more veterum celebrari in Evangelio legimus, ubi habetur: (k) *Facta sunt Encaenia Jerosolymis*, quod vocabulum, Encaenia, apud Graecos dedicationem, vel innovationem sonat, & innuit (l) Festum novae dedicationis Templi sub Juda Macabeo renovati.

Festivitates autem dedicationis Templi a Graecis nuncupaban-

(g) *Durantus de Ritib. Eccl. Cathol. lib. 1. cap. 24. pag. 177.* (h) *Gelasii 1. Epist. 9. cap. 4, & 25. S. Gregor. lib. 5. Epist. 45.* (i) *Marteue de Rit. Eccl. tom. 3. lib. 2. cap. 13.* (k) *Joban. in Evang. cap. 10. vers. 22.* (l) *Isidorus de Eccles. Offic. lib. 1. cap. 35.*

bantur Novalia. Porro diem, quo Templum dedicatum est, solemniter celebrabant Judaei, & ipse dies apud illos festus habebatur, qui licet usus in illis exoleverit, quoniam caruerunt, & cultu, & Templo, in nova tamen Gratiae lege morem illum servant Christiani, in quos Gloria veterum Fidelium translata est.

Inter insignia, quae in hanc Basilicam contulit S. Damasus beneficia non postremum obtinet locum, quod in eadem auxit Presbyterorum, ministrorumque numerum Basilicae inservientium, qui postea Canonicorum titulum, ac dignitatem obtinuerunt, atque hoc ipso tempore inter maxime conspicuos Ecclesiasticos coetus in Urbe adnumerantur; cui pro dignitate alendo, exornandoque idem S. Damasus magnificentissima munera elargitus est, ut refert Ciacconius sequentibus verbis: (m) *Duas Basilicas in Urbe Roma exaedificavit, alteram ad Theatrum Pompeji, in honorem S. Laurentii Martyris, quam erexit in Titulum, & dona illi contulit decem aureorum millium, reddituſque annuos assignavit duorum millium sex, & octoginta aureorum, Collegio Sacerdotum Canonicorum in eadem Ecclesia inservientium distribuendorum*. Quampluribus aliis eam dotavit redditibus, qui tum ex contiguis domibus eidem Basilicae assignatis, tum ex Possessionibus in ipso Romae districtu existentibus colligebantur, quos memorat Ugonius (n).

Pluribus insuper sacris supellectilibus, & selectis donariis eam locupletavit, nec non Vasis argenteis, scilicet Lampadibus, Calicibus, Patenis, & hujusmodi, quae omnia, uti refert Anastasius summam librarum Argenti bis centum constituebant; pondus revera, quam maximum, temporum illorum calamitatibus perpensis. Hic dolendum, atque deplorandum est omnia non posse singillatim enarrari, quae S. Damasus in suam Basilicam, veluti ejusdem amoris, pietatisque pignora dona contulerit; temporum enim injuria opportuna desunt monumenta, & memoriae, ex quibus ejusdem Pontificis beneficia, ac donaria colligere fas sit; aliqua tantum ab Anastasio Bibliothecario descri-

(m) *Ciacconius Vit. Pont. & Card. tom. 1. in Vit. S. Damasi col. 253.* (n) *Ugonius de Stationibus pag. 222.*

scripta recensemus, cujus en verba: (o) *Damasus &c. hic constituit Titulum in Urbe Romana, scilicet Basilicam, quam ipse construxit, ubi & donavit Patenam Argenteam pensantem libras quindecim, Scyphum, Anaglyphum argenteum pensan. libras decem, Calices ministeriales argenteos quinque pensantes singulas libras tres, Coronas argenteas quinque pensan. singulas libras octo, Canthara cerostrata Cerea, pensan: libras sexdecim, Domos in circuitu Basilicae praestantes solidos quinquaginta quinque, supra trecentum. Possessionem Papyrianam in Territorio Ferrentino cum adjacentibus antiquis praestantem solidos ducentos, & viginti, & trimisium. Possessionem Antonianam in Territorio Casino praestantem solidos centum, & tres. Balneum juxta titulum praestans solidos septem, & viginti.* Hactenus Anastasius.

Eamdem Basilicam titulo S. R. E. Cardinalis insignivit, ut nonnullorum opinio pervasit, ejusdem appellatione primum omnium nominavit S. Hieronymum. Hic merito est animadvertendum aliquibus praeclaris Urbis Basilicis, ut tradidit Panvinius *(p)* antiquitus addictos Clericos, ac Monachos; ita tamen, ut Monachi dominium simile Clero Saeculari non ubique assequerentur; & cum per aliquod tempus inservissent ipsis Basilicis distinctis Choris, atque Oratoriis, dominium, ut plurimum, ac administratio ad Clerum Saecularem spectaret. In nostra vero Basilica, nunquam Monachi introducti fuerunt ad divinas laudes die, nocteque celebrandas, nec uti priscis illis temporibus mos erat, auxilio fuere Clero Saeculari; ex quo fas est conjicere singulare studium, & sedulitatem, quam hujus Basilicae Clerus ab eadem condita ad nostram aetatem praesetulit, summa diligentia observandi, firmissimasque retinendi praescriptiones, & instituta ab eodem S. Pontifice illi relicta. Id vero trahi potest in argumentum, laudemque ejusdem optime instituti coetus, paternarum traditionum in omne scilicet tempus observantissimi.

Asseverare omnino possumus, quod est animadversione dignissimum,

---

(o) *Anastas. in Vita S. Damasi ad ann. 367. pag. 30. Mogunt. 1602.* (p) *Panvinius de septem Urb. Ecclesiis pag. 135. Romae 1570.*

simum, nullum extare in Urbe Basilicarum, aut Illustrium Ecclesiarum sacri ordinis Clericalis Coetum, penes quem annuorum proventuum, censusque universi, rationes, atque adeo primaevarum institutionum documenta tam diligenter, ac prope religiose custodiantur, & asseruentur, quam in hoc perillustri sodalitio, etsi vetustate cursum 1300. annorum excedat. Hinc nimirum etiam honestissimum fructum, & decus in primis spectabile acceptum referimus beneficentissimae in illum voluntati, perennibus beneficiis, nec unquam intermisso Patrocinio amantissimi Conditoris, quo singularem in modum, etiam num fovet praenobilis hujusce Conventus viros supremo Numini mancipatos.

C A P U T IV.

De Institutione sacrarum Stationum, & sacris Basilicae Lipsanis, ubi de illatis in eam damnis a furore impio gentium barbararum.

ADhuc tamen in spiritualium concessione donorum longe clarius excelluit Sanctissimi Pontificis Damasi liberalitas in hanc Basilicam, ceteris porro beneficiis praefulget stabilita ibidem sacrarum, ut vocant, Stationum solemnitas, quae recurrente quotannis tertia post quartum Quadragesimalis Jejunii diem Dominicum feria celebratur; ut plane indicare possimus, antiquissimam illam perhiberi, cum indictam, defixamque constet ducentos facile annos antequam S. Gregorius Magnus Pontifex renuntiaretur. Licet enim Johannes Diaconus in Vita S. Gregorii Magni asserat: hunc S Pontificem primum Stationes Romae ordinasse; hoc tamen non de primaeva Institutione intelligi debet, sed quod S. Gregorius statuit Ecclesias pro Stationibus destinatas. Apertum siquidem est ab Apostolorum aevo Stationes in Ecclesia initium habuisse, veluti ex Bulla Sixti Papae V. depromimus his verbis: (q) *Inter quae vetus admodum est ab Apostolicis ducta temporibus sacra-*

(q) *Sixt. V. Constit. 28. Bull. tom. 2. pag. 521.*

sacrarum Stationum consuetudo, in quibus Fidelium multitudo ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum memoriam Sanctorum conveniens, Hymnis, & Canticis spiritualibus Deum in Sanctis suis mirabilem laudabat, & salutaribus immaculatae hostiae Sacrificiis placabat, & adversus multiplices antiqui hostis oppugnationes, tamquam in Castris Dei Statione tutissima consistebat.

Tertullianus Scriptor inter Christianos antiquissimus harum Stationum frequenter meminit. Floruit autem teste (r) S. Hieronymo sub Severo, & Antonino Caracalla, Zephirino Romano Pontifice anno salutis 198. Quo quidem tempore crudelium persecutionum angustiis Ecclesia exercita facultatem non habuit certo quodam ordine sacras Stationes distribuendi, quod facilius postea executioni mandatum est. Verum in locis abditis, & Coemeteriis eaedem assiduo celebrabantur, & novo praesertim gliscente conflictu persecutionum, ut animi armis spiritualibus acrius corroborati fortiores essent ferendis aerumnis adversi temporis, & palmis Martyriorum coacervandis, ut innuit idem Tertullianus his verbis: (s) *Sed quando Deus magis creditur, nisi cum magis timetur? nisi in tempore persecutionis Ecclesia in attonito est; tunc & fides in expeditione sollicitior, & disciplinatior in Jejuniis, & Stationibus, & Orationibus, & humilitate in alterutra diligentia, & dilectione, in Sanctitate, & sobrietate; non enim vacatur nisi timori, & spei.*

Rebus postea a Constantino Magno compositis, & restituto pacis otio, a S. Sylvestro, & Successoribus redintegrata est Stationum consuetudo, nec tamen ad stabilem hunc, & certo ritu recurrentem ordinem, quo per haec tempora disponuntur. Nimirum pro Ecclesiae necessitate alternatim fere in Romanis celebrantur Basilicis, ac praesertim diebus festivis excolendis, reddendisque supremo Numini gratiis pro acceptis beneficiis. Ex quo manifeste redarguuntur Polydorus Virgilius de rerum Inventoribus, aliique Scriptores, qui S Gregorium Ma-

(r) *S. Hieronym. de Scriptoribus Ecclesiasticis.* (s) *Tertull. lib. de fuga in persecutione pag. 435, & in annotat. ibi num. 3.*

Magnum praefatarum Stationum conftituunt Inftitutorem, qui ad certum folum numerum, & praefixas Ecclefias eafdem digeffit. Et hoc folum indicare voluerunt (t) Johannes Diaconus in Vita S. Gregorii, & poftea Petrus Mallius, ac Pompejus Ugonius. Accepimus porro admodum vetufti moris fuiffe preces publicas iifdem adjici Stationibus, ut infinuat idem Tertullianus, ubi uxorem admonet, ut pofthabita cura, fe alteri Sponfo non conjungendi, tria folum illa frequentare ftudeat, pias Stationes, Jejunium, & publicas fupplicationes; Adfcribimus ejus verba: (u) *Ut fi Statio facienda eft, maritus de die conducat ad balnea, fi Jejunia obfervanda funt, maritus eadem die convivium exerceat, fi procedendum erit nunquam magis familiae occupatio adveniat.* Quod ad eafdem attinet preces publicas variatum eft hodie: fic autem eft retenta confuetudo Jejunii ex praefcriptione S. Gregorii, ut per fpatium annui Jejunii majoris, conftitutae in Ecclefiis Stationes, Fideles ad orandum allicerent, licet per annum faepius etiam frequententur.

A praefato S. Gregorio, & aliis Pontificibus inftitutae pariter conceffaeque fuerunt Indulgentiae fingulis Ecclefiis fingillatim attributae, quae proinde Stationales vocabantur, ut liquet ex Bulla Bonifacii Papae VIII. expedita ab Aedibus Lateranis decima tertia Aprilis ejufdem Pontificatus anno tertio. Sic autem ibi fcribitur: *Sane frequenti confiderationis indagine perluftramus, & intra Clauftra pectoris follicita meditatione difcutimus qualiter Doctor Optimus Ecclefiae Sanctae Lumen Beatus Gregorius dum adhuc in Terris gereret vices Chrifti, patriarchalibus, & quampluribus aliis ejufdem Urbis Ecclefiis, primo prout tradit antiquitas, & alii poftmodum Romani Pontifices praedeceffores noftri ad honorem Dei, & falutem Animarum Fidelium, quorum ad Urbem de univerfi fere Orbis provinciis innumera confluxit multitudo, de Apoftolicae Sedis liberalitate munifica, diverforum tenorum Stationarias Indulgentias concefferunt.*

Quamplures inter Scriptores reperimus opiniones circa ori-

(t) *Johann. Diac. in Vit. S. Greg. lib. 2. cap. 2. Mallius lib. de biftor. facr. Ugonius de Station.* (u) *Tertull. lib. 2. ad Uxorem pag. 428, & 429.*

ginem vocis hujus *STATIO*. Aliqui putant per *Stationem* nihil aliud intelligi, quam observantiam unius diei statuti, uti erant dies, de quibus sic scriptura loquitur de Elcana: (*x*) *Ascendebat Vir ille de Civitate sua statutis diebus, ut adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo*. Alii non a verbo statuere, sed a verbo stare derivatum esse nomen Stationis crediderunt, ac idem esse, uti mansio, & mora, quam Fideles Christiani in Ecclesiis agebant, sumta a militibus metaphora. Fidelium enim Coetus militans Ecclesia nuncupatur, & vita hominum militia super terram; quamobrem Clericalis militia aequiparatur militiae saeculari. Apud milites vero, teste (*y*) Vegetio, militaris mansio, sive custodia diurna, Stationum titulo; nocturna vero vigiliarum nomine censebatur. Docet item (*z*) Lipsius Romanum morem fuisse totas Cohortes, & turmas ponere in Stationibus non unum, aut alterum militem, ut quos hodie a sentiendo *Sentinellas* vocamus. Cui sententiae aperte favet Tertullianus his verbis: *Si Statio de militari exemplo nomen accepit, nam & militia Dei sumus, utique nulla laetitia, sive tristitia obveniens Castris, Stationes militum rescindit*. Quare sicut ipse standi actus *Statio* denominatus fuit, ita & pariter Crux, quae in publicis supplicationibus deferebatur, idem Stationalis nomen sortita est; Cum Laetaniae, sive Litaniae ante celebrationem indicerentur, ut Populus ad Statutam diem, Statutumque locum conveniret. De Crucibus Stationalibus Gretserus, & Jacobus Bosius, nec non Justus Lipsius peculiares edidere tractatus. Videri etiam potest Eruditus tractatus de ritu sanctissimae Crucis Romano Pontifici praeferendae ab Augustino Fivisanio Palatii Apostolici sacrarii Praefecto edito. Item Johannes Ciampinus in suis veteribus monumentis.

Omissis aliis originibus hujus vocabuli *Statio*, existimamus solum inductam esse hanc vocem persecutionum Ecclesiae tempore propter non levem similitudinem, quae intercedit inter cala-

(x) *Regum lib. 1. cap. 1. vers. 3.* (y) *Vegetius de re militari lib. 3. cap. 8.*
(z) *Lipsius lib. 5. de militia humana Dialog. 8.*

calamitosam conditionem eorum temporum, quo necesse erat adversus Imperia Tyrannorum, & acerbissimos cruciatus Fideles Christi fortem animum gerere, & statum ipsum bellicae facultatis, & disciplinae cum hostes in proximo adorientes metum intendunt, & dimicationis signum tubis traditur.

Quemadmodum enim milites audito Buccinae signo Stationem suam, idest assignatum praelio locum tuebantur; non impari modo primaevi Fideles, ubi primum innotesceret instantis persecutionis indicium, recedebant in subterraneas Cryptas, & Coemeteria singulae sacrae phalanges cum suis ducibus, ut ibi precum frequentia, vigiliarum assiduitate, & aliis sacris munimentis instructi, quasi totidem clypeis, & loricis ad fortiter sustinenda praelia, & Tyrannorum insultus se compararent; Proinde a servato constanti ordine in conflictu, animisque ad dimicandum instructis militari prorsus exemplo, & origine, sacrae itidem Stationes nuncupationem suam obtinuerunt. Haec de Stationibus dicta sufficiant, ac ad alias vetustas nostrae Basilicae referendas memorias progrediamur.

Ex tot aliis illustribus thesauris, quibus hanc magnificentissimus Pontifex ditavit Basilicam multa periere. Infanda enim Urbis direptio ab Ostrogothis, & Visigothis inflicta, non solum sacra ornamenta, verum etiam nostros Ecclesiasticos redditus, ad majorem summam pertingentes admodum diminuit. Equidem quinto currente saeculo capta Urbe a Gothis, & Vandalis sub eorum Regibus Alarico, Ataulpho, ac Genserico, in tam Venerabili Sanctuario nullum intentatum scelus, neque sacrorum, neque Dei ullam habentes rationem, vel cultum, Barbari illi praetermiserunt. Quippe profanato Templo, expoliatis Altaribus, succensis Reliquiis omnia rapientes, igne, ferroque devastarunt: Etsi praefato Alarico Urbem irruente a Gothis, ut refert (a) Isidorus, hoc votum exactum fuit, ut quicumque Romanorum in locis Christi invenirentur, in eos agere belli jure non liceret, sed ibi & feriendi refraenaretur imma-

 nitas,

(a) *Isidorus in Chronico ad ann.* 409.

nitas, & captivandi cupiditas coerceretur: Quod quidem non ubique est observatum.

Nec leviorem cladem in alia Urbis direptione anno 1527. die Lunae sexta Maii, a militibus Caroli V. Imperatoris misere pati visa est: Tunc enim Romana plebs, quae sub vexillis capitum regionum convenerat undequaque intercepta incredibili saevitia trucidata est: Adeoque saevitum est, ut nec in Templis, nec ipsis in adytis latitantes, aut ad sacrosantas Aras confugientes vitam tuerentur. Et aedes quidem Basilicae nostrae nexae, adsitaeque satis praesidii habere videbantur adversus incursus, & furorem hostilem, quoniam easdem incolebat Pompejus Cardinalis Columna S.R.E. Vice Cancellarius partium Caesarianarum cultor, & fautor, licet tunc cum suae Familiae Proceribus extra Urbem ageret exercitus Caesarei studiosus, & earumdem custodiae aedium reliquerit Bernardum Reatinum Concistorialem Advocatum rerum suarum administrum. Eventus autem ipse aperuit ejusdem Cardinalis absentiam earumdem aedium vastationi aditum aperuisse. Praemiserat ille quidem ad eumdem Bernardum Vexillum bellicum, quo palam explicato, Basilicam, aedesque contiguas sartas, tectas futuras existimavit. Verum opinio ipsum sua falsum habuit; cum enim die, vastationem Urbis antecedente captivum fecisset Pontifex commemoratum Bernardum, certis indiciis deprehensum de eodem Caesareo Vexillo retento, ejusdem Bernardi nepos, cui Patrui vita, & incolumitas immunitate earumdem aedium, & Basilicae potior fuit, nullis precibus adduci potuit, ut Vexillum illud explicaret. Quamobrem a furente exercitu in easdem aedes perinde, ac in alia Urbis aedificia saevitum crudeliter est. Scriptor hujus Eventus *(b)* Marcellinus Alberinus in narratione manuscripta super eadem Urbis vastatione, qui salutis quaerendae caussa cum suis consanguineis in easdem Cancellariae aedes secesserat. Tunc interierunt acta omnia Archivi hujus nostrae Basilicae, ut in eodem, adhuc infandi doloris memoria servatur sequenti inscriptione. *Ar-*

(b) *Marcellini Alberini Codex M. S. in Biblioth. Ottobon.*

Archivum Laurentianum multis preclariſque antiquitatis monumentis olim refertum. Anno Domini MDXXVII. a Germanis militibus hanc Urbis partem hoſtiliter vaſtantibus incenſum [Proh dolor] & direptum.

Quae tamen in hoc noſtro Templo ſuperſunt Reliquiae inſigniores, reputantur, Corpus S. Eutychii Martyris, quod a Coemeterio Calixti in hanc ſuam dilectam Baſilicam delatum, B. Damaſus ſub Ara maxima collocavit. Hujus Martyris cum acta exciderint, remanet ſaltem ejus Elogium a Damaſo Papa ſcriptum, glorioſi Martyris triumphos exhibens; Extat inciſum in lapide apud Eccleſiam S. Sebaſtiani ad Coemeterium Calixti Via Appia, ut teſtantur (c) Baronius in Martyrologio, Bollandus in Actis Sanctorum, & Panvinius in libro de ſeptem Urbis Eccleſiis; Carmina ſunt hujuſmodi:

Eutychius Martyr crudelia juſſa tiranni,
Carnificumque vias pariter tunc mille nocendi
Vincere quod potuit, monſtrante gloria Chriſti
Carceris in luviem ſequitur nova poena per artus
Teſtarum fragmenta parant, ne ſomnus adiret
Bis ſeni tranſiere dies, alimenta negantur,
Mittitur in barathrum Sanctus lavat omnia Sanguis
Vulnera, quae intulerat mortis metuenda poteſtas,
Nocte ſoporifera turbanti in ſomnia mentem
Oſtendit latebra inſontis, quae membra tenerent
Quaeritur, inventus colitur, fovet omnia praeſtat
Expreſſit Damaſus: meritum venerare ſepulchrum.

Sub eadem inſuper Ara ejuſmet Sanctiſſimi Fundatoris Reliquiae translatae ab Eccleſia Via Ardeatina ab eodem conſtructa in hanc noſtram honorifice requieſcunt, ac ſumma Populi veneratione coluntur.

At vero recolendae Fundatoris noſtri Damaſi translationis, veluti ſuperius dictum eſt, certum omnino tempus ignoratur. Ex

(c) *Baronius in Martyrol. 4. Februarii pag. 51, & Annal. tom. 12. in Append. Panvinius de ſept. Urbis Eccleſiis pag. 98.*

Ex his tamen, quae Bibliothecarius (*d*) in Adriani Papae I. gestis refert, satis evidenter convincitur, ante ejusdem Pontificis tempora contigisse.

Illud postremo, enarratis de Sanctissimi nostri Fundatoris translatione subtexere visum est, nempe quod saeculo praeterito, scilicet anno 1639. Urbano VIII. Summo Pontifice, Franciscus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vice Cancellarius, ejusdemque Ecclesiae titulo insignitus Templi absidem in splendiorem formam restituendam curavit, veteri inde amoto Altari, sub quo S. Pontificis Corpus una cum invicti Martyris Eutychii Corpore asservabatur ejuscemodi insculpto titulo:

Sub hoc Altari condita sunt Corpora
S. Damasi Papae, & Confessoris
Et S. Christi Martyris Eutychii.

Verum nobili postmodum theca inclusum Sanctissimi Fundatoris Corpus anno 1645. Kal. Septembris, qua potissimum die solemnis dedicationis ejusdem Basilicae memoria recurrit, pridie juxta sacrorum Canonum praescripta vigiliis de more peractis, & novo, juxta Sanctae Romanae Ecclesiae ritum, Altari consecrato a Reverendissimo D. Johanne Baptista Scannarolo Archiepiscopo Sidoniensi Canonico, & Vicario Vaticanae Basilicae sub eodem Altari variis marmorum crustis affabre elaborato, pia Cardinalis memorati manu, una cum sacro Eutychii Martyris Corpore, pretiosi instar thesauri, intra aeneam arcam reconditum fuit, hac etiam inscriptione addita.

Divis Damaso Pontifici,
Et Eutychio Martyri
Franciscus Cardinalis Barberinus
S. R. E. Vice Cancellarius
Aeneum hoc sepulchrum condidit
Post extructam a fundamentis
In honorem Divi Laurentii,
Et horum Sanctorum

Mar-

(d) *Anastasius in Vit. Adriani I. ad ann. 772. pag. 159.*

Marmoream Templi absidem,
Ut ipsi de ejus salute solliciti sint
Anno MDCXXXXV.

Sub eodem quoque Altari extat pars Corporum Sanctorum Fausti, & Jovini. Altera vero custoditur in Ecclesia Sanctorum duodecim Apostolorum.

Sub alio Altari Sanctorum Michaelis, & Andreae recondita jacet media pars Corporum S. Boni Presbyteri, & S. Mauri Clerici, ac Sociorum, quorum dies festus Kalendis Augusti celebratur, ut testantur Pancirolus in Thesauris absconditis Almae Urbis, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae. Sed aperte constat ex M.S. quodam Codice Vaticano ab Aringho relato: (e) *Translata sunt autem Corpora Sancta post quaedam annorum curricula, & introducta in Urbem, atque in Basilica B. Laurentii juxta Theatrum Pompeji diligenter recondita non longe ab Altari, in quo requiescit Corpus S. Damasi*. Translatio in hanc Basilicam Corporum horum Sanctorum Martyrum cura, ac diligentia Stephani Papae VI. accidit Caelesti quodam Omine; ut sicut Beati Martyres suasore, & auctore Stephano I., cujus fuerant Discipuli, strenue pro Christo pugnaverunt, sanguinemque fuderant; sic aliter Stephanus successor pia sollicitudine eos pari cultu venerandos exhiberet.

Nomina, ac Reliquiae eorumdem Sanctorum sociorum sunt; quae sequuntur Fausti, Primitivi, Calumniosi, Johannis, Exuperantii, Cyrilli, Honorati, Theodori, Basilii, & Costi Martyrum, ut Aringhus testatur (f).

CA-

(e) *Aringhus Roma subter. tom. 2. lib. 4. cap. 5. pag. 15.* (f) *Aringhus ubi supra.*

CAPUT V.

De adjectis ad Basilicam Mansionibus ubi de S. Hieronymo; & de S. Birgitta hospite.

PLurium Scriptorum auctoritate compertum habemus extitisse juxta Ecclesiam Domunculas a S. Fundatore constructas pro ejusdem Clero, quarum aliquae postea pro Canonicorum Mansionibus constitutae fuerunt, aliae vero ad hospitandos Peregrinos Romipetas magni nominis; ibi enim incolatum duxit Coetus Monachorum duodecim, qui venerant in comitatu cujusdam Monachi ab Imperatore Aethiopiae nuncupato Presbytero Johanne pro Nuncio Romam missi. Ejus rei monumentum in janua majori Basilicae Vaticanae incisum est opere Aeneo Anagliphico, jussu Clementis VIII., ut Ciacconius enucleate commemorat, cujus en verba: (g) *Anno* 1441. 10. *Octobris Abbas Sancti Antonii in Aegypto, vir insignis, duodecim ferme Monachis comitatus Romam venit, ad portam Urbis obviam illi factis, Gubernatore, Senatore, & Regionariis Romanae Urbis, Praefecto Arcis S. Angeli, Conservatoribus, multisque aliis Civibus, a quibus deductus est in Basilicam S. Petri, ubi illi Vultus Sanctus ostensus; hospitatus est ad Sanctum Laurentium in Damaso.* Tot autem viri, ac mulieres sanctimonia insignes in iisdem Domunculis sedem posuerunt, ut illis vulgi fama, ac suffragiis nomen inditum fuerit Receptaculum Sanctorum, veluti ex antiqua traditione accepimus; licet vel injuria temporum, vel recentioris aedificii occasione nulla remanserint ad praesens vestigia pii hujus, atque conspicui operis.

Inter tot Illustres aedicularum Hospites, & Incolas praetermitti citra injuriam nequeunt, in primis Divus Hieronymus ab Oriente Romam accersitus, a S. Damaso, qui anno Redemptionis CCCLXXXII. Presbyter primum Titulo S. Anastasiae ad

(g) *Ciacconius Vit. Pontif. & Card. tom. 2. col.* 874. *in Vit. Eugenii IV.*

ad Palatina; demum S. Laurentii in Damaso decoratus fuit, si tamen fides praestetur Ciacconio (*h*), cui adversantur Cardinales Baronius, & Belarminus. Illud nihilominus tantum pro certo asserimus, quod ejusdem S. Hieronymi doctrinae, ac sanctimoniae celebritate permotus S. Damasus, e Palestina eum evocavit, ipsiusque opera solido triennio usus est in Ecclesiasticis Epistolis conscribendis; antea vero Jerosolymae incolam Hieronymum Epistolis saepe S. Damasus alloquebatur, crebris eum divinae Scripturae quaestionibus pulsans, veluti ejusdem S. Damasi literae ad eum datae testimonium perhibent: *Quod admiratione dignum est*, inquit (*i*) Baronius; *tantum Antistitem, atque Doctorem, qui munere pastorali ex sublimiori Cathedra in medio Ecclesiae sita omnes doceret, tamen non dedignatum aliqua, ut plenius disceret, a privato homine percontari, ut ex his saltem videas, quam procul ab omni fastu, cujus aliquando insimulatus fuisset, Damasus abhorreret*. Sane quod in primis S. Damasus Opera Hieronymi usus sit in scribendis Epistolis, hoc nimirum testatur ipse Hieronymus inquiens: *Ante annos plurimos cum in Chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanae Urbis Episcopum, & Orientis, & Occidentis Synodicis consultationibus responderem*. S. Damasus siquidem studiosissimus, sacrarum Scripturarum cultor, ac perscrutator, plura ab ipso S. Hieronymo super variis quaestionibus petiit responsa, latius ita differendi ansam illi praebendo. Opportunus proinde accidit adventus, & incolatus Romae S. Hieronymi, quoniam S. Damasus ejus Opera usus est, ut refutaret sacrilegos errores Helvidii, & Joviniani, quorum blasphemias primum licet ab Helvidio Romae disseminatas compescuit, & penitus in exordio necatae fuerunt S. Damaso nimirum, & S. Hieronymo ex adverso pugnantibus. Sed ut redeamus ad controversiam, unde discessimus, an fuerit S. Hieronymus Presbyter Cardinalis, cum a multis gravibus Scriptoribus haec quaestio exagitata sit, eamdem nobis dirimere non est consi-

(h) *Ciaccon. de Vitis Pontif. & Card. in Vit. S. Damasi tom. 1. col. 253.* (i) *Baron. Annal. tom. 4. ad ann. 378. pag. 403.*

lium, hoc tantum recensentibus, quod in Archivio Liberianae Basilicae, testatur Abbas Paulus de Angelis sequentia adesse, hoc pacto: (x) *Extat pictura antiquissima musiva, in qua inspicitur imago S. Hieronymi docentis Paulam, & Eustochium cum Mitra, quae est insigne Cardinalatus, ac certum testimonium, cessante in eo Episcopali dignitate.*

In superius memoratis aediculis pariter incolatum duxit S. Birgitta Svecorum decus, quae una cum S. Catharina filia sua ad hanc Urbem accessit anno MCCCL., & Domunculas suo hospitio illustriores effecit, pluribus ibi acceptis revelationibus. Circa quas (y) opportune nos admonet Divus Antoninus, S. Birgittam per viginti, & octo annos, quibus singulari Dei beneficio, prophetiae, & revelationum donum obtinuit, nunquam ab aliquo loco pedem extulisse, nisi per afflatum Spiritus Sancti. Vana itaque conjectura non est eam Divino afflante Numine ad hanc Urbem advocatam fuisse, cum Christus Dominus ad illam in quadam revelatione haec allocutus sit referente Surio: (z) *Proficiscere Romam, illic enim Plateae sunt auro instratae, & Sanctorum Sanguine rubricatae, ibi enim propter condonationes, seu indulgentias, quas promeruere Sancti compendio venitur ad Caelum.* Jam in iisdem Domunculis Sancta Mulier per plures annos permanserat, cum Dominus, tum ad exercendam ejus invictam patientiam, tum ob ei meritum augendum, magnam Spiritus vexationem supervenire permisit, quae in eisdem ejus revelationibus apparet, nempe illi (a) Cardinalis Urbis Vicarius intra mensis spatium, ut e domo discederet, aliamque sibi pararet, renunciavit. Vehementer merito tristabatur, cum in ejus cubiculo adesset fenestella eo modo disposita, ut sacram thecam, atque Iconem Sanctissimi Crucifixi in nostra Ecclesia conspicere posset, apud quem assiduas preces, atque ferventi oratione spiritum extollebat. Firma etenim extat traditio, saepe inter orandum Redemptoris nostri Iconicam passionis effigiem

(x) *Abbas Paulus de Angelis de Basilica S. Mariae Majoris lib. 6. cap. 4.* (y) *Birgittae Revelat. tom. 2. pag. 371. S. Antoninus historiar. lib. 3.* (z) *Surius tom. 4. 23. Julii in Vita S. Birgittae.* (a) *Revelationes S. Birgittae tom. 2. cap. 107.*

giem cum ea colloquium habuiſſe; eamque maxime ob cauſſam ea effigies ſingularem cultum, & affluentis populi venerationem obtinuit. Quod inſuper dictum accipias, de ſacra ejuſdem Salvatoris Imagine, quae in Baſilica Divi Pauli aſſervatur, atque cum commemorata S. Birgitta caeleſtia colloquia ſociaſſe, eſt memoriae traditum praecipue vero a Pancirolo *(b)*.

Quam vehementer tam infauſto nuncio, & imperio commota fuerit Beata Birgitta explicari non valet: Undique anguſtiae, ubique timor, triſti eam conſideratione vexabant; his animi perturbationibus afflicta per omnes Urbis vias, per plateas, per vicos excurrens, nullum ſibi potuit invenire conveniens Domicilium: tum equidem Sancta Mulier dolorem, ſuſpiria, & lacrymas adauxit, ac ferventius orationi vacans, Majeſtatem Divinam gemitibus, & obſecrationibus implorare, ſibique conciliare non omittebat. Nec revera ſpe fruſtrata, nam biduo ante praeſcriptum ab eo domicilio profectioni diem, in haec illam verba allocutus eſt Dominus: (*c*) *Noli triſtari o Filia, ſcias, quod de iſta Domo non expelleris; hoc ego permiſi ad utilitatem tuam, & ad majorem Coronam.*

Hac revelatione accepta, confeſtim hilari animo ad Rectorem ſpiritualem ea de re certiorem faciendum ſe contulit, & dum revelata enarrant advenit commemorati Cardinalis Vicarii Nuncius, qui ei aperuit de domo amplius non eſſe diſceſſuram. Quamobrem uſque ad praeſens in perilluſtri hac noſtra Baſilica ingenti veneratione, atque cultu Icon haec ſervatur in decentiori totius Eccleſiae Sacello Sanctiſſimo Crucifixo dicato.

(b) *Pancirolo Teſori naſcoſti Rione 12. de S. Laurent.* (c) *S. Birgittae Revelat. tom. 2. cap. 107.*

CAPUT VI.

De veteri Basilicae Balneo a S. Damaso sacrorum ministrorum usui excitato. De vario Balnearum usu, & in iis adhibendis veterum luxu, item de Thermis.

IN relato Sanctorum Receptaculo num alii post memoratos hospites habitaverint ignotum hactenus nobis est. Nulla enim posterorum reperitur memoria. Eadem temporum injuria factum, ut fere intercideret recordatio magnifici Balnei indicatis mansionibus conjuncti, atque Basilicae adsiti, quod S. Pontifex Damasus huic attribuit Ecclesiae, veluti testimonium perhibet Anastasius Bibliothecarius (*d*).

Adjunctum proxime Basilicae Balneum, vel concessum, vel extructum a S. Damaso sacrorum potissimum ministrorum usui, qui eidem Basilicae operam impendebant, ansam nobis praebet, & opportunitatem digrediendi ad explicationem rei Balneariae juxta illorum temporum usum, aeque ac luxus, quem prisci homines in Thermis adhibuerunt.

Balneorum porro publicum usum etiam post Christi Domini tempora viguisse constat, & evincitur ex hoc Balneo a S. Damaso erecto. Cum incremento tamen Religionis, & pietatis Christianae elanguit primum, postea sublata illa penitus est consuetudo: Nam quae alicubi ad Corporum munditiem, & valetudinem mos hodie Balnea introduxit, & frequentiae parum, & nihil quod officiant honestati habent; praesertim si recentiora cum veterum Balneis conferantur.

Balnea primum Cicero nuncupat locum, ubi aquae frigidae, tepidae, ac calidae ad lavandum aptantur. Earum usus tum valetudinis recuperandae gratia, tum viribus firmandis, frequenter etiam sola jucunditatis caussa adhibebatur. Sunt qui inventa primum Balnea putant, ut quotidianae sordes eluerentur, mun-

(d) *Anastas. in Vit. S. Damasi ad ann. 367. pag. 30.*

mundumque retineretur Corpus. Nam cum rarus esset apud veteres linearum vestium usus, ideoque prisci Romani non induerent linteas, vel lineas tunicas, quas vocant subuculas; sudor, sordesque inde facilius, & majori copia Corporibus inhaerebant, ac saepius ea abluere necesse habebant. Quamobrem Romanos, sive adhuc in prisca severitate morum, quam Reipublicae aevo coluerunt, sive sub Principum Fastu frequentem, ac prope quotidianum coluisse lavandi usum, omnibus, qui illorum gesta perscrutati sunt, satis, superque elucescit. Hinc tametsi unusquisque civis mediocriter dives privatum possideret, quamplurima tamen Balnea publica in singulis Urbis Regionibus aderant, in quibus plebs ad libitum se lavaret; si quibus autem locis deessent, aut corrupta reperirentur, ea antiquitus Aedilium cura addidit, sive restituit. Hoc tamen est advertendum, non temere variare Scriptores, dum utrumque dixerunt Balneum, vel Balneas in genere foeminino, & Balineum, vel Balinea, quae referuntur potissimum ad tria verba, nempe modo Balneum, alicubi Balnea, alibi Balneas, de quibus vide Orthographiam Aldi Manutii, & Charisium Sosipatrum. Balnea publica erant aedificia non tam ad lavandum, quam sudandum, aliasque corporis exercitationes, tum etiam ad comessandum, & compotandum hilariter structa. Balneae ad lavandum dumtaxat extructae. Balneum erat solummodo privatorum: Verum hoc quidem discrimen non perpetuo servatum. Hyemales aliae, aliae Aestivae, item planae, alicubi pensiles constructae Balneae. Has suo inventas tempore memorat Seneca (*e*), sed Plinius, Macrobius, & Valerius Maximus, primum omnium earum inventorem tradunt Sergium Oratam hominem voluptuarium, qui Gnei Pompeji, & Mythridatis Regis aevo floruit; Loci vero, in quibus Balnea sumebantur, Thermae sunt nuncupati; quod verbum a Graeco calidum significat, unde Thermas a Latinis proprie appellatas videmus, ut ipsa-

(e) *Seneca Epist. 86. pag. 283. edit. Lugd.*

ipsarum Blondus (*f*) deffinitionem tradit, loca, quae calentibus aquis, aut ipso sine aquis fornice igne calefacto lavandi, sudandique usibus deputata sunt.

Veterum porro in nullis operibus tam luxus, & dementia cernitur, ait Georgius Fabricius in sua Roma, quam in Thermis Imperatorum, quippe eo Principum luxuria perducta, ut nullam hac in re modestiam, sobrietatemque servarent. Itaque Thermarum appellatione insana a multis condita fuere aedificia, de quibus conqueritur Ammianus Marcellinus inquiens: *Lavacra in Modum Provinciarum exstructa*. Etsi Henricus Valesius in notis ad eumdem (*g*) Marcellinum putat dixisse lavacra in modum Piscinarum extructa, cujus en verba: *Ita quidem praefert Codex Colbertinus, simillimus Regio Codici; Sed tamen vix crediderim Ammianum tam insolenti Hyperbole in historia sua usum esse, ut ampla quantumlibet Balnea publica Urbis Romae, maximis, & latissimis Imperii Romani Provinciis compararit. Cum Balneas, seu Thermas amplius* 800. *Sextus Rufus in Urbe agnoscat, quidam Balnea* 909, *Thermas* 20. *Itaque existimo Ammianum scripsisse in modum Piscinarum*. Erant in Thermis areae amplissimae porticibus circumseptae, speciosissimis, camerataque superbissimis fornicibus aedificia in circuitu habentes, in quibus columnas diversi coloris marmoreas immensas pluribus ordinibus dispositas fuisse constat. Erant etiam Nemora, atque Natatoria populi, ludis, deliciisque exposita. Etsi vero insana haec aedificia a luxu profecta, notavimus; compertum tamen est nonnullos Principes bene, & utiliter usos iisdem fuisse; quippe dum Populus Romanus in has aedes convenit, ludit, & lavat, colludentes spectat, sicque hyeme frigora, aestate caumata mitigat, tranquillior, ac quietior Urbis status ubique redditur; qua ratione Circos, Theatra, Amphiteatra pariter a principio instituta.

Consueto more Thermae non mixtae, nec vulgatae, neque communes fuerunt, sed tandem malorum Principum culpa actum

(f) *Blondus Roma instaur. lib. 2. cap. 1. pag. 241. Basileae 1531.* (g) *Marcellinus histor. lib. 16. cap. 10. pag. 131. cum notis Valesii, Parisiis 1681.*

actum eſt, ut Foeminae, Virique promiſcue lavarentur nullo pudore nuditatis. Idque a Romanis Graecos accepiſſe queritur Plutarchus (*h*). Julius Capitolinus (*i*) ſcribit Marcum Aurelium Antoninum Philoſophum modeſtiae conſulentem tria praecipue correxiſſe, quod Matronarum mores defluentes compoſuit, in Civitatibus ſederi in equis, aut vehiculis prohibuit, & lavacra mixta ſubmovit. Commodum autem Imperatorem idem Capitolinus ait, ſepties in die lavaſſe; ejuſque Succeſſorem in Imperio Pertinacem, cum in omnibus eſſet modeſtus, tamen publice die Natalis Urbis pariter laviſſe. Item de Gordiano Imperatore ſepties quotidie Aeſtate, Hyeme bis, vel tertio. In his Imperatorum Balneis, omnes adhibebantur, ac lavabant, ſimul cum Principe; admittebantur etiam ſaepe mulieres pulchrae, ac formoſae puellae, & cum his anus deformes, idque ad jocum, & oblectationem. Agrippa huic aditum procaci licentiae aperuit, cum primum Balneas publice inſtituit. Adrianus Imperator (*k*) fruſtra vitioſam conſuetudinem tollere conatus eſt. Idem etiam non modo irrita opera tentarunt ſubſecuti Caeſares, ſed diu multumque a Summis Pontificibus, ac Chriſtianis Praeſulibus, Sanctiſque Patribus fuit laborandum, ut publicum hunc morbum ſeverior demum legum medicina curaret.

Helius Spartianus (*l*) in Alexandri Severi Principis praeſtantiſſimi vita, multa refert, ex quibus quanta Thermarum amplitudo, & quem in uſum inſtitutae fuerint melius quam alibi intelligi poteſt. Extat etiam Thermarum deſcriptio apud Nicolaum Sipontinum, ex qua luxum Imperatorum in aedificandis Thermis cognoſces: Omnium autem diligentiſſime, [ait Roſinus (*m*)] de Romanorum Thermis ſcripſit Andreas Baccius Elxidianus Medicus. De Inſtrumentis, & Famulitio Balneari, vide

(h) *Plutarchus in Vita M. Catonis*. (i) *Capitolinus in hiſtor. Auguſta tom. 1. in Vita Marci Aurelii pag. 750. Lugd. Batavor. 1671.* (k) *Lampridius in hyſtor. Auguſta tom. 1. pag. 912, 917, & 920. cum notis varior.* (l) *Spartianus in hiſtor. Auguſta tom. 1. de Alexandro Severo cum notis varior. Lugd. Batav. 1671.* (m) *Roſinus Antiquit. lib. 1. cap. 14. pag. 27. Lugduni 1585.*

vide plura apud eumdem Rosinum, & *(n)* Blondum. De partibus Thermarum, sive exercitationum locis in Thermis videri potest Hieronymus Mercurialis (*o*) Medicus Patavinus: hoc tandem notandum superest, quod ne assueta Balneis corpora aegrescerent, dum eorum usus sublatus est, paullatim coeptum est, pomis, aliisque arborum fructibus uti largius, ut per ingestionem humidioris cibi adminiculum humidi Balnearis pensaretur, ut Braecius notat in Opusculo de aquis Tyberinis. Sed de Thermis satis, superque sint dicta ; ad nostram Basilicam, unde discessimus redeamus; occasione capta a Balneo a S. Damaso pro Clericis ejusdem instituto de Thermis differendi.

CAPUT VII.

De pia Summorum Pontificum liberalitate in hujus Basilicae Instauratione. De ejusdem antiquiore statu. De Cardinalium Media Rotae, & Riarii studio, & magnificentia in novam excitandam Basilicam ob priscae molitionem labentem; ac de Cancellariae Apostolicae Aedibus.

ELapsis quatuor circiter saeculis a primaeva hujus Basilicae Instauratione, Ecclesiam ipsam temporis ambitu multis partibus fatiscentem ab Adriano *(p)* inter Pontifices hujus nominis primo, qui ut (*q*) Anastasius, Platina, & Panvinius referunt in ejus Vita omnium Urbis sacrarum aedium restaurator extitit, anno septingentesimo octogesimo fuisse restauratam apertum est. S. Leo insuper hujus nominis Tertius eamdem vetustate labentem denuo reparavit ex ejusdem Anastasii testimonio, qui ait; (*r*) *Nec non igitur, & sarta tecta Tituli B. Laurentii, qui appellatur Damasi noviter restauravit*, donec tandem

(n) *Blondus Roma Instaur. lib. 2. a cap. 1. ad 23. Basileae* 1531. (o) *Mercurialis de Arte Gymnas. lib. 1. a cap. 1. ad 12.* (p) *Anastas. Biblioth. in Vit. Adriani I.* (q) *Platina cum Onuphrio Panvinio in Vit. Adriani I. pag.* 109. *Coloniae* 1573. (r) *Anastas. in Vita Leonis Papae III.*

dem in deteriorem redacta conditionem cum aedibus illi contiguis, relatoque superius Balneo, vel propter vetustam Molis congeriem, vel propter cupiditatem eorum, qui ad hunc situm oculos adjecerant, ut sibi ipsis domicilium pararent, integre solo adaequata, & in locum, ubi modo conspicimus translata est. At nostrarum esse partium existimamus quaedam referre de structurae forma hujus Basilicae, ejusque exaedificatione a S. Damaso peracta; Sed quoniam injuria temporum, vel Scriptorum negligentia effectum est, ut admodum paucae ejusdem memoriae supersint ex Pancirolo (s), qui de eadem nec sane prolixius scripsit, ideo pauca quoque elicienda nobis sunt, quae memoratu digniora literis trademus. Scribit autem praefatus Auctor tribus spatiosis interioribus porticibus, quas naves vocant, compositam fuisse, ab iisdemet columnis numero centenario suffultis, quae prius lapsas Pompeji aedes, vel porticum, vel atrium, aut curiam sustinebant; cum plura ejusdem aedificia prope hanc nostram Basilicam extiterint, ut superius dictum est. Idem Pancirolus asserit antiquam Ecclesiae frontem Aquiloni fuisse obversam, atque Janiculum spectasse, cum posterior Orientem Solem aspiciat; nulla Romae celebriori, frequentiorique loco sita est Ecclesia, nulla majorem Urbis partem complexa, ab omnibus siquidem lateribus magnifica, atque in Urbis centro existens. Et haec quidem quanta maxime potuimus significatione certa veritatis, non ita multa ex eodem Pancirolo colligere licuit, ad praemonstrandum priscum Basilicae statum, uti eam S. Pontifex Damasus pro sua pietate refecerat, & reparaverat. Omnium primus Ludovicus Cardinalis Mediarota Patavinus, quem alii Scarampum vocant, Aquilejae Patriarcha, ac sub Eugenio hujus nominis IV. Camerarius, vertente anno 1435. corrosa reliqua evertit, & molis fundamenta, quam hodie miramur, posuit. Sed morte praeventus ab incoepto desistere coactus, atque alteri molitionem cedere. In interiori hujus Basilicae Sacrario ad usum Canonicorum, de eodem sequens asservatur Epigraphe. X *D.*

(s) *Pancirolo Tesori nascosti di Roma pag.* 406.

D. O. M.

Ludovico Mediarotae Patavino Patriarchae Aquilejensi Episcopo
Cardinali Albano, & Titulo Divi Laurentii in
Damaso S. R. E. Camerario.
Quod animi magnitudine, & singulari praeditus prudentia.
Cum rem Romanam multitudine hostium laborantem
Legato ab Eugenio IV. in splendorem pristinum,
Armis, & Victoriis vindicasset, Nicolaum Piccininum apud Anglariam
Florentinos Ecclesiae socios infestantem profligasset,
Agrum Picenum a Francisci Sforziae dominatu
In ditionem Romanae Ecclesiae recuperasset,
Turcas sub Callisto III. in navalibus praeliis contudisset,
Autboritatem Romani Pontificatus longe, lateque propagasset,
Domesticis quoque virtutibus consilio, gravitate,
Continentia, plurimis denique in omnes bonos
Liberalitatis, & beneficentiae monumentis
Bellicas laudes ornatiores reddidisset.
Henricus Brunus Archiepiscopus Tarentinus
Summi Pontificis, Sacrique Senatus a secretis,
Aerarii Apostolici Praefectus, tantae virtutis
In lucem revocandi caussa, veterem quoque suam
In eum observantiam, hoc recenti pietatis Officio testaretur.
Hoc illi monumentum XL. ab ejus morte anno
Sua pecunia faciendum curavit.
Anno salutis CIϽ. IϽV. XII. Kal. Aprilis
Vixit ann. LXXIII. mens. IV. dies VIII.

Subinde Raphael Riarius patria Savonensis a Sixto IV. anno aetatis suae XVII. inter nepotes assumtus, ac in Cardinalium ordine cooptatus a Titulo primum S. Georgii in Velabro; mox S. Sabinae, ad Basilicae S. Laurentii in Damaso Titulum promotus, Sanctaeque Romanae Ecclesiae Camerarius; Operis Architecturae, locique commoditate mirifice captus, eamdem non multum permutato situ a fundamentis iterum extruxit, proximasque aedes adjecit, quae Laurentianum Templum laxi-
tate

tate sua includentes, amplitudine, atque magnificentia nullis secundae merito reputantur. Ut vero operosissimam molitionem perficeret, summa usus Alexandri VI. est benignitate, qui ad eam structuram immensis sumtibus pari munificentia absolvendam facultatem eidem indulsit, ut operi exaedificando, uti posset marmoribus Amphitheatri, & arcus Triumphalis Gordiani Caesaris, qui Ecclesiam inter S. Viti, & illam S. Eusebii in Monte Exquilino, olim erectus fuerat, aliisque aedificiis, quae vetustate collapsa Romae visebantur. Mirum forsan videri posset, quod amplissimi hujus aedificii deterior, ac vilior situs Ecclesiae sit assignatus. Satis quippe parcam, nec tantae amplitudini parem lucem diffundunt, quae illam ex una dumtaxat parte exornant fenestrae. Non minimum porro pulchritudini, & decori officit ipsa positio Basilicae, magnis aedibus Cancellariae sic interjectae, inclusaeque, ut nullo sacri, profanique aedificii discrimine exaequata fronte, vix oculi de ejusdem loco judicare possint. Praeterea columnas [non despiciendum caeteroquin antiquitatis monumentum] quas ad fulciendam Ecclesiam B. Damasus adhibuerat, ad exornandum atrium Palatii Cardinalis Riarius locavit: Pilis Lapideis substitutis ad Templi columen, & fulcimentum.

Per quas vero postmodum iniquorum temporum vicissitudines contigerit, ut immensi laboris, ac Regii prope cultus aedificium ad Pontificium Fiscum redierit Leonis X. tempore; non hujus est loci pluribus persequi, praesertim cum late eventum omnem illustrium Historicorum calami literis consignaverint. Res potissimum enarrat Parisius de Grassis sacrarum caeremoniarum Praefectus, testis oculatus, cujus verba (t) Ciacconius in Vitis Pontificum, & Cardinalium refert.

Adhuc vero in aedium magnificarum facie conspicitur nomen ipsum Purpurati conditoris, perpetuo quadrato lapide ad utrumque latus excurrens cum hac inscriptione:

(t) *Ciacconius tom. 3. in Vita Raphael. Card. Riarii ad ann. 1471. col. 70.*

Raphael Riarius Savonensis Sancti Georgii Diaconus Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarius a Sixto IV. Pontifice Maximo honoribus, ac fortunis honestatus Templum Divo Laurentio Martyri dicatum, & aedes a fundamentis sua impensa fecit MCCCCLXXXXV. Alexandro VI. P. M.

Hujus Cardinalis Raphaelis Riarii, qui Sacri Collegii, ut vocant Decanus, diem obiit anno MDXXI. Sepulchrum in Templo Sanctorum Apostolorum conspicitur. Aedes hae magnificentissimae, consuetum hospitium Cardinalis Vice Cancellarii, cum Basilica ipsa, quam continent, vergunt ad Orientem Solem, quatuor numerant fenestrarum ordines praeter solo contiguas, quarum quaelibet pilis Corinthiae Architecturae distinguitur. Duplici corona per ambitum excurrente: pars solo proxima duodecim rotundis fenestris discriminatur, quarum septem ad Basilicam pertinent. Frons primarii, & nobilioris aspectus a Vignola delineata ex Tiburtino quadrato marmore fenestras per singulas contignationes quatuordecim porrigit. Bina adsunt ostia, alterum quadratum Basilicae, alterum quo in aedes ipsas est aditus, lunatum cum extante podio, inter medias columnas assurgit ordinis Dorici, & binas hinc inde pilas dimidiatas. Ipsum ostium latum palmos 16, aditum habet palmos 25. latum, longum palmos 36. cum duplici utrinque marmoreo muro sessili. Haec facies aedium aequat longitudine palmos 404. Facies meridiem spectans fenestris tredecim per singulas contignationes dirimitur. Par fenestrarum ordo cum ostio quadrato distinguit frontem versam ad Boream, facies occiduum Solem respiciens duodecim habet fenestras.

Atrium exornatur porticu ad formam Crucis fornicata, lataque ex omni parte palmos 21, duabus ea porticus, & viginti columnis fulcitur, quatuor vero pilis ad angulorum divortia ex Tiburtino marmore, & ad commensum Doricae Architecturae. Frons atrii ad palmos 100, latera ad 143. excurrunt. Eam porticum superius excipit ambulacrum perflatile discriminatum ejus-

ejusdem ordinis, & structurae columnis, pilis, & arcubus. Ad laevam porticus scala praenobilis cum gradibus marmoreis, ad interiora aedium aditum adaperiens expanditur. Aulam maximam, quae Cancellariae Ministris deservit, Clemens XI., quam maxime nobilitandam, & exornandam curavit; lacunari inaurato, picturatis parietibus cum coronis auro ingenti copia conspersis. E regione ostii, ejusdem Pontificis conspiciuntur insignia cum sequenti Inscriptione.

Clementi XI. Pont. Max.
Ob aulam reparatam, ornatamque
Collegia Cancellariae Apostolicae
Anno Domini MDCCXVIII.

De hoc splendido aedificio ait Albertinus: *Domus Reverendiss. Cardinalis Sancti Georgii cum Statuis, ac picturis, columnis, & multis marmoribus suffulta, cum Ecclesia ibidem inclusa, est perpulchra*. Et non immerito inter nobilissima Almae Urbis aedificia numeratur, Bramante Urbinate, aliisque praeclarissimis illorum temporum Architectis. Certis porro intervallis, Rosis extantibus, quae Riariae gentis sunt tessera passim distinguitur, iisdemque Rosis auro, & argento incrustatis ipsa nobilitatur Basilica.

Arbitramur minime esse praetereundum, quod in eruditi Lectoris gratiam subiicimus; in iis nempe iisdem aedibus, collatoque studio, & opera ejusdem Cardinalis Raphaelis Riarii sublatum Romae primum fuisse editius pegma extans a pavimento, ad comaedias, atque tragaedias publice raprefentandas cum additione scaenarum ex opere picturato. Contigit id autem primum in ipso harum aedium atrio umbraculis tecto, in frequentissimo non solum accursu populi, verum etiam Coetu Patritiorum, & Purpuratorum Principum, postquam ejusdem scaenici aedificii experimentum coeptum est in Arce Aelia, quae vulgo Sancti Angeli nuncupatur coram Innocentio Pontifice hujus nominis VIII. Refertur id a P. Claudio Menestrier in tractatu de veteri, & recenti Musica Dramatica, ubi adducit locum Sulpitii, qui Vitruvium cum notis edidit, quod opus

Car-

Cardinali Riario nuncupavit; sic autem scribit in sui Operis praefatione. (u) *Tu enim primus Tragaediam, quam nos Juventutem excitandi gratia, & agere, & cantare primi hoc aevo docuimus [nam hujusmodi actionem, jam multis saeculis Roma non viderat] in medio foro pulpitum ad quinque pedum altitudinem erectum pulcherrime exornasti, eamdemque postquam in Adriani mole Divo Innocentio spectante est acta, rursus intra tuos penates, tamquam in media Circi Cavea toto consessu umbraculis tecto, admisso populo, & pluribus tui Ordinis spectatoribus bonorifice excepisti. Tu etiam primus picturatae scaenae faciem, cum Pomponiani Comaediam agerent nostro saeculo ostendisti, quare a te theatrum novum tota Urbs magnis votis expectat*. Postquam vero propter indicatum superius Cardinalis Riarii lapsum in deteriorem statum, ejusdem bona Apostolici Fisci rationibus subesse coeperunt, ad hoc ipsum posteris testificandum, idem Leo X. scutum marmoreum gentis Mediceae cum Pontificiis Insignibus Palatii ostio superposuit, ut Apostolicum haberetur.

C A P U T VIII.

De Auctore Tituli hujus Basilicae. Catalogus Titularium.

NOn est admodum difficile ostendere hujus Basilicae in titulum erectae initium, cum in ea re designanda Scriptorum tum veterum, tum recentium suffragia conveniant. Auctores vero aliquos circa praefati tituli erectionem hic exhibebo exordiens ab Anastasio in Vita S. Damasi, ubi inquit: (x) *Ab hoc Pontifice in Titulum hanc Ecclesiam erectam fuisse*. Pompejus etiam Ugonius admodum eruditus Scriptor testatum reliquit instituisse S Damasum, ut dignitate Presbyteri Cardinalis haec Basilica insigniretur, & quidem extare in antiquis documentis eamdem nuncupatam titulo Damasi Papae, alias Sancti Damasi, iterum Sancti Laurentii, & Damasi, sed frequentius Sancti Laurentii in Damaso. Idem

(u) *Des rappresentations en Musiques anciennes, & modernes du Pere Claude Menestrier Jesuite pag.* 155. *Paris* 1681. (x) *Anastas. in Vit. S. Damasi ad ann.* 367. *pag.* 30.

Idem confirmatur a Ciacconio in haec verba: (y) *Titulus Sancti Damasi Papae, alias Sancti Damasi, alias Sancti Laurentii in Damaso.*

Onuphrius Panvinius idem contendit, quae sequuntur verbis: (z) *Titulos vero Romanos, sive Paraecias cessantibus Gentilium persecutionibus adauxere, Presbyterosque plures in singulis constituere Romani Pontifices; Sylvester, qui titulum Equitii; Marcus, qui titulum S. Marci; Julius, qui titulum Sanctae Mariae Transtyberim; Damasus, qui titulum Sancti Laurentii; Innocentius, qui titulum Vestinae fecerunt.*

Afferri postremo possent non pauca aliorum testimonia, qui apertissime idem tradiderunt. Qui hoc titulo exornabatur Presbyter Cardinalis, designatus erat rei divinae faciendae die Jovis in Patriarchali Basilica S. Petri, quemadmodum satis conspicue colligitur ex pluribus Codicibus M. S., & ex ipsius Panvinii testimonio in hanc sententiam prolato: (a) *Basilicae Sancti Petri in Vaticano, quae habet Archipresbyterum, qui est Cardinalis, & Canonicos saeculares ministerio, eadem ratione, qua Basilicae Lateranensi septem Episcopi, ita huic assignati sunt septem Presbyteri Cardinales: hic fuere Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Mariae Transtyberim die Solis. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Chrysogoni die Lunae. Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Ceciliae die Martis. Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Anastasiae die Mercurii. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Laurentii in Damaso die Jovis. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marci die Veneris. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Martini in Montibus die Saturni.*

Ex quibus testimoniis abunde demonstratum est, a quo haec Basilica in titulum erecta fuerit. Superest ut Elenchum recenseamus eorumdem Cardinalium, qui hujus Basilicae titulum praetulerunt, quos ex Annalibus Ecclesiasticis, fideique probatae Scriptoribus collectos hic subiicimus. Veteres aliqui Scriptores testatum reliquerunt adversus aliorum tamen sententias, S. Hieronymum Ecclesiae Doctorem primum omnium nostrae Basi-

(y) *Ciacconius in Vit. S. Damasi tom. 1. ad ann. 367. col. 253.* (z) *Panvinius de sept. Urb. Eccl. pag. 15, & 16.* (a) *Ibidem pag. 20.*

Basilicae titulo fuisse insignitum. Verum quia hac de re jam supra a nobis scriptum est, atque porro fusius disceptavit Ciacconius (*b*) ad eumdem Lectorem remittimus. Indicare tamen non praetermittimus minime alienum a veritate videri, hunc Ecclesiae Doctorem perofficiose, ac peramanter in mutua semper gratia fuisse cum S. Damaso, a quo illius Basilicae curam; titulumque forsan accepit.

A S. Hieronymo ad annum fere 490. non constat de aliis praeferentibus commemoratum titulum usque ad Cardinalem Projectitium, quem S. Laurentii in Damaso fuisse titularem, liquet ex ipsius subscriptione ad acta Concilii Romani celebrati sub Gelasio I. anno 494, quae subscriptio in haec verba recitatur a Ciacconio: (*c*) *Projectitius Presbyter Cardinalis S. Laurentii Martyris in Titulo Sancti Damasi.*

Anno 499. Laurentius Presbyter Cardinalis hujus Basilicae titulo auctus est, ut colligitur ex ipsius nomine, quo subsignavit acta Concilii secundi Romani, coacti a S. Symmacho, cujus expressa verba refert Ciacconius. *Laurentius Presbyter S. Laurentii in Damaso*. Iniquitate temporum, Scriptorumque, aut inopia, aut incuria factum est, ut ab anno 499. usque ad annum 590. nulla supersint testimonia de Cardinalibus hujus Basilicae titulum obtinentibus. Quo postremo anno legitur hunc titulum a Cardinali Specioso retentum fuisse; ut ostenditur ex ejusdem praefixo nomine ad acta Concilii Romani celebrati a S. Gregorio Magno (*d*) quem praeterea Cardinalem Speciosum anno 600. floruisse exploratum est ejusdem Ciacconii testimonio, qui eumdem connumerat in Syllabo Cardinalium ejus temporis, per haec verba: *(e) Speciosus Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Titulo Damasi Papae*. In hoc ipso Catalogo, cui praeficitur sequens titulus. *Nomina Presbyterorum Cardinalium, & Archipresbyterorum Titulum, ac Diaconorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium viventium anno Dominicae Incarnationis 600. sub S. Papa Gregorio*

(b) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 367. in Vit. Damasi col. 452, & notae Oldoini col. 261.*
(c) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 492. in Vit. Gelasi I. col. 330.* (d) *Greg. Magn. Homil. 4. cap.* 88. (e) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 790. in Vit. Greg. Magn. col.* 408.

rio Magno, sic legitur: *Leo Archipresbyter in Titulo S. Laurentii, qui appellatur Damasi Papae*. Ex quibus verbis notatu dignissimum est, hanc Basilicam duplici olim praerogativa fuisse exornatam, Cardinalis nimirum titularis simul, & Archipresbyteri, quod decus nequaquam commune fuit aliis Ecclesiis, altiori etiam caussa magis conspicuis.

Desunt iterum monumenta ex quibus colligere possimus titulares alios Cardinales a commemorato anno 600. usque ad annum 735. In ejus anni memoriis occurrit Epiphanii nomen subscriptum Actis Concilii Romani coacti a Gregorio III. Refertur id ab eodem Ciacconio in hanc sententiam. (*f*) *Epiphanius Presbyter Cardinalis in Titulo S. Laurentii, qui appellatur Damasi Papae*.

Annus 745. exhibet decoratum titulo hujus Basilicae (*g*) Leonem Presbyterum Cardinalem, quod fit manifestum ex ejusdem nomine, quo subsignavit Concilium Romanum habitum a S. Zaccharia adversus Aldebertum, & Clementem Haereticos. Compertum id redditur ab indicato Ciacconio (*h*) referente nomina Cardinalium, qui eidem Concilio interfuerunt, ubi sic scribit: *Leo Presbyter Titulo S. Damasi*.

Ex Bulla Pontificis Pauli I. eruitur anno 761. titularem pariter fuisse Cardinalem Marinum. Refertur ea Bulla a Cardinali Baronio cum subsignatis nominibus Cardinalium, qui Pontifici adstiterunt, ubi sic legitur: (*i*) *Marinus humilis Presbyter Sanctae Romanae ~~Ecclesiae Titulo~~ Sancti Laurentii, qui vocatur Damasi*. Eadem subscriptio item legitur apud Ciacconium (*k*) in additamentis Ughellii.

Occurrit hujus Basilicae titularis Leo Cardinalis, qui a Pontifice Nicolao I. Constantinopolim ad Imperatorem Legatus, se contulit pro Ignatio contra Photium, ut videre est apud Ciacconium, ubi sic legitur: (*l*) *Leo Presbyter Cardinalis Titulo Sancti Laurentii in Damaso*.

(f) *Ciacconius tom. 1. in Vit. Greg. III. col. 514.* (g) *Baronius Annal. tom. 9. ad ann.* 745. (h) *Ciacconius tom. 1. in Vit. S. Zaccbariae col.* 520. (i) *Baron. Annal. tom. 9. ad ann.* 760. (k) *Ciaccon. tom. 1. ad ann. 757. in Vit. Pauli I. col.* 535. (l) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 858. in Vit. Nicolai I. col. 652.*

Anno 903. apud saepius memoratum Ciacconium (*m*) titulari hujus Ecclesiae Praefectura functus est Christophorus Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Laurentii, & Damasi, qui Leonem V. Summum Pontificem quadragesimo postquam consecratus fuerat die comprehensum, atque in Custodiam traditum abdicare supremam dignitatem coegit; Quod etiam asseverant (*n*) Baronius, & Panvinius.

Anno 963. Romano Concilio, quod Johannes XII. celebravit, subsignavit Petrus Cardinalis hujus Basilicae titularis. Cujus subscriptionem refert Baronius (*o*), & idem adducit Ciacconius in haec verba: (*p*) *Petrus Presbyter Cardinalis Titulo Sancti Laurentii in Damaso.*

Anno 993. in Constitutione unica Johannis XV. (*q*), quae emanavit in consecratione S. Udalrici subscriptum legitur nomen Johannis Presbyteri Cardinalis sub eodem titulo per haec verba: (*r*) *Ego Joannes Presbyter Cardinalis Sancti Damasi consensi.*

Anno 1013. hujus Basilicae titulo auctus occurrit (*s*) Petrus Cardinalis, qui subsignavit Acta Concilii Romani sub Benedicto VIII., & decreto in hac Romana Synodo edito pro Willhelmo Abbate S. Benigni Fructuariensis, quod refertur ab Augustino Oldoino in fine additionis ad Ciacconium (*t*). Alia similis subscriptio reperitur inter nomina Cardinalium, qui Johannis XIX. diplomati pro Ecclesia Sylvae Candidae subscripsere anno 1040. in hanc sententiam. *Petrus Cardinalis Tituli Sancti Damasi.*

Anno 1049. titulo hujus Basilicae potiebatur Leo Presbyter Cardinalis, cujus Ciacconius (*u*) meminit inter Cardinales a Leone IX. renuntiatos his verbis: *Leo Presbyter Cardinalis Titulo S. Laurentii in Damaso.* Interfuit Synodo Lateranensi a Nicolao II.

(m) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 903. in Vit. Leonis V. col. 689.* (n) *Baron. Annal. tom. 10. ad ann. 913. Panvinius in Vit. Leonis V. & Christophori I.* (o) *Baron. Annal. tom. 10. ad ann. 963.* (p) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 956. in Vit. Johannis XII. col. 719.*
(q) *Bullar. tom. 1. Constit. unica Johann. XV.* (r) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 985. in Vit. Johann. XV. col. 741.* (s) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 1012. in Vit. Benedicti VIII. col. 770.* (t) *Idem tom. 1. ad ann. 1033. in Vit. Johann. XIX. col. 776.* (u) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 1049. in Vit. Leonis IX. col. 801.*

II. celebratae, eidemque fubfcripfit, ut patet ex Actis ejufdem Concilii. Interfuit cum Alexandro II. Ecclefiae confecrationi Montis Cafini.

Anno 1073. infignitus legitur S. Laurentii in Damafo titulo (x) Leo Presbyter Cardinalis a Gregorio VII, ut putant aliqui, creatus, a quo Pontifice ad Clementem III. Antipapam defecit; de illo mentionem agunt Ciacconius, & Bellarminus (y).

Anno 1088. eodem titulo ornatus occurrit Rifus, five Richus relatus inter Cardinales ab Urbano II., ut fcribit Ciacconius per haec verba: (z) *Rifus, five Richus Presbyter Cardinalis Titulo Sanctorum Laurentii, & Damafi.*

Anno 1099. Deus dedit Presbyter Cardinalis titulo hujus Bafilicae auctus a Pafchali II. creatus, interfuit Pifis electioni Gelafii II., & Cluniaci Calixti II., cujus diplomatibus fubfcripfit, atque aliis Honorii II., & inter Cardinales, qui electioni ejufdem Honorii II., interfuerunt, fic relatus eft a Ciacconio: *Deus (a) dedit Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii Martyris in Titulo Damafi.*

Anno 1124. apud eumdem Ciacconium (b) in additionibus Auguftini Oldoini recenfetur Yvo Presbyter Cardinalis hujus Bafilicae titularis, ab Honorio II. renunciatus. Frizonius meminit (c) Cardinalis Yvonis, qui poft Honorii II. obitum, contra Anacletum Pfeudo-Pontificem Innocentio II. legitimo Pontifici adhaefit. Huic Cardinali Epiftolam fcripfit S. Bernardus contra Petri Abbaillardi errores, & haerefes. Exceffit e vita Yvo in Galliis Legatus Sanctae Sedis.

Hic Cardinalis anno 1142. e vivis fublatus Coenobium Parifienfe S. Victoris haeredem inftituit, fuaeque voluntatis executorem fcripfit S. Bernardum (d), qui apud Innocentium II. calumniam paffus eft, quafi in pauperes Yvonis bona diffipaf-

 fet,

(x) *Ciacconius tom. 1. ad ann. 1073. in Vit. Greg. VII. col.* 888. (y) *Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontif. cap.* 13. (z) *Ciacconius tom. 1. ad ann.* 1088. *in Vit. Urb. II. col.* 890. (a) *Ciacconius tom. 1. ad ann.* 1099. *in Vit. Pafchalis II. col.* 916. 930. & 957. (b) *Ciacconius tom. 1. ad ann.* 1124. *in Vit. Honorii II. col.* 969. (c) *Petrus Frizonius Gallia Purpurata lib. 2. pag.* 141. (d) *S. Bernardus Epift.* 218. *in ordine Operum.*

set, potius quam juxta testamentum, legitime erogasset, unde de indignatione Pontificis certior factus, Epistolam Apologeticam ad ipsum scripsit, quam ob nimiam excellentiam videre est.

Anno 1143. Guido Moricosus, seu Moricottus Pisanus prius Diaconus Cardinalis ab Innocentio II. creatus *(e)*, deinde Presbyter Cardinalis Sanctorum Laurentii, & Damasi titulo a Caelestino II. est decoratus: hic Guido subscripsit Caelestini II., Lucii, & Eugenii III. Romanorum Pontificum literis; ad eumdem S. Bernardus Abbas Claraevallis Epistolam dedit: e vita excessit Eugenii III. temporibus.

Anno 1150. ab Eugenio III. Pontifice, Johannes Paparo Romanus, Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Laurentii, & Damasi renuntiatus, ut scribit Ciacconius *(f)*. Legitur ejus subscriptio in Bulla praedicti Eugenii, qua Canonicis Basilicae S. Petri impertit quartam portionem oblationis fieri consuetae super Ara ejusdem Apostoli: quae Bulla emanavit in aedibus Vaticanis die 10. Aprilis Indictione prima anno 1153, sui vero Pontificatus nono *(g)*. Hic Johannes Paparo relatus pariter est a Ciacconio inter Cardinales, qui interfuerunt electioni in Summum Pontificem Adriani IV. anno 1154.

Anno 1163. Petrus de Miso etsi ab Adriano IV. *(h)* Diaconus Cardinalis S. Eustachii creatus, tamen ab Alexandro III. inter Presbyteros Cardinales, Titulo S. Laurentii in Damaso translatus est; quem affirmat Ciacconius e vita migrasse sub eodem Alexandro III., quo tamen anno, quove mense prorsus nescire fatetur.

Anno 1182. hujus Basilicae titularem, & S.R.E. Presbyterum Cardinalem, a Lucio III. renunciatum fuisse Lambertum, sive Ubertum Cribellum nobilem Mediolanensem putant Ciacconius,

(e) *Ciacconius tom. 1. in Vit. Innoc. II. col. 1003, & in Vit. Caelestini II. col. 1014, ac in Vit. Eugenii III. col. 1029. S. Bernardi Epist. 332. in ordine Operum.* (f) *Ciaccon. tom. 1. in Vit. Anastasii IV. col. 1053, & in Vit. Adriani IV. col. 1058.* (g) *Baronius Annal. tom. 12. ad ann. 1153.* (h) *Ciacconius tom. 1. in Vit. Adriani IV. col. 1067.*

conius (*i*), & Oldoinus ex auctoritate cujusdam diplomatis praefati Lucii III., erectionis Archiepiscopatus Montis Regalis dati Velitris anno 1182. nonis Februarii , ubi sic se subscripsit. *Ego Ubertus Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Damaso*. Hunc tamen Ubertum alium ab altero S. Laurentii in Damaso titulari nuncupato Lamberto fuisse, cum Ciacconio existimat Oldoinus, tum diverso agnomine, tum gentilitiis insignibus, tum patria, nam unus Mediolanensis, alter Lucensis fuit. Lucio III. defuncto, Pontifex Maximus est salutatus, & Urbanus III. dictus.

Anno 1185. Hubertus Allucingolus nobilis Lucensis, Lucio III. Sanguinis Vinculo conjunctus, & ab eodem Pontifice Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentii in Damaso est renunciatus, ait Oldoinus (*k*). Pluribus ejusdem Lucii diplomatibus subscripsit; at cum ex Ciacconio adfuerit electioni Urbani III. post obitum Lucii, ipsum Hubertum non sub Lucio, veluti quidam scripserunt, sed tempore, quo Urbanus Ecclesiam moderaretur obiisse dicendum est.

Anno 1189. Petrus Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentii in Damaso a Clemente III. creatus, literas ejusdem Pontificis hoc eodem anno datas, pro Ecclesia S. Margaritae Baremburghensis firmavit: e vita excessit initio (*l*) Pontificatus Honorii III., cujus electioni interfuit, & inter Cardinales, qui hunc Pontificem renuntiarunt, a Ciacconio est relatus anno 1216. Cum autem pauci admodum fuerint Cardinales ab anno 1216. ad annum 1288. nullus per idem tempus reperitur inter Purpuratos Patres, hujus Basilicae titulo insignitus.

Anno 1288. Nicolaus IV. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Laurentii in Damaso adscripsit Fratrem Matthaeum de Aquasparta ex Generali Ordinis S. Francisci, ob ejus spectabilem vitae rationem, ac doctrinae excellentiam, noluitque, ut ipse Cardinalis Religionis moderationem deponeret, sed eam, uti S. Bonaventura, usque ad novi Ministri Generalis ele-

(i) *Ciacconius tom. 1. in Vit. Alexand. III. col. 1092, & 1093.* (k) *Oldoinus apud Ciaccon. tom. 1. in Vit. Lucii III. col. 1114.* (l) *Ciacconius tom. 1. in Vit. Clementis III. col. 1142, & tom. 2. in Vit. Honorii III. col. 44.*

electionem retineret: deinceps ab eodem Nicolao IV. ad Episcopatum Portuensem, & S. Rufinae translatus, S. Laurentii in Damaso titulum dimisit. Obiit Romae Bonifacio VIII. Summo Pontifice anno 1302.

Anno 1294. Nicolaus natione Gallus, ex antiqua, ac nobili Familia de Nonancuria, seu de Nonancourt suos traxit Natales, cognominatus Parisiensis; hic a Caelestino V. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Laurentii in Damaso cooptatus; interfuit electioni Bonifacii VIII., ejusdemque diplomatibus subscripsit. Ciacconius, & Panvinius hujusce Cardinalis obitum in annum 1298. referunt; sed ex ejusdem Testamento, quod Carolus Strozzius Patricius Florentinus Vir eruditus, & antiquitatis studiosissimus cultor, Ferdinando Ughellio palam fecit, Anagniae condito 1299. patet ejusdem Cardinalis obitum non prius accidisse anno 1299.

Anno 1342. Ugo Rogerius natione Gallus, Monachus S. Benedicti Clementis VI. Frater, ab eodem Pontifice Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentii in Damaso renuntiatus; Scientia, & prudentia in agendis clarus. Post Innocentii VI. obitum, Summum Pontificatum, quem Cardinales illi ultro obtulerant constanter recusasse, refert Augustinus Oldoinus in ejus Vita: e vivis sublatus est Avenione anno 1363.

Anno 1368. Petrus natione pariter Gallus, Patria Lemovicensis, quem plures multimodis cognominant, nam Oldoinus, Petrus de Banihato, Ciacconius de Chinacho, Panvinius de Cinacho, & Anonymus Auctor Vitae Urbani V. apud Bosquetum de Banhaco: inter Cardinales Presbyteros titulo S. Laurentii in Damaso ab Urbano V. cooptatus; Cardinalis Montis Majoris adhuc nuncupatus, ab illustri Abbatia sub titulo S. Petri Montis Majoris prope Arclatum Ordinis S. Benedicti, quam ante adeptam purpuram obtinuerat, e mortalium vita migravit anno 1369.

Anno 1370. Petrus Corsinus, nobili, ac pervetusto genere Florentiae ortus, ejusdem Urbis Episcopus, ab Urbano V. in Ger-

Germaniam ad Carolum IV. Imperatorem, Ludovicum Pannoniae Regem, Rodulphum Auſtriae Ducem, & Johannem Bohemiae, ac Moraviae Marchionem Legatus, ut illos foedere jungeret. Pace tandem inter hos Proceres, ejuſdem Petri opera, & ſtudio, ſummo Reipublicae Chriſtianae bono, firmata, tunc ab Urbano V. Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentii in Damaſo eſt creatus. Interfuit Pontificiis Comitiis, & electioni Gregorii XI., a quo Pontifice ad Portuenſem Epiſcopatum translatus eſt: deceſſit Avenione anno 1405.

Anno 1378. Bartholomaeus de Cucurno, alias de Cothurno nobilis Januenſis Ordinis Minorum, Theologus praeclarus, ac Divini Verbi maximus praeco, Archiepiſcopus Januenſis ab Urbano VI. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Laurentii in Damaſo eſt adſcriptus; deinceps ſimultatibus cum Pontifice ſuſceptis, in ſuſpicionem inſuper adductus, quod in Pontificis necem ſimul cum aliis conſpiraſſet, multis minis exagitatus, & in praeduro carcere diu detentus, infelici exitu Vitae curſum Genuae explevit anno 1385.

Anno 1385. Angelus Acciajolus nobilis Florentinus, ex Epiſcopo ejuſdem Urbis ab Urbano VI. Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentii in Damaſo eſt renuntiatus: Nobilitatem, quam a Parentibus acceperat, morum gravitate, doctrina, ac virtutis ſplendore plurimum illuſtravit; diverſas, & longe graviſſimas Legationes ſumma laude explevit. A Bonifacio IX. Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus deſignatus, Cardinalium Coetui uti Decanus praeſedit, ac munere Vicecancellarii eſt functus. Piſis anno 1407. deceſſit, ubi per idem tempus ad Concilium habendum commorabatur.

Anno 1405. Jordanus hujus nominis tertius Cardinalis nobiliſſimae Gentis Urſinae, Domicellus Romanus, rerum gerendarum peritia inſignis primum jubente Bonifacio IX. Neapolitanae Eccleſiae praefuit, demum ab Innocentio VII. inter Cardinales Presbyteros titulo Sanctorum Sylveſtri, & Martini cooptatus, electioni Gregorii XII. interfuit. Piſas ad Generale

le Concilium, pro schismate tollendo profectus, optime se gessit. Comitiis, ubi Alexander V. Summus Pontifex est habitus, pariter adfuit, & ab eodem ex titulo Equitii ad illum S. Laurentii in Damaso translatus est. Nam ob schisma contigerat, ut plerumque duo essent ejusdem Ecclesiae titulares; hinc mutandorum titulorum usus manavit, quod ad illam usque diem inauditum fuerat. Unde Hieronymus Platus sic ait: (m) *Fuit antiquissimus mos, ut suam Cardinalis quisque teneret Ecclesiam, nec eam dimitteret, ut pinguiorem optaret; primus inter Cardinales, qui coepit mutare Titulum, & optare pinguiorem, fuit Jordanus Ursinus sub Alexandro V., qui S. Martino in Montibus relicto S. Laurentium in Damaso, tunc vacantem impetravit. Idemque deinde ab Eugenio IV., relicto Episcopatu Albano, Sabinum obtinuit.* Bononiae Johannis Papae XXII., dicti XXIII. creationi interfuit, a quo Pontifice Episcopus Albanensis, & S. R. E. maximus Poenitentiarius est renunciatus, retento titulo S. Laurentii in Damaso in commendam; dignus enim tantarum dignitatum, quippe in omnibus, & quantum dura temporum illorum conditio permisit, optime se gessit; in Conciliis Pisano, & Constantiensi Ecclesiae Romanae dignitatem, & honorem constantissime tutatus est. Pro Martino V. quamplures Legationes obivit, Legatus quoque ad Basileense Concilium. Caeterum exitiabili discordia inter Eugenium IV., & Basileenses Patres exorta, illorum conatibus hic Cardinalis Jordanus intrepidus semper restitit; e vivis tandem sublatus est anno 1439.

Anno 1440. Ludovicus Scarampus Mediarota Patavinus, jam ante Patriarcha Aquilejensis ab Eugenio IV. Cardinalis creatus tituli S. Laurentii in Damaso, ac S. R. E. Camerarius. Universis Pontificiis copiis praeficitur, & apud Anglariam Florentinorum Oppidum Piccininum, re ipsa magnum, & invictum Ducem, fugavit. Turcas circa Belgradum formidabili praelio dispersit, & Constantinopolim advolare coegit. Cum presto postmodum esset Rhodis, numerosam Turcarum Classem, pau-
cis

(m) *Hieronymus Platus de Card. dignit. & offic. cap. 2. pag. 18.*

cis ipse Navibus, fulminis instar, protrivit, ac demersit. Pluribus Aegei Insulis e Turcarum Tyrannide ademptis, terra, marique partis victoriis insignitus quamplurima gessit, quae non minus ipsum Ducem strenuum, quam religiosissimum Christianae Reipublicae praesulem aperte patefaciunt. Tandem moritur anno 1465, & insigni pompa tumulatur in hac nostra Basilica. Elogium illi positum alibi retulimus.

Silentio involvere consentaneum non videtur, quod anno 1440. Felix V. Antipapa Alexandrum Zomowski Polonum Moscovitarum Ducis filium renunciavit Pseudo-Cardinalem Presbyterum tituli S. Laurentii in Damaso. Ejusdem Felicis jussu Legati munere functus est in Polonia, ut regnum illud ab Eugenii IV. obedientia revocaret, nihil tamen peregit, ac paullo post se tum Legatione, tum Cardinalatu abdicavit.

Anno 1465. suffectus in titulo S. Laurentii in Damaso fuit praelaudato Cardinali Mediarotae, a Calixto III. Cardinalis Johannes de Mella Hispanus, Vir laboriosus, & justitiae administrator intrepidus; quippe per quadraginta annos, cunctos pene Curiae Magistratus summo plausu exercuit: e vita excessit anno 1467. Jacet in Ecclesia S. Jacobi Hispanorum.

Anno 1477. Raphael Sansonus nuncupatus ob Matrem de Riariis, in Cardinalium ordine a Sixto IV., ac inter Nepotes adscitus annum agens decimum septimum. Diaconus primum tituli S. Georgii in Velabro, postea Presbyter S. Laurentii in Damaso, & S. R. E. Camerarius. Basilicam Laurentianam Damasi nomen praeferentem reaedificavit; magnificas, luculentissimasque aedes Templo adsitas regio quasi sumtu sibi paravit; variis fortunae casibus exagitatus; at inter infesta, familiarium, quos ipse beneficiis affecerat eximiam animi gratitudinem, & quidem rarum amorem expertus est: e carcere enim emissus, ac redemptus aere ab iisdem familiaribus collato, in ingenti summa nempe ducentorum millium aureorum, sic testante Oberto Foglietta in elogiis clarorum Virorum Ligurum

apud Ciacconium (*n*) mortalitatem exuit Neapoli anno 1521. Cadaver Romam translatum sepulchrum obtinuit non in Templo S. Laurentii in Damaso, ut ipse in supremis tabulis jusserat, sed in aedibus sacris Sanctorum duodecim Apostolorum.

Anno 1513. Julius Medices in prima Leonis X. Cardinalium creatione Diaconus Cardinalis tituli S. Mariae in Dominica, demum Presbyter S. Laurentii in Damaso, ac S.R.E. Vicecancellarius est renunciatus; tandem post Adriani Papae obitum ad Summi Pontificatus apicem est evectus, & Clementis VII. nomen sibi imposuit.

Anno 1517. Pompejus Columna a Leone X. in promotione, qua triginta, & unus Cardinales sunt creati adlectus tituli Sanctorum duodecim Apostolorum primum, postea a Clemente VII. S. Laurentii in Damaso titulum, & S. R. E. Vicecancellarii munus obtinuit. Vir ingentis animi, ac virtutis; egregie constans, inexorabilis, ubi justitiae jura se vindicare autumaret, in adversis intrepidus, ac firmus, in secundis vero adeo flexibilis, ut omnium severissimus simul, ac lenissimus commendaretur. Nec ipso tantum Pompeji nomine, sed Magni etiam additamento dignus, de infausta quamvis Urbis direptione ab Scriptoribus notatus; demum praeoccupante fato vitae exitum habuit anno 1532, quod nondum quinquagesimum tertium aetatis annum explevisset.

Anno 1529 Hyppolitus Medices annum agens decimum nonum suae aetatis a Clemente VII. circa horam primam noctis in idem Cubiculum, in quo Pontifex aegrotabat accersitis Cardinalibus, Diaconus Cardinalis tituli S. Praxedis est renunciatus: postea titulum S. Laurentii in Damaso, ac praecelsam S. R. E. Vicecancellarii dignitatem obtinuit. At intempestivus illi, festinatae mortis cursu, vitae exitus supervenit, ob permutati aeris intemperiem ad Oppidum Itrii, Fundani agri, ipsi oborta pestilenti febre, mense Augusti anno 1535. aetatis vero 24. Juvenis quidem longe omnium eruditi, ingenii nobilitate, de-

(n) *Ciacconius tom. 3. col. 75.*

decore vultus, & illustris vitae splendore florentissimus. Corpus delatum in Urbe in Templo S. Laurentii in Damaso honorifice tumulatum fuit.

Anno 1535. Alexander Farnesius a Paulo III. annum agens decimum quintum inter Diaconos Cardinales cum denominatione tituli S. Angeli in Foro piscium adscriptus est, paullo post ad S. Laurentii in Damaso titulum evectus, & ad dignitatem sublimem S. R. E. Vicecancellarii, ac tandem Sacri Collegii Decanus renunciatur. Illius aevi Poetae fere omnes, & Oratores, ipsum Cardinalem Farnesium, uti omnium Maecenatem summis laudibus celebrarunt: refert Ciacconius de amplissimo hoc Viro, Carolum V. Imperatorem aliquando dixisse: *(o) Collegium Cardinalium si ex talibus Viris constet, profecto Senatus similis nunquam reperietur.* Ad superos evolavit Romae die 2. Martii anno 1589, aetatis vero septuagesimo. Tumulatus in Templo a se condito sub invocatione Santissimi Nominis Jesu; viscera autem in Basilica S. Laurentii in Damaso fuere humata.

Anno 1585. Alexander Perettus de Montealto in prima Cardinalium creatione a Sixto V. annum agens quartum supra decimum inter Cardinales Diaconos adscriptus, tituli primum S. Hieronymi Illiricorum, postea S. Mariae in Cosmedin, demum ob decessum Cardinalis Farnesii, titulo S. Laurentii in Damaso decoratus, ac S. R. E. Vicecancellarius. Justitiae cultor assiduus, incorrupta vitae, morumque integritas in eo semper refulsit: in egenos eximia charitate, ac liberalitate enituit. Templum S. Andreae in Vallium vicinia, ingenti sumtu suo aere, excitavit, e mortalium coetu pie demigravit anno 1623, aetatis vero suae 54. in Exquiliis Sixti patrui Sacello postremis tabulis, tumulari se jussit. Haec in ejus obitu narrat Ciacconius: *(p) Puerorum plorantium, Viduarum, Opificum, Civiumque turmas per Urbem palantes; fora deserta, aedes clausas, Templa, vias quasi in communi Romae malo moeroris caligine offusas vidisses.*

(o) *Ciaccon. tom. 3. col. 562.* (p) *Ciaccon. tom. 4. col. 149.*

Anno 1621. Ludovicus Ludovisius Gregorii XV. ex fratre nepos in prima ejusdem Pontificis Cardinalium creatione, annum agens vigesimum sextum, ad Cardinalatum cum titulo S. Mariae Transpontinae, dignitatemque S. R. E. Camerarii est provectus; permutato priori titulo ad illum S. Laurentii in Damaso, ac deposito munere Camerarii, ad illud Vicecancellarii designatus fuit. Patrui jam graviter senescentis Pontificatus, fidelis, integer, ac prudens administer extitit. S. Ignatio Romae augustum Templum excitare coepit, at intempestiva morte praeventus, in supremis tabulis absolvi jussit, morbo enim podagrae confectus anno 1632, aetatis vero suae tricesimo septimo interit; apud omnes supramodum commendatus ob insignem benignitatem, qua confluentes ad se qualibet hora singulos etiam inopes humanissime excipiebat.

Anno 1632. Franciscus Barberinus Urbani VIII. ex fratre nepos, a Patruo, annum agens sextum supra vigesimum inter Cardinales Diaconos cooptatus, titulum S. Onuphrii obtinuit, paullo post S. Agathae, demum S. Laurentii in Damaso, ac S. R. E. Vicecancellarius est renunciatus. In Galliam, Hispaniamque cum potestate Legati Apostolici a Latere missus, ad pacem inter hos Reges firmandam fauste, feliciterque Legationes obivit. Viros doctrina praestantes summa munificentia coluit. Parsimonia in se, & singulari liberalitate in pauperes admirabilis, ut per horum manus, quae in terris collegerat, in Caelestes Thesauros transferret. Tandem jam Senex, ac Sacri Collegii Decanus obiit anno 1674, aetatis vero 82.

Per quindecim annorum spatium suo viduata haec Basilica titulari, anno tandem 1689. Petrum obtinuit Otthobonum Venetum, qui ab Alexandro VIII. ejus magno Patruo S. R. E. Vicecancellarius, ac tituli S. Laurentii in Damaso Cardinalis fuit renunciatus. Episcopus pridem Sabinensis, postea Albanensis, ac demum Portuensis creatus, tandem Sacri Collegii Decanus, & Episcopus Hostiensis, obiit die 28. Februarii 1740. Cardinalatus anno quinquagesimo primo ineunte, aetatis vero

vero feptuagefimo fecundo, & in hac Bafilica eft tumulatus. Vir quidem heroicis, excelfifque animi dotibus apprime ornatus; officiofa urbanitate, rariffimo quodam, ac eximio naturae munere, vultu, & gratia, dicendique elegantia, ficut, & magnanimitate, atque munificentia, ad admirationem prorfus eminens, cujus praecipue tot fuppetunt teftimonia, quot illi regendae obvenerunt Ecclefiae, ac in primis haec Bafilica, quam renovata confeffione, ditiffimis auxit muneribus, ac marmoreo exquifitae, & ditioris ftructurae in Sanctiffimi Sacramenti honorem, extructo Sacello decoravit.

In defuncti Cardinalis Otthoboni locum a Sanctiffimo Domino Noftro Benedicto XIV. Eminentiffimus Thomas Cardinalis Ruffus Archiepifcopus olim Ferrarienfis, nunc vero Epifcopus Hoftienfis, & Sacri Collegii Decanus, fuffectus, Vicecancellarii munus, & S. Laurentii in Damafo titulum in Commendam obtinuit. A Clemente XI. recolendae, & gloriofae memoriae ufque ab anno 1706. in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, tum Bononienfem, tum Ferrarienfem Legationes fummo populorum plaufu obivit. Ferrarienfem itidem Ecclefiam per plurium annorum fpatium fapientiffime adminiftratam, dignitate, & novo aedificio auxit, atque nobilitavit, ex quibus praeclare geftis majora in dies a tanto viro Principe noftra haec Bafilica fibi praeftolatur incrementa. Vix enim ad ejufdem regimen electus, Anteceffforis religiofam munificentiam aemulatus, novi Sacelli e confpectu alterius Sanctiffimi Sacramenti, magnificentiffime quamprimum abfolvendi conftructioni manus admovit. Annos plurimos utinam vivat ad Sacri Purpuratorum Senatus diuturnius ornamentum, & ad ejufdem Bafilicae decus, & praefidium.

CA-

CAPUT IX.

De Basilicae Titulo, & in universum de Cardinalitiis in Urbe Titulis; ac de Cardinalium jurisdictione in suis Titulis.

Titulus olim erat haec Basilica Presbyteri Cardinalis, uti superius commemoratum extitit, demum simul cum adjuncto Palatio adscribi coepit, S. R. E. Cardinali Camerario, qui eo usque ad tempora Clementis VII. potitus est: ab ipso enim Pontifice Ecclesia, Palatium, ac titulus S. Laurentii in Damaso perpetuo S. R. E. Vicecancellario attributus fuit, etsi Presbyter, seu Diaconus, vel ex numero sex Episcoporum Vicecancellarius esset; ut accidit sub praedefunctis titularibus Francisco Barberino, & Petro Otthobono, & ad praesens compertum est, cum Eminentissimus Thomas Cardinalis Ruffus, etiamsi in ordine Episcoporum, sit nihilominus nunc in Commendam titulum S. Laurentii in Damaso retineat: ea nimirum ratione; unus supra septuaginta adsunt tituli, quamvis Cardinalium numerus septuaginta non excedat. Quod consulto factum asserit Jacobus Cohellius (*q*), ut scilicet si contingat, Cardinalem Episcopum, aut Diaconum dignitate Vicecancellariatus potiri, non desit titulus alicui Presbytero Cardinali. Titulorum denominatio antiquissima, ab initio nempe nascentis Ecclesiae originem duxit; conversis enim in sacrorum usum fidelium domibus, priores Ecclesiae Rectores, sacris illis aedibus, tituli nomen imposuerunt, itaque Paraecia, sive Ecclesia *Titulus* nuncupari consueverat, ac Presbyter ab ea, cui praeficiebatur Ecclesia, sive Paraecia nomen, titulumque desumebat; ut censet Cardinalis Albitius (*r*), aliquorum opinionem refellens existimantium, titulos nihil aliud

(q) *Cobellius not. Cardinalatus cap. 6. pag. 12.* (r) *Card. Albitius discep. de tit. impraes. penes Card. de Luca de Jurisdict. in fine.*

aliud esse, quam redditus, vel proventus ex villis, praediis, fundis, aut agris, a piis, sive viris, sive mulieribus ad Ecclesiae ministros alendos addicti: & hinc ortum habuisse reputant tituli Equitii, Vestinae, Pammachii, Lucinae, Julii, Calixti, Damasi, Pastoris, Eudoxiae, Aemilianae, Crescentiae, Fasciolae, Tygridae, aliorumque; nomina enim vero titulorum non bonis, nec redditibus tributa fuere, sed aedibus sacris, ac Ecclesiis divino cultui dicatis. Hujusmodi porro exemplum in Sacris Literis habemus dum Jacob (s) in somnis vidit scalam, summitate Caelos tangentem, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalae; cumque evigilasset de somno tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & *erexit in Titulum fundens oleum desuper*.

Johannes Diaconus in Vita S. Gregorii Papae de iisdem titulis ita scribit: *Dicebantur Tituli Cardinales quaedam Ecclesiae principales, ubi Baptisma conferebatur; & dicebantur Ecclesiae, vel Tituli Cardinales ad differentiam aliorum locorum sacrorum minus principalium. Inde autem Presbyter, qui eam Ecclesiam regebat, dicebatur Presbyter Cardinalis*. Quam sententiam sequuntur Baronius, Bellarminus, Panvinius, aliique, quos refert mox allegatus Cardinalis Albitius. Cum itaque Basilica S. Laurentii in Damaso ad hujus gloriosissimi Archilevitae cultum a praefato Sancto Pontifice fuerit excitata, Conditoris nomen, titulumque, qui ad praesens usque servatur, accepit.

Titulorum enim numerum, cum antea modicus, & incertus esset, Cletus, & Evaristus Romani Pontifices statuerunt. Nam Cletus Presbyteros vigintiquinque in Urbe constituit. Evaristus vero titulos, sive Paraecias Presbyteris assignavit, ut ex Anastasio, & quampluribus aliis Scriptoribus compertum est. Deinde Hyginus (t) ad apicem Pontificatus anno 138. evectus, Clerum composuit, & gradus distinxit, pluresque in unoquoque titulo, sive Paraecia Presbyteros ordinavit, & qui caete-

(s) *Genesis cap. 28. a vers. 11. ad 18.* (t) *Ciacconius in Vita S. Hygini ubi de orig. Card. tom. 1. col. 46.*

caeteris praeerat Presbyter Cardinalis tanquam praestantior aliis est nuncupatus: ita Panvinius, & Ciacconius, quos sequitur Mandosa (*u*).

Fabianus, qui anno 238. Summus Pontifex fuit renunciatus, septem Diaconos, per septem Urbis regiones, ideo regionarios vocatos, primus constituit; quo tempore vigebant in Urbe curatores regionum sub Praefecto Urbis constituti, hos nostra aetas capita regionum vocat, quorum onus erat civiliter regionibus, ac Romae viis incumbere; horum imitatione ad promovendam Orthodoxam fidem septem primum Diaconi, septem regionibus Praefecti, quae ex quatuordecim ab incendio Neroniano incolumes evaserant, instituti fuerunt. Primis igitur temporibus, non multo post Neronis Imperium, sicut septem Curatores, aut Capita erant regionum Urbis Civilia tractantia; ita pari numero iisdem regionibus curatores septem, scilicet Diaconi sunt addicti, qui sacram Christianam Religionem promoverent, & tuerentur; quod ex decretis Simmachi, Hormisdae, Gelasii, ac Gregorii Magni Pontificum elucescit.

Dionysius praeterea, anno 260. in Summum Pontificem electus Paraecias, sive titulos, suis terminavit limitibus, Presbyterisque curam Coemeteriorum adjunxit, teste Platina (*x*); quod cum ab illius Praedecessoribus item factum reperiatur, intelligendum est, Dionysium in persecutione Valeriani, ab Ecclesiis, sive titulis avulsis Presbyteris, atque Coemeteriis eisdem prohibitis, deinde e vivis sublato eodem Valeriano, & ad tempus pace Christifidelibus restituta a Gallieno, easdem Paraecias aliis assignasse Presbyteris.

Exinde Marcellus, qui anno 304. sedere coepit, vigintiquinque titulos, ut Anastasius (*y*) memorat in Urbe constituit, & quasi Dioeceses propter Baptismum, & Poenitentiam multorum, qui convertebantur ad fidem ex Paganis, & propter sepulturas Martyrum. Restituto tandem Ecclesiae pácis otio

sub

(u) *Mandosa in Gloss. Facul. Reg. §. cum id. versic. Cardin.* (x) *Platina in Vit. Dionys. Papae.* (y) *Anastas. in Vit. S. Marcelli.*

ſub S. Sylveſtro a Conſtantino Magno anno ab Orbe redempto 314. Presbyterorum tituli ad vigeſimum octavum numerum ſunt praefiniti, quod uſque ad Honuphrii Panvinii (z) tempora permanſiſſe ipſe Scriptor affirmat. Hi porro Presbyteri titulares S. R. E. viginti, & octo, quatuor Patriarchalibus Baſilicis erant adſcripti, ac per numerum ſeptenarium ſic diviſi, ut rem divinam in una cujuslibet hebdomadis die, unus Presbyterorum in quacumque Patriarchali Baſilica faceret.

Uberiorem in ſuis titulis auctoritatem Cardinalibus competere, declaravit Bonifacius VIII. Johanni Monacho Cardinali, & ejus Vicecancellario, ut ipſe Pontifex teſtatur, in capite unico *de Majoritate, & Obedientia*: quod pariter confirmatum fuit a Paulo IV. in ſua Conſtitutione (*a*), quae incipit: *Cum Venerabiles*. Firmandum itaque eſt, tanquam indubitati juris, S. R. E. Cardinales Juriſdictionem Epiſcopalem in Eccleſiis ſuorum titulorum habere, quae etiam deſumitur a Decretali Honorii III. capite *Hiſque*, quod procedit non ſolum in Cardinalibus Presbyteris, ſed etiam Diaconis, nempe ut illi in ſuis titulis, hi vero in ſuis Diaconiis Epiſcopali Juriſdictione praefulgeant. Hoc tamen intelligendum eſt de iis, quae Juriſdictionis Epiſcopalis ſunt, veluti excommunicare, ſuſpendere, inſtituere, & deſtituere, non vero de iis, quae ad ordinem Epiſcopalem ſpectant, videlicet conferre Sacramentum Confirmationis, & Ordines ſacros, ut egregie diſtinguit Cardinalis Albitius (*b*) in praecitata diſceptatione.

Cardinales in ſuorum titulorum Eccleſiis conferunt Beneficia in his erecta, ſive ſint (*c*) Canonicatus, ſive Praebendae, quod eis privilegium Sixtus V. conceſſit. Et hoc a perenni ſaeculorum ambitu ſervatur in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo, in qua titularis confert omnes Canonicatus, & Beneficia, exceptis iis particulari affectione, ut vocant, Sanctae Sedi obſtrictis.

(z) *Panvin. de ſept. Urb. Eccl. cap. 2. pag. 14.* (a) *Bullar. tom. 1. Conſtit. 5. pag. 812. edit. Lugdun.* (b) *Card. Albitius diſcept. de titul. a num. 33. ad 38.* (c) *Azor. Inſtit. Moral. cap. 30. quaeſt. 2. verſ. ex quo fit.*

ctis. Unio tituli Basilicae S. Laurentii in Damaso Vicecancellariatus dignitati per literas Clementis VII. acta fuit, quarum tenorem in calce hujus capitis referimus (*d*).

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Etsi ad singula Romanae Ecclesiae officia, & administrationes pro illorum, & ejusdem Ecclesiae, ac Romanae Curiae, illiusque Curialium, & Officialium felici, tranquillo, & prospero successu, ac decore intendere ex commisso nobis Pastorali Officio teneamur, ad Vicecancellariatus tamen officium, oculum nostrum, & pro tempore existentis Romani Pontificis dexteram nostrae circumspectionis intuitum, propensiori cura, & studio nos providere debere, convenire arbitramur, ut illius regiminis Minister idoneus, per cujus solertiam felicibus, dante Domino, proficiat incrementis, deputetur, & pro tempore deputatus, Ecclesiae Titulo, & honore condigno decoretur, ipsumque officium cum decentia, & tranquillitate, ac Curialium, & Officialium eorumdem commoditate, & utilitate exerceatur, & quae illius perturbationem quoquo modo adducere possent de medio submoveantur.

§. *I. Sane Ecclesia S. Laurentii in Damaso de Urbe, quae Titulus Presbyteri Cardinalis existit, & cui praesidebat, ac officio Vicecancellariatus praedicto, quod obtinebat bonae memoriae Pompejus Tituli S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis ejusdem Romanae Ecclesiae Vicecancellarius, dum viveret, per obitum ejusdem Pompeji Cardinalis, & Vicecancellarii, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, vacantibus. Nos considerantes ipsius officii dignitatem, excellentiam, & auctoritatem, & quod illud a memoria hominum citra per Vicecancellarium temporalem erectum, & gubernatum non extitit, sed semper Vicecancellarium perpetuum habuit, ac quod pro tanti officii regimine, & exercitio, & nè incommoda, quae ex rerum a suo solito, & destinato cur-*

(d) *Bull. tom. 1. Const. 34. pag. 686.*

cursu, mutatione evenire solent, proveniant, decens, & plurimum commodum fore dignoscitur, ut dicta Ecclesia S. Laurentii cum illius Palatio, seu Domo, & membris in ejusdem Romanae Ecclesiae Vicecancellarium, pro tempore assumptum, pro ejus proprio Titulo, seu propria denominatione concedatur, & assignetur, habita super his cum Venerabilibus Fratribus nostris dictae Ecclesiae Cardinalibus deliberatione matura, cum maxime expediat nobis talem in Vicecancellarium nostrum, & Apostolicae Sedis assumere, de quo confidere quam maxime possimus, & nullum alium Cardinalem, de quo magis confidere possimus, quam dilectum filium Hyppolitum S. Praxedis Diaconum Cardinalem de Medicis nuncupatum, secundum carnem Nepotem nostrum habeamus, ac spem in Domino geramus, quod idem Hyppolitus Cardinalis, cujus personam ingenii claritate, singulari prudentia, eximia probitate, aliisque multiplicum virtutum donis, ac gratiarum muneribus, illarum largitor decoravit Altissimus; gratia sibi assistente Divina, per ejus circumspectionem, industriam, & studium fructuosum, ac innatam benignitatem, tam Ecclesiam S. Laurentii, quam officium hujusmodi summa cum providentia, & fidelitate, & exacta diligentia salubriter regere, & fideliter gubernare studebit, de ipsorum Fratrum consilio, ad honorem, & gloriam dictae Romanae Ecclesiae, nec non Ecclesiae S. Laurentii, & Officii hujusmodi prosperum regimen, & salubrem directionem, Ecclesiam S. Laurentii cum illius Palatio, Domibus, membris, Jurisdictionibus, collationibus, ac aliis dispositionibus Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac Juribus, & pertinentiis suis universis, nec non Vicecancellariatus Officium hujusmodi, sive ut praemittitur, sive alias quovis modo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, aut ex alterius cujuscumque persona vacaret, similiter cum omnibus, & singulis ipsius Officii honoribus, oneribus, privilegiis, facultatibus, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, juribus, obventionibus, & emolumentis debitis, & consuetis eidem Hyppolito Cardinali, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & assignamus, ipsumque Hyppolitum Cardinalem, eidem Ecclesiae S. Laurentii in Diaconum Cardinalem praeficimus, & dictae Romanae Ecclesiae Vicecancellarium

Aa 2 *assu-*

assumimus, creamus, constituimus, & deputamus, sibique curam, regimen, & administrationem Ecclesiae S. Laurentii in spiritualibus, & temporalibus, nec non Officii bujusmodi, cujus ratione ab ipso Hyppolito Cardinali fidelitatis debitae solitum recipiemus juramentum, & quod etiam per Regentem, & alios Ministros, prout alii praefatae Romanae Ecclesiae Vicecancellarii, qui pro tempore fuerunt, facere consueverunt, etiam facere, & exercere volumus, liberum exercitium plenarie committimus, ac eisdem auctoritate, ac tenore praesentium statuimus, & ordinamus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus Ecclesia ipsa S. Laurentii dictae Romanae Ecclesiae Episcopo, aut Presbytero, seu Diacono Cardinali; cui Officium ipsum vacans concedi contigerit pro Ecclesiae Titulo, seu pro ejus denominatione eo ipso absque alio Juris, vel bominis ministerio dicta auctoritate concessa, & assignata, & ipse eidem Ecclesiae S. Laurentii Praefectus sit, & esse censeatur; ita quod liceat eidem Hyppolito, & pro tempore ad dictum Vicecancellariatus officium assumpto per se, vel alium, seu alios Ecclesiae S. Laurentii, ac Palatii, seu Domus membrorum, Jurisdictionum, Jurium, & pertinentiarum praedictarum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprebendere, et retinere, illamque regere, & gubernare, & alia facere, & exercere, quae Presbyteri, seu Diaconi Cardinales, qui illi pro tempore praefuerunt facere potuerunt, & debuerunt.

§. *II. Ipsique Hyppolito Cardinali, & Vicecancellario, ut omnibus, & singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indultis, concessionibus, & gratiis nobis dum in minoribus constituti illud obtineremus, & cuicumque alteri dictae Romanae Ecclesiae Vicecancellario, ratione Officii Vicecancellariatus bujusmodi; aut nostrae, vel illius personae intuitu, & alias quomodolibet tam in genere, quam in specie concessis, quorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter, ac de verbo ad verbum insertos babemus, & quicumque alius ejusdem Romanae Ecclesiae Vicecancellarius utebatur, potiebatur, & gaudebat, ac uti, potiri, & gaudere poterat, uti potiri, & gaudere libere, & licite valeat indulgemus.*

§. *III. Quo circa eidem Hyppolito Cardinali per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum sibi onus regiminis, & administrationis*

Eccle-

Ecclesiae S. Laurentii, ac Officii Vicecancellariatus hujusmodi, prompta devotione suscipiens, curam, regimen, administrationem Ecclesiae S. Laurentii, ac Officium hujusmodi juxta datam sibi a Domino providentiam sic exercere studeat sollicite, fideliter, & prudenter, quod Ecclesia, & Officium praedicta Gubernatori provido, & fructuoso Administratori gaudeant se commissa, & optati fructus, quos speramus succedant, ipseque Hyppolitus Cardinalis praeter aeternae retributionis proemium, nostram, & dictae Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius consequi mereatur.

§. IV. Nec non dilectis filiis Capitulo, & Clericis ipsius Ecclesiae S. Laurentii, ut eidem Hyppolito Cardinali, & Vicecancellario in omnibus, & per omnia pareant, & obediant; alioquin sententiam, seu poenam, quam rite tulerit in Rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§. V. Ac omnibus, & singulis ipsius Cancellariae Officialibus, & aliis, ad quos pertinet, ut ipsum Cardinalem Hyppolitum ad dictum Vicecancellariatus Officium recipiant, & admittant, eique tamquam vero dictae Romanae Ecclesiae Vicecancellario, in omnibus ad Officium ipsum spectantibus, similiter pareant, & obediant, ac de Juribus, obventionibus, & emolumentis consuetis integre respondeant. Non obstantibus Constitutionibus &c. nulli &c. si quis &c. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo trigesimo secundo, die V. Julii, Pontificatus nostri anno nono.

CA-

CAPUT X.

De amplissima S. R. E. Vicecancellarii dignitate.

PRaeclara S. R. E. Vicecancellarii, seu Cancellarii dignitas, sua vetustate eximia, atque omnium probabiliter prima in Ecclesiae primordiis, a multis Scriptoribus multiplici Titulorum varietate elata est, ut testatur Ludovicus Gomes (e) Episcopus Sarnensis de Regulis Cancellariae Apostolicae, illiusque prorsus ignoratur origo. Cur autem Vicecancellarius, & non Cancellarius denominetur, aliqui id fieri tradunt in obsequium Beati Laurentii, quos refellit eruditus Praesul Johannes Ciampinus (f) hujus Basilicae olim Canonicus in suo tractatu de S. R. E. Vicecancellario, dicens Beatum Laurentium potius fuisse Camerarium in erogando temporalia Pauperibus, unde respondit Valeriano Tyranno; *Divitias, (g) quas requiris in Caelestes Thesauros manus Pauperum deportaverunt.* Praeallegatus Ciampinus putat dignitatem Cancellarii in Ecclesiam introductam fuisse Beati Damasi temporibus, vel paullo post. Etsi quamplures alii Scriptores sentiant ab ipsomet S. Petro adhibitum fuisse Cancellarium pro scribendis Epistolis, aliisque Apostolicis monitis, & decretis, ac etiam aliquorum Conciliorum actis; quemadmodum postea a S. Clemente creati fuerunt septem Notarii, ut Martyrum acta scriberent. Cumque hujusmodi munus a Viro Cardinalitia dignitate minime decorato exerceri consueverit; ideo Vicecancellarii nomen ab illo assumptum a Posteris etiamsi Purpura insignitis retentum fuit, non ex speciali decreto, sed ex quadam incuria, quae postmodum in legem transivit.

Maximo semper in Romana Curia praefulsit decore hoc Vicecancellarii munus. Asserit enim celeberrimus Vir Franciscus

(e) *Gomes de Regul. Cancel. in proem. regul. num. 2.* (f) *Ciampinus de Vicecancel. cap. 1, & 2.* (g) *Breviar. Rom. 10. Augusti.*

ſcus Cardinalis Zabarella (*h*), quod major in Curia poſt Papam eſt Vicecancellarius; magna ſiquidem eſt ejus praerogativa, non ſolum quia conſpicuo decoratur titulo hujus Baſilicae, inſignique, vereque regio Palatio, quod Cancellaria nuncupatur, in quo veluti in aedibus publicis ipſa Cancellaria tanquam per ſpeciem magni Tribunalis ſtatutis diebus propriis miniſteriis perfungitur: verum etiam quia primaria, & graviora Sedis Apoſtolicae negotia, uti Acta Conſiſtorialia, in ipſius Conſiſtorii rubrica inſinuata, ac etiam aliarum Apoſtolicarum proviſionum literae ſolemnes in forma Bullarum ſub antiquo ſigillo plumbi prae ejus manibus geruntur. Et revera quantum utilitatis Sanctae Sedi afferre valeat, dignoſcitur ex Epiſtola Claraevallenſis Abbatis ad Eugenium Pontificem: *Habere* (*i*) *bonum*, *juſtum*, *&* *bonae famae Cancellarium Apoſtolicae dignitatis non modica pars eſt*, *Apoſtolicae conſcientiae non mediocris cuſtodia eſt*. Et his quidem de Vicecancellarii titulo, & dignitate explanatis, proximum eſt, ut ad ipſius Baſilicae deſcriptionem accedamus.

CAPUT XI.

Quaedam de Baſilicae ſtructura generatim, ſingillatim vero de Ara maxima.

SAncti Laurentii in Damaſo Templum, Cancellariae, ut diximus aedibus conjunctum, ac pene inſinuatum, tametſi non admodum felici gaudeat loci ſitu inter praecipuas tamen Romanae Urbis moles, atque conſtructiones, propter Operis magnitudinem, & praeſtantiam ſemper eſt habitum.

Oſtium Baſilicae maximum Tyburtino ſtructum marmore, ſatis commode capax ad Populi acceſſum, Vignolam praecla- ri

(h) *Zabarella in Clement. ne Romani de elect. & poteſt. verſ. eo ipſo*. (i) *Bernard. Epiſt.* 28.

ri nominis Architectum habuit. Totum, solidumque Basilicae spatium quatuor interiores porticus, quas naves vocant, occupant, atque discriminant. Prior, eademque transversa, per interiores omnes excurrens, majorem, & mediam circumcludit; & haec quidem ligneo laquaeari, caelaturis eleganti opere variato, atque auro incrustato, reliquae opere coementitio fornicatae. Transversam quinque arcus, & quatuor pilae; mediam quatuor item pilae, & tres arcus sustinent. Hanc a lateribus pilae sex integrae, totidemque arcus coronant: qua vero parte absidi nectitur, pila dimidiata fulcitur. Columnae structiles, quemadmodum reliqua Basilicae molitio ad Dorici ordinis modulum, atque commensum eriguntur. Quod architecturae genus constantiae robur, & animi firmitatem invictissimi Martyris Laurentii apposite repraesentat, quemadmodum a Vitruvio observatum est in aedibus iis olim Diis excitatis, quorum fortitudo praecipua laus est. (*k*) *Minervae enim, inquit, Marti, Herculi, aedes Doricae fient: iis enim Diis propter virtutem sine deliciis aedificia construi decet*. Transverso eadem porticus fenestris quatuor arcuatis Orientem excipit Solem, quae porro pari dimensione divisae medium recipiunt Basilicae majus ostium inter pilas, arcusque indicatae porticus, ipsumque ostii murum solidum: bina hinc inde tolluntur Sacella Sanctissimae nimirum Eucharistiae, & alterum ab Eminentissimo Cardinali Ruffo excitata: item duo minora ostia, quorum altero aditus est ad atrium aedium Cancellariae, altero ad viam publicam. Explet autem ea porticus longitudine palmos septuaginta, latitudine viginti quatuor cum dimidio supra centum. Media interior porticus relata superius ad ipsum meridiem vergit, lucemque admittit fenestris omnino quinque, iisque quadratis, & spatiosis. Tres aliae ad Ovi figuram supra absidem lucem ab Occiduo capiunt Sole: Postremo geminae super arcum absidis utrinque adapertae ad formam trianguli novam lu-

(k) *Vitruvius cum notis Barbari Patriarch. Aquilejae lib. 1. cap. 2. pag. 25. Venetiis 1556.*

lucem impertiunt. Eadem porticus lata eſt palmos fere ſeptuaginta ſeptem, longitudine palmos adaequat centum, & quinquaginta duos.

Lacunar areolis coerulei coloris interpoſitis, cum extantibus coronulis inauratis praefert in medio praegrandem tabulam cum effigie S. Laurentii. Infra ſupraque conſpiciuntur inſignia Cardinalis Farneſii cum hac Epigraphe.

Alexander Farneſius Cardinalis Vicecancellarius
Deo, & S. Martyri Laurentio dedicavit.

Adjacent iis Inſignibus quatuor tabulae, quae eumdem S. Martyrem demonſtrant, Eccleſiae theſauros egenis diſtribuentem, oculorum uſui reddentem luce caſſum, Hyppolitum abluentem aquis luſtralibus, & cratis ignitae ſupplicium coram caeleſti Aulico ſuſtinentem; eximium id liberalitatis ſuae, & beneficentiae monumentum praefatus Cardinalis Farneſius reliquit (1); qui inſuper parietes, qui illuſtrium artificium ſpectatiſſimis picturis, quae S. Laurentii Martyrium oculis ſubjiciunt complexus eſt, aliis ad hoc additis ornamentis ſtructurae, pretiique ſingularis, quae ſacram aedem vehementer nobilitant, ſpectatorum vero oculos mirifice capiunt, alliciuntque. Demirantur praecipue omnes, atque ſuſpiciunt parietes majoris interioris porticus arte praeſtantiſſima udo tectorio coloratos S. Lavitae acta praecipue proferentes. In duplici a Septemtrionibus tabula ſtipem pauperibus erogat, & comitem ſe adjungit S. Sixto II. ad paratum ſupplicium feſtinanti, Opus egregium Joſephi Equitis Arpinatis. Ab oppoſito latere ad Judicis Tribunal adducitur, & caeditur, pedibus appoſito pondere praegravatis, auctore Nicolao antiquiore Pomarancio. Abſidi, & arae primariae adverſam parietis amplitudinem Johannes de Vecchiis Biturgienſis depinxit, refert S. Martyrem, in igneam projectum cratem. Infra commemoratas tabulas corona, & Zophorus Dorici ordinis ambitum porticus uſque ad arae maximae emicyclum amplectitur.

(1) *Alex. Donat. de Urbe Rom. lib. 4. cap. 11.*

ctitur. Splendidis hisce a memorato Cardinali Farnesio beneficentiae Officiis huic Templo collatis, illud rursus sacro ritu ex praescripto majorum Deo Optimo Maximo dicatum fuit, die prima Septembris anno 1577, qua item quotannis dies Dedicationis anniversaria hujus Basilicae recurrit, atque solemni ritu celebratur. Ad hujus interioris porticus caput tollitur absis ad figuram emicycli concamerata, juxta commensum, & Diagramma Laurentii Equitis Bernini primae notae Architecti, sumtibus Cardinalis Francisci Barberini Vicecancellarii. Eadem duplici ordine discernitur Odeis quatuor interstincta, primum ordinem a fronte extra arcum exornat duplex pila Dorici ordinis, altera integra, altera dimidiata ex candido marmore asperso maculis, atque striato. Interius compar pila cum extante Odeo rotundo, illustratoque transennis ex aere inaurato, & quadratis marmoreis balaustriis. Desuper marmorea ejusdem Cardinalis insignia prominent. Iterum post Odeum altera occurrit pila prope majorem tabulam, & eodem rerum ordine pars absidis altera secernitur, & nobilitatur. Latera angulorum inter pilas numidico marmore vestiuntur. Infra Odeum Cherubin capite duplex mutulus marmoreus regitur: tum tabula lutei marmoris cum eleganti, & versicolori ornatu item marmoreo. Ea pars quominus tota conspici possit, prohibent sedilia interposita ex nuce sectili, & egregia caelatura, discriminata circa aram maximam, quae undique avulsa peregrinis marmoribus, & metallorum nitore perfusa conspicitur. Alter ordo similia fere continet ad formam Doricam: pilae vero incisae cratibus, aliisque S. Martyris supplicii instrumentis, tanquam Tropheis. Odea hujus ordinis ex nitido pariter marmore, aureis laminis, & picturis ornata ostendunt organa ex inaurato aere foliis excurrentibus sane conspicua, si structuram reputemus, ad operis exactissimi specimen, usumque absolutissime elaboratam. Sublata in Ara maxima tabula desuper commonstratur binos Angelos referens ex marmorato, & aspersione inaurata, quorum alter diadema Ponti-

ficium

ficium S. Damasi Insigne, alter palmam gestat S. Laurentii Martyris tesseram, & praemium. Ipsa vero tabula ex Lavaniensi marmore auctore Friderico Zuccaro pictore eximio, evectam in Caelo Deiparam coronatam superius exprimit: paullo infra Apostolorum Principes Sanctos Petrum, & Paulum stantes: tum Sanctos Laurentium, & Damasum in genua procumbentes. Corona tabulae ex marmorato auro sparsim disseminato. Fornix absidis renitet Opere pariter marmorato, & auro item consperso, & coeuntibus ad ultimum pilarum divisuris ad simetriam Odeorum, & tabulae majoris. In superius ovatis recensitis fenestris omnino tribus, e lateribus gemini Angeli ramos laureos sustinent: in ipsis vero fenestrarum frontibus conchyliatis iterum bini astant divisim Angeli, tria sustinentes numismata operis anaglyphi ex marmorato, & auro sparsim collucente. Prius numisma complectitur baptisma S. Hyppoliti, alterum supplicium S. Laurentii, postremum eumdem Martyrem caelestium nunciorum corona, & radiis praefulgentem. In centro fornicis Columba Divinum Spiritum adumbrat in emicyclo, ubi sex pueri caelestes sustinent encarpos eleganti flexu diffusos. In arcus vero fornice iisdem ornamentis Urbani VIII. Pontificis insignia effulgent. Aram maximam muro absidis olim affixam longo temporis circuitu vetustate labefactatam, Franciscus Cardinalis Barberinus renovari curavit, & in medium ejusdem absidis pertraxit, pretiosisque marmoribus Sacros S. Eutychii Martyris, & S. Damasi Pontificis cineres (veluti superius cum de ejus translatione nobis fuit sermo) atque carbones nonnullos S. Laurentii sanguine, & pinguedine aspersos, tumulo nobiliore compositos, ea qua par erat, veneratione decoravit: qua permutatione obtentum etiam est, ut priscus Ecclesiae ritus renovaretur, quo rem divinam facientes, & publice orantes, Orientem spectarent Solem. Praecingitur eadem Ara triplici ordine graduum marmoreorum porticus mediae latitudinem aequantium. Eos gradus, & orbiculatam in medio eorum partem tuentur, exornant-

nantque crates ferraee cancellatae cum interpositis metallicis columnellis additis aeneis Apibus Gentis Barberinae. A fronte hujus Arae eminet urna versicoloris antiqui marmoris leoninis pedibus metalli suffulta, inter geminas pilas vario distincta marmore, super Aram excurrens gradus Zapphyro, & aere inaurato illustratur; caetera, ac praecipue pavimentum marmoribus intermixti coloris relucent.

Universae Basilicae longitudo ad centum viginti tres, porticus transversae ad septuaginta, absidis ad novem supra viginti palmos fere protenditur: latitudo Templi non minor est centum viginti quatuor. Extra absidem ad porticum sacrarii per angustiorem scalam patet aditus ad inferiorem, & subterraneam confessionem, ab eodem Cardinali Barberino renovatam, atque nobilitatam. Ara marmorea coloris intermixti cum superejecta tabula item marmorea exprimente Opere anaglypho Sanctissimum Salvatorem extinctum, & Angelos ad moerorem, luctumque compositos, quod est Nicolai Menghini illustre opificium. Ea molitio cum universo operis ornatu non minus duobus, & viginti aureorum millibus stetit, ut constanti fama compertum est. Ut vero perpetuam pro tot Beneficiis grati animi significationem Posteris commendaret Capitulum Laurentianum, in ipso Basilicae Sacrario marmoream tabulam locavit cum inscriptione, cujus Auctor [quo operi universo cumulus summae, & immortalis gloriae accessit] fuit Clemens XI., ejusdem olim Basilicae Canonicus, qui dum Ecclesiam universam gloriose moderaretur nobis haec exarantibus, ut idem ipse Pontifex, tanquam praefatae Inscriptionis Auctor apponeretur, benigne indulgere dignatus est. Inscriptio autem in hanc sententiam, legitur.

Francisco Barberino S. R. E. Vicecancellario
Quod post hujus Basilicae absidem caelato marmore eleganter ornatam
Odaeum magnificentius extructum
Et Sacros SS. Eutichii Martyris, & Damasi Pontificis cineres
Tumulo nobiliore compositos

Cul-

Cultum divinum Sacerdotum in Choro psallentium accessione
Amplificandum curaverit
Sacram suppellectilem pretiosis muneribus auxerit
Aream ante faciem Templi protulerit
Aliisque plurimis assiduae pietatis exemplis,
Tum Ecclesiae splendori, ac dignitati,
Tum pauperum eidem subjectorum commodis large prospexerit
Capitulum, & Canonici posuere anno Jubilaei MDCLXXV.

Animadvertendum tamen, post hujus quidem operis complementum, ante vero ejusdem editionem, Petrum Cardinalem Otthobonum praemisso ad subterraneam confessionem aditu penitus obstruso, alterum ab anteriori Arae maximae parte bino ex marmore scalarum ductu magnificentius adaperuisse; confessionem ipsam pretioso marmorum ornatu, atque picturis elegantibus in fornice decorasse, praenobile in ea erexisse Altare ad similitudinem confessionum, quae in Patriarchalibus Urbis Basilicis conspiciuntur, & in ipso excellenti posito simulacro D. Hyppolito Episcopo Portuensi, & Martyri solemni ritu dicasse anno 1737. in solemnitate Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae almae Dei Genitricis; sub eodemque Altari partem Corporis ejusdem S. Hyppoliti ex Ecclesia S. Johannis Colabytae in Insula Lycaonia, san. mem. Clemente XII. annuente, desumtam, decentissime collocasse una cum Reliquiis Sanctorum Taurini, Herculani, ac Johannis Colabytae. Peracta hujus Altaris consecratione idem Cardinalis Otthobonus argenteam Crucem, Candelabra, Thecas cum Reliquiis hymni angelici, ac reliquas tabellas, lampadesque ex argento omnia confecta, cum eleganti casula auro contexta, religiosa liberalitate, piissimaque munificentia est elargitus.

CAPUT XII.

De Sacellis in dextera Basilicae parte, ubi de Sanctissimae Conceptionis sodalitio.

NAvis, quae est a latere dextero Arae maximae, quatuor continet Sacella, quorum primum assignatum est venerabili, ac perillustri Societati Sanctissimae Conceptionis, de qua sermonem aggredimur juxta materialem Cappellarum dispositionem.

Nobile hoc Sacellum ad dexterum latus Arae maximae, & in hujus porticus fronte visitur; a gemino latere concluditur ferreis cratibus cancellatis. Fornicem marmorato, & auro discriminatum; Divinum vero Patrem inter nubes, & Angelos coloratum, ac circumseptum, corona item ex marmorato, & auro, octoque pueris caelestibus extantibus exhibet. Ab iisdem pueris encarporum flexibus, & florum gestamine colludentibus forniculi lunati ornatum suscipiunt: quod opus picturatum celeberrimum Petrum Cortonensem artificem ostentat. Anno 1465. Paulo II. Pontifice Societati Sanctissimae Virginis sine macula Conceptae concessum fuit, ut testatur Camillus Fanuccius (*m*). Pilae quatuor, quibus fornix incumbit alabastritae, & aliis optimae notae marmoribus incrustantur, earumdem bases, & Sacelli pavimentum versicolori marmore internitent. Assurgit in Ara veteris operis tabula Deiparam referens, quae olim miraculis clara in pervetusta Parochiali Ecclesia S. Mariae, cui nomen a Crypta picta praecipua a Fidelibus veneratione colebatur. Haec Ecclesia Cryptae pictae nuncupata una est ex hujus Basilicae, ut vocant, filialibus, de qua cum reliquis aliis opportunus erit agendi locus.

Haec imago perhibetur fuisse depicta a S. Luca, quam duplex theca, altera argentea, altera inaurati aeris contegit. In-

(m) *Fanucci dell' Opere pie di Roma lib. 3. cap. 9.*

Intra coronam nigri marmoris circa tabulam haec Epigraphes incisa legitur.

In hac imagine reconditae sunt reliquiae SS. quadraginta Martyrum, & Felicis Papae, & SS. Marci, & Marcelliani.

Mediam tabulam recipiunt columnae Gallici marmoris geminae cum capitellis Corinthiae Architecturae. His regitur superliminare medium obtinente spatium Columba candida marmoris, Divinum referente Spiritum, cum idoneo ornatu frontis, quaqua versum porrectae. Commemoratam Deiparae tabulam conjicitur admodum vetustam fuisse ex forma literarum, quibus conficitur Epigraphes indicata, cum nil discrepent a Romanis antiquis, quae decimo fere saeculo vitiari coeperunt. Genus ipsum Ortographiae, & antiqua ex literis M.S. monumenta produnt eodem fluente saeculo incisa fuisse. Ad hanc Balicam anno 1505, & in hoc Sacellum translata fuit, atque a Reverendissimis Vaticanae Basilicae Canonicis diademate aureo insignita. In pariete a latere dextro sub ampla fenestra ad figuram emicycli, ex qua haurit aedicula meridianum lumen, in marmorea tabula haec Inscriptio conspicitur.

Memoriae Saeculorum.

Urbano VIII. Pontifice Maximo favente

Francisco Card. Barberino S. R. E. Vicecancellario, Protectore munificentissimo, Archiconfraternitas Immaculatae Conceptionis Gloriosae, ac Beatissimae Virginis ab hominum memoria in Urbe erecta, & per totum terrarum Orbem propagata, ad augendam erga Deiparam sine peccato Conceptam, crescentem quotidie magis Fidelium Religionem, antiquissimam hanc, & miraculis insignem Conceptae Virginis Iconem, magnificentissimo apparatu, ac pompa plane triumphali, pluribus passim fornicibus, columnis, statuis, aris, machinisque ornatissimis excitatis alta arce ad publicum plausum instructa XIX. Augusti anno reparatae salutis MDCXXXV. veteri Sacello restituto, & ornato in triumphi speciem circumduxit, militaribus Urbis copiis, Tribunitiis, cum Vexillis praeeuntibus, prophanis, sacrisque ordinibus, Cardinalium, ac Procerum familiis

miliis subsequentibus, Senatu vero Romano, una cum Patritiis, populoque universo, insueto plaudentis pietatis sensu claudente triumphum, sibique mirifice gratulante a Virgine omni, vel originis labe immuni lustrari Urbem suam, quam illius potissimum patrocinio ab omni semper haeresum labe immunem agnoscebat, Valerio Valentino a Molaria Priore, Bruto Gottifredo, Francisco Franchino Bellbuomo, Johanne Francisco Ferrentillo Custodibus, Ascanio Piroto Camerario, Johannes Ferrentillus Prior, Petrus Vincentius de Cavaleriis, Seraphinus Cincius, Franciscus Gottifredus Custodes, Caesar Valentinus a Molaria Camerarius posuere monumentum.

In honorem Deiparae Virginis lychnus adest cum tribus argenteis lampadibus, quae perpetuo, sumtibus Societatis, collucent: Privatum reperitur Sacrarium inter crates ferreas cancellatas, & pilam absidi suppositam ad peculiarem hujus Cappellae usum sacris suppellectilibus refertum. Ibi celebrant quatuor Cappellani ad nutum Societatis amovibiles, & unus Sacrista. Dies festus Sanctissimae Conceptionis solemni ritu celebratur, ac dotes distribuuntur pluribus puellis, nec non quatuor subsidia dotalia aureorum centum totidem puellis, quae sub suavi religionis jugo Deo famulari devoverint, persolvuntur.

Conspicui sunt Societatis redditus, qui erogantur partim in cultum ejusdem Altaris, partim vero in ea, quae diximus annua subsidia dotalia; in eleemosinas Confratrum pauperum, atque etiam in stipendia Ministrorum, Archiconfraternitati inservientium. A Laicis nobilibus gubernatur, qui qualibet hebdomada juxta eorum statuta, simul conveniunt ad tractanda nogotia Societatis.

Post hujus Sacelli cancellos, ostium probe fornicatum in atrium aedium ipsarum Cancellariae Populum trasmittit; cumque observatum fuerit, eam ostii concamerationem non leviter fatiscentem lapsum interminari, ad contiguum Ecclesiae latus, arcusque caeteros eo vitio, lapsusque periculo propagato; ejus rei certior factus Petrus Cardinalis Orthobonus Vicecancellarius, cum imminenti casui prospicere suarum esse partium

co-

cognofceret, praefertim propter Innocentii XI. Chirographum, quo cura omnis, indemne, tutumque praeftandi nobiliffimum hoc aedificium ad Viceeancellarium fpectare fancitur. Pro eo, quo mirifice capitur, & ab omnibus commendatur pietatis, fummaeque in rebus divinis munificentiae ftudio, mandavit primo quoque tempore opere coementario ftabili, & arcuato coarctari idem oftium, & novis munimentis firmari arcus a latere pofitos, quibus haud dubie pars Apoftolicarum Cancellariae aedium fuftinetur.

Supra hoc oftium in marmore infculpta extabat fequens memoria Cardinalis Hyppoliti Medici, quae arcuum reftaurationis occafione remota in decentiori loco collocabitur.

Hyppolito Medici Card. S. R. E. Vicecancellario
Eximiis corporis, ac ingenii, fortunaeque muneribus ornatiffimo.
Qui cum tanta rariffima virtutum indole
Ad Leonis X. Clementifque VII. Patruorum
Pontificum gloriam contendit
Acerbiffima morte furripitur
Anno aetatis XXIIII. a partu Virginis
MDXXXV. IIII. Idus Augufti.

Praefato Sacello Sanctiffimae Conceptionis proximum eft aliud D. Matthaeo Apoftolo, & Evangeliftae dicatum, quod olim ad Confraternitatem nummulariorum pertinebat; at longo temporum ambitu eadem Confraternitate extincta, titulus quoque fuppreffus remanfit; proindeque Dominico de Marchis poftea conceffum fuit, qui eidem Sancto, cujus ipfe nomen gerebat, dedicari curavit, atque ad praefens ufque fub invocatione S. Dominici, etiam poft extinctam de Marchis ftirpem perfeverat: Praefert hujus Sacelli Ara tabulam, quae S. Dominicum exprimit figura integra, aegrotum puerum fanitati reftituentem, quod eft Ciampelli artefactum. Corona tabulae lutei eft marmoris cum binis columnellis marmoris nigri, & ordinis Jonici, quibus fulcitur rotundum fuperliminare item marmoreum: fub arcuatis forniculis acta quaedam ejuf-

dem Sancti depicta referuntur. Haec Cappella antiquitus subjiciebatur oneri trium Missarum pro qualibet hebdomada juxta piam dispositionem memorati Dominici de Marchis: at propter reddituum interceptionem ex Sacrae Visitationis Ludovici Cardinalis Lodovisii Decreto, nec non Instrumento per acta Pauli Fatii sub die tertia Octobris 1627. onus hoc aliis Basilicae adjunctum extitit, ideoque in tabulis onerum Capituli legitur: *Missae 280. partim in Sacellis Sancti Dominici, & Sanctissimae Conceptionis, partim in aliis Altaribus.*

Cernitur in hac Cappella duplex Inscriptio inserta lateralibus muris, & hinc inde tabulis marmoreis consignata quarum altera ejusmodi est:

Dominico de Marchis Romano, rarae omnino fidei, probitatis,
atque industriae viro; immatura morte praerepto anno
sal. CIↃ IↃ. CXI. Pridie Id. Sept.

Altera hoc pacto legitur:

Julius Benignus ex testamento haeres ornato, dicatoque Sacello,
censuque ad rem divinam ter quot hebdomadis faciendam
jussu Testatoris attributo, Amicus vere Amico,
quem vivum, & salvum vellet, posuit.

Hanc sequitur tertia Cappella sub invocatione Sanctissimae Virginis; ornavit, dotavitque Annibal Mainardus, cum reservatione perpetui Jurispatronatus Familiae de Mainardis; rediit hodie in Dominium Ecclesiae, ob ejusdem stirpis extinctionem. Hujus arae tabula ovata Deiparam cum caelesti puero ostendit coronide marmorea circumdatam: adstant Angeli aliquot a Dominico Fetti colorati; ornatus fere compar superiori Sacello. In fornice duplex item ovatum spatium repraesentat S. Antonium Abbatem, & Sanctam Paulam Romanam Viduam. Subjacet oneri hoc Sacellum unius Missae quolibet mense celebrandae, veluti ex tabula onerum Missarum Capituli patet, in qua reperitur. *Pro piis manibus familiae de Mainardis Missa una perpetua de Beata Virgine prima die Sabbati cujuslibet mensis in Cappella nuncupata de Mainardis.* Binae huic etiam

Sacel-

Sacello haerent Inſcriptiones, quas ex duobus marmoreis lapidibus tranſcripſimus, quarum prima Angeli Pamphilii, qui Innocentii X. Pont. Opt. Max. Genitor fuit.

Angelo Pamphilio Eq. Rom. omnibus Viri
Probi officiis Domi, Foriſque abſolutis
Vixit ann. XXXII. MDXCVI.
Porcia Sabbae Porcii F. conjugi optimo, &
Filii tres, impuberes Patri B. M. P.

Altera vero eſt Annibalis Mainardi.

D. O. M.

Annibal Mainardus Romanus voti compos, Deiparae Virgini
Sacellum hoc ſuis, ac Paulae ejus germanae largitionibus
exornatum pro Miſſis 120. quotannis celebrandis
perpetuo cenſu ſcutorum XXIV. monetae
dotavit, prout in actis Antimi Palmerii
A. C. Notarii VI. Non.
Januari MDCXV.

Quae Miſſae hodie non celebrantur, quia praedictus annuus cenſus ſcutorum viginti quatuor evictus fuit; Petiit Capitulum a Sacrae Viſitationis Congregatione, quae deinceps Miſſae pro animae defuncti refrigerio celebrari deberent; Et ab eadem oraculum prodiit, ut ad numerum ſupra expreſſum reducerentur.

CAPUT XIII.

De Baptisterio, ubi de colore Prasino in Circensibus.

POst relatum Sacellum in Basilicae ingressu per ostium in Cancellariae atrium est ad laevam Baptisterium a Sanctissimi Fundatoris nostri Damasi temporibus in pervetusta Ecclesia ab ipso excitata, erectum; veluti testimonium perhibent sequentia carmina in lapide insculpta, quae Millesius etiam Sarazanius in Operibus Beati Damasi ab ipso collectis refert (n).

Ad fontem Ecclesiae S. Laurentii in Damaso, quae alio nomine appellatur in Prasino.

Iste salutares fons continet inclitus undas,
Et solet humanam purificare luem.
Munia sacrati, quae sint vis scire liquoris?
Dant regnatricem flumina Sanctam fidem.
Ablue fonte sacro veteris contagia vitae,
O nimium felix vive renatus aqua.
Hunc fontem quicumque petit terrena relinquit,
Subjicit, & pedibus caeca ministeria.

Ethymon obsoleti vocabuli Prasini, cujus in praedicti Epigrammatis titulo fit mentio, postulare videtur, ut [etsi a suscepto opere parumper deflectat Oratio] Prasinum colorem, qui per plura retro saecula tantum gratiae, ac dignationis sibi conciliavit apud priscos Romanos Imperatores, quique progressu temporis antiquatus fuit, penitusque extinctus e tenebris eruamus.

Prasina vox viride acutissimum significat ad similitudinem Porri, ut notavit Insignis Glossographus Ducanges; hinc Prasinae vestes dictae fuerunt a lana viridi, quas alii Ranunculares vocant, mutuato nomine a lanarum viriditate, teste Scholiaste.

Qua-

(n) *Millesf. Sarazan. Oper. S. Damasi. Carm.* 38. *pag.* 95, & *in notis pag.* 193.

Quatuor in Urbe vigebant antiquitus (*o*) Quadrigariorum factiones, aſſignato, cuilibet ex eis, ſtabulo non longe a Circo Flaminio in nova Urbis regione ſito, intra cujus ambitum conſtructum poſtea fuiſſe Cancellariae Apoſtolicae Palatium tradit Panvinius (*p*), eaque ratione putat ſuperius citatus Sarazanius (*q*) in Praſino hanc noſtram Baſilicam, dici, quia juxta Circum Flaminium poſita fuerit, quia hic locus forte erat, in quo morabatur Factio Praſina, idque in fundamentis memorati Palatii reperta baſis cum inſcriptione Agitatorum harum factionum, ut ille affirmat, non obſcure confirmabat. Haſque factiones impenſiori ſtudio coluit Urbs Conſtantinopolitana, poſtquam, diviſo Orbis terrarum Imperio, Caput, & Metropolis Imperii Orientis conſtituta fuit.

Unaquaeque factio variis diſtinguebatur coloribus, varia quoque nomina uſurpavit. Primae nomen Praſinae inditum, quia Quadrigarii panno viridi induebantur, virentis terrae imaginem referentes; alia nuncupata fuit Veneta ob caeruleum colorem Hyemi reſpondens: Tertia dicta Roſea, vel Ruſſata, ideoque aeſtati dicata: Quarta demum alba vocata, pruinoſi Autumni ſpeciem effingens, coloribus in vices temporum Quadrifaria diviſione fundatis, ut ingenioſe obſervavit Caſſiodorus.

Inter illas factiones Principem locum tenebant Praſina, & Veneta, iſti favebant Nautae, & quicumque res maritimas curabant, caeruleo maris colore propenſionem, ſtudiaque promovente; ardentioribus votis Praſinam proſequebantur agricolae, cunctaque Plebs perinde, ac ſi ſuperata altera factione aemula, ſpes certior, proximumque uberioris annonae indicium conſurgeret; adeout ſi praeter ſpem, & concepta vota factio Veneta e certamine victrix rediret, maerore poene conficeretur Civitas, ut memorat idem Caſſiodorus. Immoderatum plebeculae panno viridi inſanientis ſtudium graphice deſcripſit Juvenalis his verſibus. *To-*

(o) *Iſidor. lib. 19. orig. cap. 17. Bulenger. lib. de Circo cap. 48. Salmas ad Lamprid. pag.188.* (p) *Panvin. de Ludis Circenſ. l.1.c.10.* (q) *Saraz. Oper. S. Damaſi in not. p. 193.*

Totam (r) hodie Romam circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, moestam, attonitamque videres
Hanc Urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus.

Eoque res processerat, ut spectatores induerentur eo colore, cui indulgerent, & hyrundines, aut Columbas in ludos afferrent, solitasque domum redire alligato filo victoriae indicio ad suos dimitterent, ut rem prospere gestam, quam citissime renunciarent, testante Procopio (s).

Prasinos Agitatores pene semper in deliciis, & amoribus habuerunt Imperatores, eosque praedilectos fuisse a Nerone scribit Suetonius (t), qui quoque refert in Vita Caligulae eum Prasinae factioni ita addictum fuisse, ut habitu Prasino aurigaretur, ac in stabulo Prasinorum coenitaret; eumdemque colorem sic adamavit Imperator Verus, ut volucris Prasini equi, aureum simulacrum fecerit, in cujus equi gratiam primum coeperunt equi aurei, vel bravia postulari, ut ait Capitolinus in ejus Vita.

Nimia plus forte aequo Justiniani Imperatoris propensio in factionem Venetam fuit; siquidem Imperatoris gratiae subnixa audacior ultra modum effecta occasionem praebuit horrendae Civium stragi, adeoque immanem fuisse contentionem inter Prasinam, & Venetam factionem, memorant Scriptores historiae Bizantinae, ut quadraginta fere hominum millia trucidata fuerint. Vita functo Justiniano, neque adhuc saturatis partium odiis, tumultuantium factionum impotentes iras tandem compressit, & restinxit Justinus Imperator, sequenti oratione, brevi equidem, sed Imperatoria Majestate vere digna: *(u) Vobis defunctum esse Justinianum scitote Veneti; superesse etiam nunc vobis Justinianum Prasini credite.*

His praemonitis de voce Prasina, ex qua vetus nostrae Basili-

(r) *Juvenal. Satir. 2.* (s) *Procopius histor. arcana pag. 90. edit. Lugdun. 1623.*
(t) *Suetonius in Vita Neron.* (u) *Procopius histor. arcana in not. pag. 90. edit. Lugd.*

silicae appellatio, ad lustralem fontem redeamus. Sacer hic fons diuturno temporum ambitu in deteriorem redactus conditionem, nuper restauratus, & pene a fundamentis constructus summa Petri Cardinalis Otthoboni liberalitate, qui effusas largitiones huic Operi absolvendo impertiens in amplissimam, atque conspicuam, quam hodie miramur formam restituit. Ornato nempe pretiosis marmoribus, ac specioso lapidis viridis antiqui stilobate; marmoreis cancellis eleganti lithostroto cum inaurato fornice, nec non tabula picta Redemptoris, baptismum in Jordane cum S. Johanne Baptista exhibente.

Almae Urbis ex celebrioribus est haec nostra Paraecia, eique magnus filialium Ecclesiarum numerus subjicitur, quarum Rectores singulis annis tum ipsa die Sabbati Majoris hebdomadae, tum Sabbati in Vigilia Pentecostes, induti Pluvialibus, benedictioni Sacri Fontis intersunt.

Sequitur post lustralem Fontem ostium in atrio aedium Cancellariae, ubi de anno 1703. ad infandi Terremotus memoriam pro gratiarum actione Deiparae Virgini, cujus Patrocinio aedes hae sacrae penitus illesae substiterunt, sequens apposita extitit Inscriptio ab erudito, & clarissimo Praesule Francisco Blanchini, hujus Basilicae tunc Canonico, atque ejusdem quam maxime benemerito elucubrata, qui postmodum a Clemente XI. propter eximia virtutum merita inter Liberianae Basilicae Canonicos cooptatus est.

Deiparae Virgini
Matri pientissimae, malorum propulsatrici
Post Vaticana Vota rite soluta,
Actis etiam publice gratiis ad S. Laur. in Damaso;
Quod finitimis Provinciis valide concussis,
Montanisque Civitatibus terraemotu dirutis
XIX. XVII. & postridie Kal. Februa-
rii MDCCIII. Urbis fundamenta nutantia
praesidio firmaverit suo.

An-

Annuente Clemente XI. Pontifice Maximo
Petrus Diaconus Card. Ottbobonus S. R. E. Vicecancell.
Basilicae atrium tantis auspiciis reparatum
Ejusdem Canonicis Patronam una invocantibus
Praesentis tutelae testimonium
Esse posteris jussit XVI. Kal. April. MDCCIII.

C A P U T XIV.

De Sacello Sanctissimi Corporis Christi Domini, & ejusdem sodalitio.

VIsitur demum post ostium, unde datur exitus in atrium Palatii Cancellariae, Sacellum Sanctissimo Christi Corpori dicatum; tametsi inferiorem illud, minusque spectabilem Ecclesiae locum occupet, nihilominus rem ipsam, & debiti cultus frequentiam intime reputantibus, satis opportune collocatum deprehendetur, utpote inter maximam Basilicae portam, & aditum ad aedes Cancellariae ita situm, ut utrinque affluentem Populum commodius possit excipere.

Sacellum hoc prius sub invocatione S. Simeonis a Reverendissimo Capitulo concessum fuit Venerabili Societati ejusdem Sanctissimi Corporis Christi, & quinque Plagarum anno MDI., ut testatur Camillus (x) Fanuccius in suis piis Operibus, cujus sodalitii studio, pietate, & religione singulari, mirum in modum in Christifidelium pectoribus aucta, & propagata est devotio, ac veneratio erga sanctissimum salutis nostrae pignus, quae visa primum fuerat non leviter elanguescere. Cum enim Eucharistia in aliquibus fenestellis in pariete instructis, una cum Sacro Infirmorum Oleo servaretur, inde aegrotantibus per Presbyterum solo Clero comitante deferebatur. Id vero praecipuae pietatis Sacerdos aegre ferens, quam plurimos Laicos, qui caeteros ad debitam reverentiam, & cultum Augustissi-

(x) *Fanucci dell' Opere pie di Roma lib. 3. cap. 16.*

ſtiſſimo Sacramento praeſtandum accenderent, aggregavit: Nec diverſimode quam exoptabat evenit: cum enim aegrotis Sanctiſſimum Viaticum deferretur, multi convenientes optimi Viri cum cereis fanalibus, nullum officium ad ejus cultum Populique pietatem excitandam praetermiſere. Quorum probitatis conſpicuae fama, ita brevi temporis intervallo per complures Orbis terrae partes evolavit, ut mirifice hujus Venerabilis Archiconfraternitatis inſtitutum fuerit propagatum; adeo ut uſque ex Hiſpaniarum Regnis Thereſia Enriquez Turigii Comitiſſa Alphonſi II. Caſtellae Regis abneptis cognomento apud Hiſpanos Sancta, ditiſſima, ac ſplendida in eam munera ſumma liberalitate contulerit; ingentique ſubſidio eidem ſodalitio extitit. Inter caetera vero, quae adhuc refulgent ornamenta Altaris, Tabernaculum ad Sanctiſſimam Euchariſtiam ſervandam eminet. Hujus clariſſimae, ac ſummae pietatis foeminae, noſtris quoque temporibus ſervatur memoria in tabula marmorea parieti inſerta, cujus haec verba:

D. O. M.

Illuſtris genere, ſinceraque fide, ac vera pietate illuſtrior Thereſia Enriquez Catholicae Hiſpaniae clarum Decus. Cui paternum, & jugale ſtemma tenditur, & refulget.

Hoc Sacellum honori Sacratiſſimae Euchariſtiae, cujus ardore flagrat religioſum pectus, ornavit, inſtruxit, ac dotavit anno ſal. MDVIII.

Extat etiam in marmorea tabula prope hoc Sacellum ſequens Inſcriptio:

D. O. M.
Vincentio Pinti Civi Romano
Luſitanae Chriſti militiae equiti
Inter Julii III. intimos Cubicularios
ob fidem, Candorem, & Fidium
pulſandarum praeſtantiam longe conſpicuo.
aetate provectiore duobus magnis

Alexandro Farnesio, & Montalto
aeque Carissimo.
Archiconfraternitas SS. Apostolorum
ex testamento Haeres P. C.
Vix. annos LXVI. menses V. dies XVI.
Obiit XV. Kal. Jan. MDCVIII.
Nec fidibus quisquam melior, nec moribus unquam
sic fidibus mores continuere sui.

De Vincentio Pinto Fidiceno loquitur Trajanus Boccalinus in suis Sermonibus de Parnasso in prima Centuria.

Opere musivo Sacellum hoc exornatum Cancellis marmoreis, aereisque mirabili artificio constructis, non tam picturis, quam sanctimoniae insignibus undequaque praefulget. Clauditur a gemino latere septo marmoreo cancellato cum duobus ostiolis, inter pilas, & balaustra aenea identidem inaurata, quibus super stant septem a fronte, & quinque a latere candelabra. Claustrum hoc cancellatum facile constructum est ante ducentos annos, quo nimirum fere tempore, multae liberales artes a Leonardo Vincio, Michaele Angelo Bonarota, Raphaele Urbinate, aliisque primi subsellii artificibus incrementa sumere incoeperunt. Super gemina ostiola haec leguntur insculpta verba: *Altare privilegiatum pro mortuis*. Frontem Altaris exornat Pater Divinus aulicis caelestibus coronatus expressis coloribus udo tectorio, auctore Francisco Salviati. Duplex ejusdem pictoris tabula ab utroque sacrae custodiae latere Christum Dominum discumbentem in Mensa, & in Horto orantem exhibet. Fornix hujus Sacelli in octo ovatis areolis ex marmorato opere inaurato, visendos offert quatuor Evangelistas, & totidem latinae Ecclesiae Doctores: in quatuor vero minoribus totidem apparent insignia sacri sodalitii ejusdem Sacelli, nimirum quinque Salvatoris nostri vulnera mediam recipientia effigiem calicis cum Ostia superstante. Universum hoc picturatum opus ex veteri, & recenti usu commixtum Petri Perusini retinet normam, & artificium. Quinque in eo

argen-

argenteae lampades, tres in honorem Sanctissimi Sacramenti; alia a latere Evangelii in Deiparae Virginis cultum, ante ejus Imaginem, ex dispositione Virgilii Camatelli, qui hanc societatem haeredem instituit; altera a latere Epistolae coram Imagine Divi Nicolai Tolentinatis perpetuo collucent. Quod inviolabiliter, ac maxima sedulitate, splendidius vero in solemnioribus Ecclesiae festivitatibus observatur. Recensitis enim lampadibus aliae superadduntur, quae cum facibus supra Altare appositis honorificentissimam Divinae Majestati in Terris coronam innectunt. Plurimis spiritualibus hoc Sacellum Romani Pontifices ditavere Thesauris, quorum summarium circumfertur impressum. Gregorius XIII. faustae recordationis illud decoravit Privilegio perpetuo pro Missis, quae inibi quotidie celebrantur per Cappellanos omnino viginti a Confraternitate delectos, ut videre est in literis marmoreo lapidi insculptis, quas hic referre consentaneum existimamus,

GREGORIUS PP. XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Salvatoris nostri Jesu Christi aeterno Patri consubstantialis, & coaeterni, qui pro redemptione generis humani de summo Caelorum Solio ad hujus Mundi infima descendere, & carnem nostram ex utero Virginis assumere dignatus est, vices, licet immeriti, gerentes in terris, & ejus exempla sectantes animabus Christifidelium in Purgatorio existentibus, quae per charitatem Deo unitae ab hac luce decesserunt, & piorum suffragiis juvari meruerunt, opportuna de thesauris Ecclesiae subsidia ministrare studemus, ut illae quantum Divinae Bonitati placuerit, adjutae ad Caelestem Patriam eo facilius pervenire valeant. De Divina igitur Misericordia confisi, tenore praesentium concedimus, ut quoties quicumque Sacerdos, sive Saecularis, sive Regularis Missam in Altari Societatis Sanctissimi Sacramenti sito in Ecclesia S. Laurentii in Damaso de Urbe pro liberatione unius Animae in Purgatorio existentis celebraverint, ipsa Anima per hujusmodi celebrationem, easdem indulgentias, & peccatorum remissionem consequatur, & ad ipsius celebrationem, pro quo celebrabitur dicta Missa, operetur,

quas consequeretur, & operaretur, si praedictus Sacerdos hac de caussa Missam ad Altare in Ecclesia S. Gregorii de Urbe ad id deputatum celebraret; non obstan. &c. nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die IIII. Aprilis MDLXXVI. Pont. Nostri Anno quarto.

Ne quid vero ad ejusdem Sacelli magnificentiam, ornatumque deesset, complures illud S.R.E. Cardinales Vicecancellarii, ac S. Laurentii in Damaso Titulares decoravere reliquiis. Inter quos singulariter eminet Alexander Cardinalis Farnesius olim celeberrimi Monasteri SS. Vincentii, & Anastasii, ad aquas salvias Abbas commendatarius, qui reliquias SS. Simonis, & Judae ex dictae suae Abbatiae Templo in hoc Sacellum translatas in decenti forma collocavit. Quotannis in festo SS. Simonis, & Judae recolitur dies dedicationis ejusdem Altaris, ubi a Reverendissimis Canonicis, totoque Clero sacrum solemniter celebratur. Sacris hoc Sacellum, ac pretiosis suppellectilibus, candelabrisque argenteis exornatur, quae omnia in proprio ejusdem Sacrario in selectis, decentibusque armariis a peculiari suo sacrorum Praefecto duobus cum Clericis, societatis sumtibus educatis custodiuntur. Subest concameratum coemeterium, in quo Confratres pariter, & Sorores seorsum tumulantur. Ubique nitor, atque munditia praefulgent; quod Venerabilis ejusdem Archiconfraternitatis vigilantiae, ac religioni est tribuendum; quae semper in pietatis operibus se exercet, in orationibus assidua, in aegenos liberalis, erga aegrotos sedula, in puellas, quibus quolibet anno Feria quarta post Solemnitatem Sanctissimi Corporis Christi dotes impertitur beneficentissima; eodem die maxima pompa, & interventu Cardinalium, Praesulum, ac Equitum per longum ambitum processionaliter circumfertur a nostris Canonicis Venerabilis Eucharistia, eaque praesertim occasione mirum in modum elucet liberalis, atque devota magnificentia Eminentissimi Titularis Societatis vigilantissimi Protectoris. Quo-

Quolibet pariter ſecundo die Dominico cujuſque menſis poſt ſacrum ſolemniter a Canonicis celebratum in eodem Altari publicae adorationi exponitur Sanctiſſimum Sacramentum, ac per Templi circuitum, magna Populi, & Confratrum frequentia Proceſſio peragitur: ſingulis quoque quintis Feriis conſuevit expoſitio Venerabilis Sacramenti ex onere Petri Caroli Cappelletti Patritii Reatini, cujus memoriam in marmorea tabula prope idem Sacellum inſculptam hic deſcribimus.

D. O. M.

Hoc in Sacello Archiconfraternitatis Sanctiſſimi
Sacramenti, & Quinque Plagarum Domini Noſtri Jeſu Chriſti ex Indulto Innocentii XI.
Pont. Max. per ſuas in forma Brevis,
die XXX. Septembris MDCLXXXVIII.
expeditas literas in perpetuum conceſſo, &
a Gaſpare S. R. E. Presbytero Cardinali Carpinio Urbis Vicario executioni demandato,
ſingulis quintis feriis cujuslibet hebdomadae per
ſpatium unius horae Sacroſanctum Eucbariſtiae
Sacramentum Chriſtifidelium venerationi pie
exponitur. Scutis mille a Petro Carolo Cappelletto
ex Dominis Belvederii Patritio Reatino
dictae Archiconfraternitatis Priore
In tot locis montium Camerae Apoſtolicae
non vacabilium, adjecto perenni pii operis
hujuſmodi onere, per eamdem Archiconfraternitatem rite acceptato liberaliter collatis,
prout apparet ex Tabulis deſuper confectis per
Vincentium Octavianum dicti Vicarii Urbis
Notarium die VII. Octobris Anno MDCLXXXVIII.
Eadem Archiconfraternitas nè tantae Beneficentiae
memoria exoleſceret.
Grata poſuit
Et anniverſarium pro Anima D. Petri Caroli

poſt

post ejus obitum in perpetuum celebrandum statuit Anno Domini MDCLXXXIX.

Societati incumbit onus quolibet anno feria quinta in Coena Domini memoriam Sepulchri Redemptoris nostri repraesentandi: singulis quoque diebus Dominicis, & Festis Confratres vestibus albis quinque Plagarum, & Spineae coronae stemmate induti ad Officium Beatae Virginis psallendum in suo Sacrario, vulgo Oratorio posito prope plateam Cancellariae in vico nuncupato *dell' Aquila* conveniunt: ubi etiam ad negotia gerenda, & ad computa, administrationisque reddita reddituum, & mansionum, quas possidet expendenda congregantur. Anno 1508. a Julio II. confirmationem suorum statutorum obtinuit; tunc memoratum Oratorium excitatum; ac demum vetustate collapsum anno 1620. restauratum fuit. Non equidem relata tantum, sed quamplura alia eadem Societas exercet pietatis opera, quae brevitatis gratia omittimus. Hujus autem Societatis Sacellum, sic ut supra descriptum, post completam praesentis Capitis exarationem, recolendae semper memoriae Petrus Cardinalis Otthobonus usque, & ab anno 1739. propriae morem gerens pietati in nobiliorem formam renovandum suscepit; quapropter elegantiori ex multis praeelecto modulo, veteri demolito, aliud Sacellum marmoribus, picturis, ac Tabernaculo ex aere inaurato mirifice elaborato, pretiosum magnificentissime excitavit, novumque erectum Altare nonis Augusti ejusdem solemni ritu inauguravit, inclusis in eo Sanctorum Laurentii, Hyppoliti Portuensis Episcopi, Johannis, & Pauli Martyris, SS. Damasi Papae, Benedicti Abbatis, Laurentii Justiniani, Philippi Nerii, & Petri Urseoli Confessorum Reliquiis. Nec sola ipse Cardinalis contentus aedificii mole pretiosis etiam supellectilibus locupletavit, quae & eidem Societati liberali attribuit dono, prout ex Inscriptione marmori incisa ibidem existente abunde colligitur.

Deo uni, & Trino, & Sanctissimo Eucharistiae Sacramento. Petrus Episcopus Portuensis Card.

Ottbo-

Ottbobonus S. R. E. V. Cancellarius, & bujus Basilicae perpetuus Commendatarius boc Altare propriis sumptibus a fundamentis erectum. Nonis Augusti An. Dñi 1736. solemni ritu dedicavit, ipsaque die, & anniversaria idem invisentibus plenariam peccatorum Indulgentiam ex Indulto Apostolico acquirendam concessit.

CAPUT XV.

De Sacellis a sinistra Basilicae parte, ubi de ejusdem Sacrariis, & donariis.

AB alio latere, nempe sub navi ad sinistram Arae maximae quatuor conspiciuntur Cappellae, quarum prima in fronte posita Sanctis Michaeli Archangelo, & Andreae Apostolo dicata est: Horum Imagines ex opere anaglypho Aram nobilitant. A lateribus tabulae SS. Martyres Maurum, & Bonum, Martius Colantonii coloravit udo tectorio. Super Arae tabulam in medio Deipara coronata visitur cum figuris SS. Petri, & Pauli a Petro Perusino depicta; sub Altari lapideo jacent, ut superius recensetur, Sanctorum Boni Presbyteri, Mauri Martyris, & Sociorum sacri cineres. Sacellum hoc Lucentius de Cosseriis, reservato sibi Jure patronatus, exornavit, ut marmorea tabula, quae pedibus trita nunc legi non potest testimonium perhibuit: Ornatum siquidem ejusdem Sacelli ab eodem curatum fuisse conjicitur ex brevi Inscriptione, quae ad calcem praefatarum Imaginum in haec verba legitur.

Lucentius Coss. Subd. Apost. templique
H. Antistes D. Mich. Arch. & Andr.
Apost. S. AE. dotavit, instruxit, dicavit.
Ann. S. MDII.

In ejusdem Sacelli lithostroto gentis de Cosseriis sepulchrum visi-

visitur, atque Missae tres privatae qualibet hebdomada in hoc Altare pro Animabus Johannis Hieronymi Cosserii, Marci Antonii, & Olimpiae, ejusque de Familia proximiorum perpetuo celebrantur, ex annuo aureorum quinquaginta pio Legato, ab ejus haeredibus solvendo, veluti ex tabula onerum Missarum constat.

Post praefatum Sacellum Capituli Sacrarium collocatum est; observatione dignum videtur in hac Basilica tres Sacristias reperiri, quarum quaelibet sufficientibus ad Ecclesiastica obeunda munera sacris Ministris, nec non opulentis suppellectilibus, argenteisque vasis instructa est. De duabus nempe Societatis Sanctissimae Conceptionis, & Archiconfraternitatis Sanctissimi Corporis Christi jam sermonem habuimus juxta earum materialem collocationem. Haec vero Capituli Sacristia pulcherrimis decorata nuceis armariis optimo artificio elaboratis ad sacram suppellectilem, qua opulenter, & pretiose referta est, servandam conspicitur. Ibidem etiam sunt alia armaria pariter ex nuce, Canonicis, & Beneficiatis inservientia, sumtibus Sacristiae partim confecta, partimque ex Juliani Canonici Bonerii pio Legato, cujus elogium prope Arae maximae cancellos positum, in haec verba legitur:

D. O. M.

Julianus Bonerius Venetiarum Civis J. U. D. Protbonot. Apostolicus, ac trium Monasteriorum S. Stephani Spalaten. in Regno Dalmatiae, & Sancti Columbani de Bartolino in Dioecesi Veronensi Abbas Commendatarius, & Prior Insignis Collegiatae Sancti Martini Plebis Sacci Patavinae Dioecesis olim Archidiaconus, & hujus Insignis Basilicae beneficio Petri Cardinalis Ottboboni Patroni S. R. E. Vicecancell. nunc Canonicus, & praeteritis annis Aeconomus; Vir in Curia Romana per quinquaginta annos versatus, & primum apud Venetos Oratores in negotiis agendis, & pluribus S. R. E. Cardi-

nali-

nalibus, ac praesertim Alex. VIII. Pont. Max.
usque dum Sacrae Rotae, & postea Cardinalatus
honore fungebatur benevolo animo acceptus,
Cujus ex Germano Fratre Nepotum Antonii, & Marci
S. R. E. terra, marique Ducum generalium Cubiculi
Praefecturam exercuit ingravescente aetate, &
novissimum diem meditans, hunc tumulum adhuc
vivens sibi parat usque ad diem tremendae rationis.
Aetatis anno LXXI. Mense Decembris
Sedente Clemente XI. anno Pontif. II.

Huic Sacrario famulatur alia paullo minor Sacristia ad peculiarem Canonicorum usum, ubi ab iisdem conficitur sacrum. In eadem honorifice, ac eo quo decet, cultu quamplures sacrae Reliquiae asservantur.

Haec plurimis locupletatur muneribus ab amplissimorum Titularium munificentia traditis. Inter alia, quae in hoc Sacrario praefulgent, sequentium Eminentissimorum perennes quidem memoriae, & non vulgatae magnificentiae recensentur. In primis Alexander Farnesius praeter commemoratas Ecclesiae picturas, ac laqueare varia dona argentea, praecipue quatuor candelabra non vulgaris artificii, ac magnitudinis, & sacram quamplurimam suppellectilem contulit.

Alexander Montaltus & ipse pluribus donis ditavit: praeter enim Collegium Confessariorum, de quo infra, crucem argenteam ponderis librarum 72. artificio, & peritia Opificis perinsignem, quae inter excellentiora totius Urbis opera, communi existimatione habetur, nec non sacros, & pretiosos ornatus impertivit.

Ludovicus Cardinalis Ludovisius plurimum Sacristiae profuit; siquidem ex multis ab ipso oblatis usque nunc asservantur quatuor argentea candelabra, ac Arae maximae frontale primum in Urbe ex argento confectum, quod uti exemplum venerandae antiquitatis Petrus Cardinalis Otthobonus conspicuo sumptu reparavit.

Franciscus postea Cardinalis Barberinus ciborium argenteum non contemnendae magnitudinis ad Sanctissimum Christi Corpus Fidelium venerationi exponendum ponderis librarum nonaginta Ecclesiae dono tradidit, calicem quoque aureum, una cum sua aurea patena ponderis duarum librarum, nec non duas argenteas statuas; alteram S. Laurentii, in qua interius detinetur ampulla vitrea pinguedinis simul cum carbonibus submissis Sanctissimo Martyri; & alteram Sancti Pontificis Damasi partem cruris continentem; quarum quaelibet pondus sexaginta librarum attingit. Plura insuper alia dona argentea, ac sacras, & pretiosas suppellectiles largitus est.

Demum Petrus Cardinalis Otthobonus, quid non contulit ad ornatum hujus Basilicae? Sex quippe mirae magnitudinis argentea candelabra, vulgo nuncupata *fanali* ponderis librarum nonaginta, quae in solemnioribus festivitatibus, & ad majorem Sanctissimae Eucharistiae cultum in processionibus adhibentur: Tentorium hastatum ex auro textili pretiosissimo, ad ejusdem Sanctissimi Sacramenti ornatum, & tutelam: complura tandem magnifica sacra ornamenta elargitus est, quae hic ommittere satius duximus, ne longius protrahatur oratio. Verum non modo ordinis olim nostri, caetusque honor, & ad summum fastigium evecta gloria, sed aequitas, & recta ratio postulant, ut si non dignam operum, & beneficiorum amplitudine aliquam saltem Posteritati memoriam, atque testificationem relinquamus eximiae munificentiae Clementis XI., ex quo summa, & clarissima honestamenta, ac munerum accessiones in hanc Basilicam redundarunt, hoc ipso titulo quammaxime conspicuam, quod ejusdem per decem, & octo annos Canonicus fuerit. Ad Pontificatus enim apicem evectus, atque ad gloriae verticem ductus, statim omnes sacras suppellectiles, quibus dum sacra Purpura induebatur, usus est, huic Basilicae tanquam perpetui sui in eam amoris pignora, & argumenta consecravit. At si innumera ab eo huic Templo collata beneficia singillatim enarranda susciperem, nunquam tot, tantisque prome-

me-

meritis parem orationem possem invenire. Haec summopere conspicuam hanc reddunt Basilicam; honore tamen, ac decore magis, magisque augeretur, si sacris illis, quas in infanda Urbis direptione amisit, ditaretur Reliquiis. Quae nunc supersunt summa veneratione in interiori ad usum Canonicorum sacrario servantur.

Ditatur insuper hoc Basilicae sacrarium multis piis Legatis a quampluribus Canonicis, aliisque Religiosis, ac nobilibus Viris relictis, conspicua praecipue vinea in agro Villae Marianae a pio Praesule Marco Paulo Thyerrii hujus Basilicae olim Canonico, cui ob grati animi obsequium Capitulum ante Arae maximae cancellos sequens in lapide incisum Elogium apposuit.

D. O. M.
Marco Paulo Thyerrii V. S. R. literarum Apostolicarum Correctori, & quadraginta annorum spatio, Insignis hujus Basilicae S. Laurentii in Damaso probae famae Canonico, quod ejusdem Templi Sacrarium sua haereditate donaverit cum onere duorum in singulas hebdomades Sacrorum; hoc pergrati animi monumentum suo Pio Benefactori concordi suffragio Collegae Canonici PP. Obiit IV. Idus Majas anno MDCXCIV.

Johannes Pasqua Canonicus similiter haeredem proprietariam hanc Sacristiam instituit, usufructuario tamen D. Tranquillo Pizzuti relicto, adjectoque onere post hujus decessum erigendi quatuor Cappellanias, singulae quarum annuum aureorum triginta redditum obtineant, obligatione vero missarum 180. imposita. Praefatas Cappellanias Clericis Choristis Reverendissimi Capituli ad nutum amovibilibus conferri decrevit, & reliquum haereditatis in Sacrarii beneficium impendi. Dubium attamen nimis redditur aes haereditarium propter litium pendentiam cum Monialibus S. Susannae, unde quid liberum remansurum sit, & an pia Testatoris intentio effectum aliquando sortiatur, ignoramus.

His breviter de Sacrario elucubratis, ad sequentia Sacella juxta materialem ordinem incoeptum progrediamur.

Sub hac navi post ostium praenarrati Sacrarii sequitur Cappella D. Carolo Borromeo Mediolanensi Archiepiscopo dicata, cancellis subter marmoreis, ferreis vero desuper circumsepta. Sancti Caroli simulacrum marmoreo loculamento locatum super Ara inter binas columnas lutei marmoris Corinthiae Architecturae opus esse Stephani Maderni alii arbitrantur, alii vero opus egregium Ambrogini insignis illorum temporum statuarii. Recipit ea structura superliminare cum fronte marmorea acuminata. Ara est lapidea, quam erexit, ornavit, dotavitque Caesar Melotus Mutinensis Cardinalis Montalti a secretis, & hujus Basilicae olim Canonicus, a quo ex Hispano idiomate in Italicum fuit translatus liber, cui titulus: *Esercizj Spirituali dell' eccellenza, utilità, e necessità dell' orazione - mentale ridotti a Dottrina, e Meditazioni, cavati da' Santi Padri, e Dottori della Chiesa dal P. Antonio de Molina Monaco della Certosa di Miraflores:* ac Mediolani Typis impressus anno 1634. Extat insuper in ejusdem Sacelli latere dextro de eodem Caesare Meloto marmori insculpta sequens Inscriptio:

D. O. M.

Caesar Melotus hujus S. Templi Canonicus, se, & suos
memoriae RR. Sacerdotum in hoc Altare Missarum
solemnia celebran. commendans. Idem Altare a se
in honorem S. Caroli erectum a R. P. D. Episcopo
Salonien. anno Dñi MDCXVI. Die IV. Novem-
bris rite consecratum dotavit testamento, quod con-
signatum, & a Bernardo Gargario tab. pub. exce-
ptum in Archivio Cap. asservan. reposuit.
Anno MDCXXVIII. aetatis suae LXXI.

In hoc Altari pro Animabus memorati Caesaris Canonici Meloti, ejusque proximiorum, & Benefactorum Missa una privata de Requiem qualibet hebdomada per Cappellanum a Reverendissimo Capitulo deputandum celebratur: singulis quo-

que

que Dominicis, & festis diebus de praecepto Missa una perpetua juxta ejus intentionem. Alia autem Missa pro refrigerio animae ejusdem ad Altare Privilegiatum, quae onera ex Tabella in Sacrario Capituli asservata accepimus.

Post praefatum D. Caroli Borromei Sacellum antiquitus sequebantur tria alia Sacella de Jure patronatus trium nobilium Romae Familiarum, quorum primum sub Invocatione Beatae Mariae Virginis de Familia Gallorum, secundum sub titulo Sanctissimi Crucifixi de Familia de Maximis, & tertium D. Nicolai, ac Catherinae de Familia de Picchis nuncupabantur. Verum quia valde sibi cohaerebant in Visitatione fel. rec. Clementis VIII. decretum fuit, ut simul conjungerentur: condomini tamen sua jura adhuc retinent, & distinguuntur tum ex triplici arcu, tum ex Inscriptionibus ibi insculptis, quas subjicimus. Prima Familiae de Gallis in lapide marmoreo apposita a latere Evangelii cernitur in haec verba:

Juliano Gallo Romano omnibus Civitatis honoribus functo, qui hoc pietatis Sacellum sua pecunia erectum, ara, picturis, pavimentoque ornavit, annuoque proventu, quo perpetuus alatur Sacerdos adauxit. Jacobus Gallus Patri benemerenti fecit. Vixit ann. LII. mens. VII. Obiit X. Septembris MCCCCLXXXVIII.

Arcus medius Sacellum de Maximis indicat, in quo etsi nullam habeamus Epigraphem, adest tamen Familiae sepulchrum, quod olim quidem conspicuum, nunc ligneo pavimento absconditur.

Tertius demum arcus Sacellum de Picchis exhibet, a latere Epistolae, extat sequens Inscriptio in Tabula marmorea triplicitatem Cappellarum indicans.

Tripartitum antea Sacellum, deinde Clementis VIII. jussu in hanc amplitudinem expeditum, Ceccolus de Picchis Ara B. M. V. Sanctisque Nicolao, & Catherinae prope ejusdem Familiae sepulchrum dicata, annuis redditibus assignatis, & Jurepatronatus instituto decoravit anno MCCCCXXXXIV.

Dominicus Senior muneribus, & oneribus auxit, ut trinas Missas pro

pro eorum, & praedefunctorum Anima qualibet hebdomada in perpetuum a Cappellano per eum praesentato, & per suos successores pro tempore praesentando in dicto Sacello celebrentur anno MDLXXVI.

Dominicus Junior pro aliis Sacris quotidie celebrandis alios redditus addixit anno MDCIV.

Silvester tandem ejus filius marmoreos cancellos extruxit, ac Patris testamento hoc gentilitiae pietatis monumentum ad perpetuam rei memoriam fieri curavit anno MDCX.

Dicatum Redemptori nostro in Cruce pendenti est hoc Sacellum, atque pro Icone, habet effigiem Sanctissimi Crucifixi ligneam, summa in veneratione habitam, de qua late superius sermonem fecimus, loquendo de Domunculis Ecclesiae contiguis, ubi Sancta Birgitta diu domicilium habuit. Ara est tota marmorea, & in conspectu perpetuo lampas in honorem Sanctissimi Crucifixi collucet. Privilegiatum est hoc Altare tribus hebdomadae diebus, scilicet feriis secunda, quarta, & sesta. Plures Cappellaniae, & Missarum onera in hac Cappella reperiuntur, nempe Missa una perpetua quotidie celebranda pro Anima Dominici de Picchis a Presbytero ab haeredibus dicti Dominici eligendo, veluti ex ejus testamento colligitur.

Pro Anima Magdalenae Picchiae de Petroniis Missae quatuor privatae de Requiem perpetuo qualibet hebdomada celebrandae.

Pro Anima Virginiae Columnae de Maximis qualibet hebdomada Missa una perpetua.

Pro Animabus Francisci Galli, & ejus Consanguineorum Missae tot perpetuae in hoc Altari, quot ex fructibus duorum locorum montium cum dimidio celebrari possunt, habita ratione manualis eleemosinae.

Pro Anima Ascanii Mandosii Missa una perpetua quolibet mense sumtibus illorum de Mandosiis.

Pro Anima Martiae Cornettae Missae decem perpetuae diebus in anno ad libitum: quae sunt onera huic Cappellae adjecta,

jecta, veluti eruere nobis licuit ex tabulis in Reverendissimi Capituli Sacrario asservatis.

E conspectu Sanctissimae imaginis Redemptoris, collocatum existit gloriosae Sanctae Birgittae simulacrum flexis genibus Sanctissimum Crucifixum adorantis. Devotus ibi Clerus non vulgari pietate diebus ferialibus officia sacra pangit. Quacumque vero feria sexta Icon haec venerabilis detegitur, qua die in honorem ejusdem sex cerei incessanter ardent, ut eo magis accensa Populi pietas majori veneratione illam prosequatur.

Duobus ab hinc annis integrum hoc Sacellum a piissimis hujus Basilicae Canonicis nobiliter restauratum, atque exornatum fuit, refecta pariter quadrata coronide cum christallo, ut Christi in Cruce pendentis effigies, clara miraculis, decentius asservaretur.

Feria sexta in Parasceve sacrum Anniversarium mortis Christi Domini solemni ritu, atque lugubri, & magnifico apparatu, nec non cereorum fanalium pompa celebratur.

Hujus sacrae effigiei ad calcem adest imago Deiparae Virginis de Gemmis, a Populo nuncupata *delle Gioje*, a Nicolao Pomaranci depicta, atque ex constantissima traditione accepimus Beatissimam Virginem precibus ante hanc imaginem eidem porrectis, plures, easque eximias gratias a Deo se deprecantibus obtinuisse, & idcirco summa veneratione colitur. Pro ejusdem dote aliqui tenues exiguntur redditus, quibus additis subsidiis gratuitò quotannis a Capitulo attributis solemni cultu Dominica infra Octavam Assumptionis gloriosissimae Virginis, ejus festivitas celebratur: ejusque imagines typis formatae cura, & sedulitate praecipue Cappellanorum in Choro psallentium distribuuntur.

Ad hoc Sacellum ab Alexandro VII. translatum fuit simplex Beneficium sub titulo Sanctissimi Salvatoris olim erectum in Ecclesia ejusdem Sanctissimi Salvatoris in Judeorum foro redditus annui aureorum 200. Dum haec scriberem Rector hujus Beneficii erat Cardinalis Joannes Dominicus Paraccianus Almae

Urbis

Urbis Vicarius, Princeps Ecclesiasticis Praefecturis summa cum laude obitis, singulari integritate, doctrinaque clarissimus, cui me multorum beneficiorum nomine, magnopere obstrictum profiteor. Translatio dicti beneficii Rectoria nuncupati ad hanc Basilicam constat ex lapide prope Januam vocatam *de Liutari*, posito.

Alexandri VII. Pont. Opt. max. Indulto in forma
Brevis XIII. Februarii MDCLVIII.
expedito illoque per Vicegerentem Card. Vicarii
penes acta Sirmii, ejus Notarii V. Aprilis ejusdem anni
executioni mandato, Ecclesia S. Salvatoris in Judaeo-
rum Platea olim existens, justis de causis propbanata
remansit, ejusque simplex Beneficium Rectoria nun-
cupatum in banc S. Laurentii in Damaso Ecclesiam
ejus Matricem traslatum fuit, consentientibus
bujus ipsius Ecclesiae Cardinali Titulari dicti bene-
ficii ordinario collatore, atque Capitulo, cujus
Decreto idem Beneficium Sacello SSmi Crucifixi
adnexum fuit; quorum omnium, ut perpetuum
extaret monumentum, Carolus S. Caesarii Diaconus
Card. Barberinus translati beneficii Rector lapidem
bunc ad praescriptum Apostolici indulti poni mandavit.
anno Dñi MDCLIX.

In eo spatio, quod interjacet cancellis Sanctissimi Crucifixi, de quo modo sermonem habuimus, & Sacellum Divo Nicolao Barensi dicatum, de quo superest dicendum, aperitur aditus ad hanc Basilicam per ostium in via respondens nuncupata *de Liutari*. In porticu conspicitur a parte superiori literis amplissimis lapidi insculptis *Coemeterium*, in quod per gradus valde commodos facilis descensus habetur: E prospectu Altare erectum cum columna, quae ferreae Crucis est fundamentum, visitur, recte hinc inde cadaverum ossibus collocatis, & quatuor fenestrae huic Coemeterio latitudine, longitudineque satis amplo lumen impertiunt. Quamplures insuper in hoc nostro

noſtro Templo inveniuntur Sepulturae, ubi juxta ritum Eccleſiaſticum Sacerdotes, Viri, Pueri, & Mulieres ſeorſim tumulantur. Peculiaria praeterea Virorum illuſtrium ſepulchra elegantibus decorata elogiis videntur, quorum clariora hic recenſeri gratum fore exiſtimamus, ut honor, & decus huic Inſigni Baſilicae praeclariſſimis eorum memoriis augeatur. Primum ſequens exhibetur.

D. O. M.

Chriſtiano Ulſet S. R. I. Comiti
hujus Baſilicae Canonico Presbitero
generis claritudine inter Danos praefulgenti
ipſiſque Regibus per matrem conjuncto
Chriſtinae Alexandrae.
Svecorum Reginae incomparabili
inter primi Ordinis Aulicos
acceptiſſimo
Pietate in Deum
Zelo in Catholicam Religionem,
cui Fratres, & Sororem Lutherianae haereſi
ereptos, adduxit, & aſſeruit
Cultu in parentes
Charitate in propinquos, & cives
Fide in amicos
Humanitate in univerſos
Spectatiſſimo, probatiſſimo.
Uladislaus Conſtantinus Vaſa Comes de Vaſno
Executor teſtamentarius amico cariſſimo P. C.
Obiit anno R. S. MDCLXXXVIII.
aetatis ſuae LV.

In duabus ultimis paraſtadibus mediae ante Aram maximam navis ſequentes Julii Sadoleti, Georgii Conei, & Annibalis Cari Virorum eruditione, ingenio, & doctrina praeſtantium leguntur Epigraphes.

Deo Imm. S.
Pietati, & memoriae Julii Sadoleti
Sacerdotis Laurentiani de Collegio Canonicorum
Graecis, & Latinis literis singulariter eruditi
omnibus optimis, & disciplinis, & moribus
ita ornati
ut ejus ingenium, comitatem, liberalitatem,
& ante annos prudentiam
nulla aequare satis posset admiratio.
Jacobus Sadoletus Fratri concordiss.
& spe de eo maxima orbatus
multis cum lacrymis posuit
vixit annos XXVII.

D. O. M.
Georgio Coneo Scoto Aberdonensi
Patritii Domini de Acbry ex antiqua Magdonaldi
familia, & Isabellae Cbyn ex Baronibus de
Esselmont, qui inter conterraneos eloquentia, &
Doctrina Duaci, & Romae haustis librisque additis,
immortalitati se commendavit. Prudentia vero, &
agendi dexteritate summorum Principum, ac prae-
sertim Cardinalis Barberini, in cujus aula diu
vixit, cujusque legationes Gallicanam, Hispani-
camque secutus est benevolentiam promeruit,
quem Urbanus VIII. Pontifex Ingeniorum maximus
existimator, quanti fecerit, & ad magnae Britan-
niae Reginam Henricbettam in Catbolicorum solamen
allegatione, & ingenti ipsius morte, quae in editiori
loco positus clarius elucesceret, vetuerat, moerore
testatus est. Obiit die X. Januarii anno MDCXL.
in Aedibus Vicecancellarii, qui faciendum curavit,
& monumentum.

Hoc tibi elogium, Lector, ut in Lapide incisum visitur, licet artificis, ut apparet, incuria vitiatum representavi. *D. O. M.*

D. O. M.
Annibali Caro Equiti Hierofolimitano
Omnis liberalis doctrinae
Poeticae in primis, Oratoriaeque facultatis
praeftantia excellenti
Petro Aloyfio Parmenfium Duci
Et Alexandro Cardinali Farnefiis
ob fpectatam in confiliis dandis,
Epiftolifque fcribendis
Fidem, atque Prudentiam
Suis vero, aliifque omnibus ob fingularem
probitatem, ac beneficentiam Chariffimo
Vixit ann. LIX. menf. V. dies XII.
Joannes, & Fabius Cari fratri optimo
Joannes Baptifta patruo benemerenti pof.
Obiit XV. Kal. Decembris MDLXVI.

Infcriptionem hanc maxime commendat marmoreus ornatus, & caput in primis ipfum Annibalem Carum exibens, quod propter eximiam fculptoris induftriam magno apud omnes in pretio eft. Multis hic Annibal praeditus virtutibus longe inter caeteros effloruit, & praecipue in Epiftolis fcribendis, ac in foluta, & vincta numeris oratione nulli fecundus; quamplures lepidos libros traduxit, plerofque alios dedit in lucem. Quapropter magnorum fibi Principum gratiam, literifque eruditorum familiaritatem conciliavit.

His quoad Sepulchra, & Coemeterium abfolutis, ad ultimam tandem, quae fequitur poft Sacellum Sanctiffimi Crucifixi, Cappellam fupra idem Coemeterium collocatam progrediamur. Haec fub invocatione S. Nicolai olim a Capitulo conceffa fuit, Confraternitati nationis Lotharingiorum, quae diu eam obtinuit. Sed comparata fibi ab iifdem Lotharingis integra Ecclefia, hodie S. Nicolai in Agone nuncupata, in poteftatem Capituli iterum rediit. Noviffime vero a Canonicis Eminentiffimi Titularis praevia approbatione D. Johanni Baptiftae Marchioni

Gauccio Asculano, ejusque Successoribus concessa fuit. Hic jam Sacellum praenobili Altari ad urnae speciem pretiosis marmoribus composito exornavit, ac tabulam quadrata margine ex antiquo lapide flavo, non modico sumtu perfecit.

Vix autem nostram hanc Basilicam in Commendam obtinuit Eminentissimus Cardinalis Thomas Ruffus, cum ipsius Ecclesiae decori, & ornatui prospiciens hujusmodi Cappellam a DD. de Gauccis impetravit, eamque in elegantiorem, ditioremque formam redigendam assumpsit, jamque ingenti sumtu, religiosaque munificentia ante hujus Nostri Operis editionem marmoribus, & picturis ornatissimam reddidit absolutam; ejusque Aram Sanctissimus D. N. Benedictus Papa XIV. Indulgentiis etiam concessis solemni ritu consecravit, appositam proinde ejusdem Eminentissimi Commendatarii jussu in marmorea tabula hujus Consecrationis memoriam hic referendam curavimus.

Sacelli bujus
Religione magis quam mole Augusti
a Thoma Cardinali Ruffo
Episcopo Ostiensi, & Veliterno Sacri Collegii Decano
S. R. E. Vicecancellario, perpetuoque bujus Basilicae Commendatario
Excitati, extructi, ornati
Aram
SS. D. N. Benedictus XIV.
Pro sua in Divos pietate, in Homines bumanitate
Consecravit
Ipsamque visitantibus in die Consecrationis Plenariam
In Anniversaria vero quinquaginta Annorum
& totidem Quadragenarum
Indulgentiam concessit
Prid. Id. Decembris Repar. Sal. An. MDCCXLIII.

Sepulchrum pariter pientissimus iste Princeps hic sibi paravit hujusmodi superinscripta Epigraphe, qua tanti Viri humilitas, modestia, religio in tardiores usque aetates concelebrandae comprobantur.

D.

D. O. M.
Thomas Cardinalis Ruffus
Episcopus Ostiensis, & Veliternus
Sacri Collegii Decanus
Et S. R. E. Vicecancellarius
Mortis memor
Vivens sibi posuit.

Ex hoc vero noviter extructo Sacello, utpote e conspectu alterius Sanctissimi Sacramenti a Cardinali Otthobono erecti nostra haec Ecclesia apprime conspicitur decorata, & ampliora in dies ab eximia hujus Eminentissimi Commendatarii pietate, & liberalitate sibi pollicetur beneficia. Erecta super hujus Sacelli fornicem Turris Campanaria cum tribus perantiquis, ac insignibus Campanis visitur, quam mirae magnitudinis, ac praestantis opificii Horologium communi usui, & publicae commoditati additum exornat.

Absoluta hujus nostrae Basilicae ea qua fieri potest majori sedulitate, ac brevitate materiali descriptione, antequam de formali, nempe de Clero, qui optimis legibus, & institutis temperatus ejusdem Basilicae culturae inservit, differamus, id non est ommittendum, singulare scilicet eidem Basilicae a S. M. Clementis XII. attributum Privilegium, quo cunctis Christifidelibus hanc Ecclesiam toties, quoties devote visitantibus, plenariam Indulgentiam, peccatorumque remissionem elargitur. Tenor autem ejusdem Privilegii est prout sequitur.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

AD perpetuam rei memoriam. Universalis Ecclesiae regimini per ineffabilem dispositionis providentiam, licet immerito, praepositi, illud praesertim mentis nostrae curas excitat, ut insignes Almae Urbis nostrae Ecclesiae peculiaribus effulgeant privilegiis, & ut Sanctis, qui Gloriae Dei participes existunt in Caelis, in Terris etiam a Christifidelibus in Ecclesiis ipsis, in quibus eorum Reliquiae decenter custodiuntur, debitus

exbi-

exhibeatur cultus per spiritualem donorum largitionem, quantum cum Domino possumus procurare studemus, eoque magis cum S. R. E. Cardinalium pia liberalitas intercedit. Cum itaque sicut accepimus Venerabilis Frater noster Petrus Episcopus Portuensis Cardinalis Ottbobonus nuncupatus ejusdem S. R. E. Vicecancellarius eximia, qua pollet in Deum pietate, & peculiari erga Sanctum Hyppolitum Episcopum Portuensem, & Martyrem suum in Ecclesiae Portuensis regimine Praedecessorem veneratione adauctus magnificentissimum eidem S. Hyppolito Sacellum, & Altare in confessione saecularis, & insignis Collegiatae Ecclesiae Basilicae nuncupatae S. Laurentii in Damaso nuncupati de eadem Urbe, qua titulus, seu denominatio pro temporis existen. S. R. E. Cardinalis Vicecancellarii, & cujus ipse Petrus Episcopus Cardinalis, & Vicecancellarius perpetuus Commendatarius existit, propriis sumptibus construi, & ornari fecerit, inibique sacras ejusdem S. Hyppoliti Reliquias, quae jamdiu de Portuensi Ecclesia, ne Saracenorum incursionibus, quae maxime S. Leonis Papae IV. Praedecessoris nostri temporibus ingruebant, subjacerent Romam adductas, & in Ecclesia S. Joannis Colabyte nuncupatae de eadem Urbe, prout etiam accepimus, fuerant collocata, ut eisdem honorificentior cultus, & veneratio augeatur, diligenti, & matura recognitione de mandato nostro earumdem Sacrarum Reliquiarum per dilectum filium nostrum Joannem Antonium Tituli S. Martini in Montibus nuncupati praedictae S. R. E. Cardinalis Guadagni nostrum in Urbe praedicta, ejusque districta Vicarium in Spiritualibus Generalem facta transferri, & collocari curaverit, dictumque Sacellum idem Petrus Episcopus Cardinalis Vicecancellarius solemni pompa, & ritu externa die Conceptioni Beatae Mariae Virginis Immaculatae dicata consecraverit, eamdemque Collegiatam Ecclesiam, ejusque Altaria non modicis sumptibus ornaverit. Nos ejusdem Petri Episcopi Cardinalis, & Vicecancellarii pietatem, & Zelum consovere, ac Christiani Populi devotionem promovere, nostrumque cordis affectum significare, eademque Collegiatam Ecclesiam S. Laurentii in Damaso, quae merito inter insignes Urbis nostrae Ecclesias adnumeratur amplioribus Indulgentiarum muneribus decorare cupientes motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione nostra de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli

Apo-

Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusquee sexus Christifidelibus vere poenitentibus, & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui dictam Collegiatam Ecclesiam S. Laurentii in Damaso devote visitaverint, inibique juxta eorum devotionem pias ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint Indulgentiam plenariam, omniumque, & singulorum peccatorum suorum veniam, & remissionem Apostolica auctoritate perpetuo concedimus, & elargimur, ipsisque ut quilibet eorum Indulgentiam, & peccatorum remissionem hujusmodi Animabus Purgatorii per modum suffragii applicare possit etiam perpetuo concedimus, & indulgemus praesentibus, perpetuis, futuris temporibus duraturis. Non obstantibus, nostra, & Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicae 1737. Idibus Januarii Pontificatus Nostri anno octavo.

Loco ✠ Plumbi.

Visa M. A. Caffarellus
F. Sause.

CAPUT XVI.

De Cleri hujus Basilicae numero, institutionibus, muneribus, redditibus, & de Castro Montis Oliverii, olim Tiberii.

CAnonicorum Collegium hujus Basilicae, cum antiquitus octo tantum, sex nempe Presbyterorum, ac duorum Levitarum numerum non excederet, duobus aliis Subdiaconis fuit adauctum; quorum erectionem, pro eorum dote fructibus Parochialium Ecclesiarum S. Ceciliae in Monte Jordano, & S. Nicolai in Agone filialium ejusdem Basilicae a Gregorio XV. per suas Apostolicas literas datas VII. Kal. Novembris MDCXXI. suppressarum assignatis; deinde Urbanus VIII. aliis suis specialibus literis Apostolicis expeditis confirmavit. Cum vero praebendarum hujusmodi redditus, priores Canonicatus non adaequarent, idem Pontifex Urbanus

VIII.

VIII. eas ad unam tantum redegit. Quibus peractis Francifcus Cardinalis Barberinus Vicecancellarii munere ab eodem Pontifice decoratus, facultate Apoftolica Cappellaniis aliquibus e filiali Ecclefia S. Mariae in Monticellis ad Matricem S. Laurentii translatis, aliifque fimiliter filialibus S. Mariae in Candelabro, in Judeorum platea, ac S. Stephani Vaccinariorum Univerfitatis fuppreffis Ecclefiis, decimam illam Canonicatus praebendam reftituit; additis quoque, pro ampliffimae fuae liberalitatis dono, viginti duobus Montium Cameralium locis Reverendiffimo Capitulo, quae integros ejufdem Canonicalis Praebendae redditus praeftarent.

Pari munificentia Uliffes Gallus Capitulo annuum redditum ducentorum feptuaginta fcutorum de fructibus nonnullarum domuum percipiendum impertivit, in cujus fingularis beneficii remunerationem Urbanus VIII. hanc ipfi Canonicatus dignitatem conferre dignatus eft. Piiffima haec Gallorum Familia in Urbe illuftris, multiplicibus officiorum ftudiis hanc Bafilicam infignivit: Praeter enim memorata, Jacobus Gallus annuum cenfum duorum millium, & quingentorum fcutorum, ex cujus fructibus fingulis annis quinque dotes fcutorum vigintiquinque die octava Sanctiffimi Corporis Chrifti a Canonicis alternatim diftribuuntur, reliquit.

Unica dignitas Prioralis in hoc Capitulo viget, quae tamen non confertur, fed antiquiori Canonico Decani nomine diftincto debetur; omnes enim redditus inter Canonicos aequiparantur, nullumque adeft Praebendarum difcrimen albo amictu vulgo *Roccbetto* cum Cappa magna violacea muftelae Alpinae pellibus obducta Patriarchalium ad inftar induuntur Canonici, qui facer habitus a Beneficiatis diftinctione tamen leucopheae Cappae, atque etiam *Roccbetti* abfque manicis geritur.

Semel in hebdomada die Dominico pro Capituli rebus pertractandis fimul conveniunt Canonici. Elapfis temporibus praefatum Capitulum ob inopiam aptioris domicilii poft Completorium in Sacrario, ne reliquis horis Ecclefiae minifteria impediren-

direntur, congregabatur. Neque vero hic reticendum Petrum Cardinalem Otthobonum Titularem, pro insita ejus animo munificentia, & benigna in Ecclesiam voluntate, geminum domicilium tradidisse ad cogendum Capitulum, & tutius custodiendas sacras suppellectiles, quae deteriore loci situ maxima in parte corrumpebantur, nec non ad Archivii commodiorem usum, atque dispositionem, quod equidem tam implexo, angustoque situ reperiebatur, ut ejusdem inordinata congeries haec mihi documenta eruenti incredibilem molestiam attulerit.

Antiquissimas habet Ecclesia Constitutiones, quae diligenter observantur: inter eas adsunt sanctiones Martino Papa V. sedente anno scilicet MCCCCXXV. editae per Reformatores, & Visitatores ab eo missos Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque omnium piorum locorum almae Urbis, scilicet Franciscum Archiepiscopum Tranensem, Jacobum Episcopum Adriensem, & Petrum de Domicibus Sacristam Ecclesiae Gerundensis; ut constat ex actis, quae in Archivo Lateranensi, & in nostro reperiuntur, servanturque in antiquis Codicibus M. S. Extant pariter Constitutiones ejusdem nostrae Basilicae editae in Visitatione Ludovici Cardinalis Ludovisii S. R. E. Vicecancellarii, hujusque Ecclesiae Titularis anno MDCXXVI. Romae impressae ex Typographia Camerae Apostolicae, quas ob prolixitatem hic referre consentaneum non arbitramur, nimis enim longam narrationem exposcerent. Praeterire attamen nolumus Canonicos ex earum praescripto teneri sacros ordines suscipere intra sex menses post obtentum Canonicalem gradum, si secus fecerint distributionibus, & suffragio in Capitulo carere. Quotannis die Circumcisionis Domini post Completorium Capitulo de more coacto eliguntur per secreta suffragia Camerarius, Adjutor a Secretis, qui Capitulare sigillum custodit, sacrorum, & musicae Praefecti, ac duo Punctatores; Dominica pariter sequenti duo Fabricerii, ac totidem Syndici, qui aedificiorum impensis, domorumque restaurationibus, ac rationum revisioni praesideant, capitulariter deputantur.

Redditus a nostro Capitulo possessi in Domorum locationibus, Emphyteoticis canonibus, locorum Montium fructibus, ac Montis Oliverii Castro, de quo inferius sermo erit, notabiliter decreverunt. Cum enim Domorum locationes, ut plurimum inconductarum, locorum Montium, quorum etiam aliqui ad aedificium, ante Ecclesiam construendum fuere alienati, proventus, propter Officinarum sub Cancellaria in ejus restauratione reductionem, ac reliquas pro viarum conservatione impensas, magna ex parte fuerint imminuti; non est profecto obstupescendum, si non leve detrimentum iis de caussis redditus ipsi Canonicorum acceperint.

Hujus Ecclesiae redditus, tam quoad Capitulum, quam Sacrarium, & Musicam, ut ex libris rationum extraximus, sex millium scutorum summam pertingunt, proventibus Beneficiatorum, qui ab ipsis administrantur, non computatis; inter quos recensentur proventus Castri Montis Oliverii.

Prope consularem viam Flaminiam, septimo ab Urbe lapide, reperitur Castrum olim Tiberii, nunc Montis Oliverii, vulgo nuncupatum; dominio nostri Capituli omnino subjicitur una cum vasto territorio septem circiter milliariorum ambitu circumvallato. Munus hoc in illud ab eximia Sanctissimi Fundatoris Damasi beneficentia manasse vulgo perhibetur. Quod si constet, vix, aut ne vix quidem tota Italia, quin & universa Europa antiquior, solidiorque possessio extaret. Id vero suadet constans, & vetustissima traditio solidis monumentis confirmata: fuisse nimirum Ecclesiam hanc a Beatissimo Fundatore opulenter praedio amplificatam. Jam vero unicum hoc est praedium sub ditione ejusdem Basilicae. Amplum illius territorium Rubrorum 400, & ultra in possessione hujus Basilicae praeexistebat duodecimo vertente saeculo, ut testatur Summus Pontifex Urbanus III. in sua Bulla edita anno 1186. Cum autem sedente illo Pontifice Reverendissimi Canonici S. Laurentii in Damaso litigia in suis bonis, & in hoc Castro propter contentionem antiqui viae transitus vigentia, perferrent,

ipse

ipse Pontifex ad ejusdem suae Basilicae indemnitatem servandam, ac libertatem bonorum, ejusque jurium, de quibus, uti prius Canonicus, perfectam, distinctamque notitiam habebat, singula quaeque bona, Castra, Jurisdictiones, Ecclesias filiales, & subjectas distincte recensendo in dicta Bulla sub immediata Sedis Apostolicae protectione suscepit.

Omissis aliis inter caetera hujus nostri Capituli bona, quae illibata libertate voluit semper conservari specifice describitur ibi. *Castrum Montis Tiberii cum tenimentis suis, & omnibus ad se pertinentibus*, uti vigore supradictae Apostolicae Bullae Capitulo, integra semper, & illesa, jura, praestantiae, jurisdictiones, praeeminentiae, viae, adjacentiae, universaeque Castri Tiberii commoditates remanserunt.

Ex relata Bulla Urbani III. probatur identitas memorati Castri, seu Territorii possessi ab antiquis Canonicis: post autem illius eversionem ex notis calamitatibus Sanctae Sedis, ut ex Ciacconio, & Annalibus Baronii in vitis Pontificum colligitur, ab Urbano III. usque ad Martinum V. videtur continuata possessio Canonicis S. Laurentii quoad vastum territorium, in quo adsunt ruinae Castri Tiberii, & in cacumine montis reliquiae adhuc aedificiorum conspiciuntur. Anno enim 1425. praefatus Pontifex Martinus V. Pontificatus anno nono sedatis in Ecclesia schismatibus, quae per tot annorum intervalla eam dilaniaverant, ad Ecclesiasticam in Urbe disciplinam restituendam Visitationes omnium Almae Urbis Ecclesiarum ordinavit, uti legitur in ejus Constitutionibus editis per Reformatores, & Visitatores Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum, ubi connumeratur inter bona Capituli S. Laurentii in Damaso Castrum, seu Casale Montis Tiberii, quorum acta superius enunciata *(y)* in Archivo Lateranensi, atque in hoc Laurentiano in antiquis Codicibus manuscriptis asservantur.

Praeter decem Canonicos integrum Collegii coetum constituentes adest Vicarius Praesul, qui ab Eminentissimo Titulari

 prae-

(y) *Constit. Mart. V. in Cod. M. S. fol. 39. n. 73.*

praeficitur, massae Capitularis emolumentis non fruitur, at ei aliquod munus quolibet anno a Capitulo impertitur.

Collegium Beneficiatorum octo Praebendarum numerum perficit, quibus totidem Clerici Beneficiati adjunguntur, nec non sex Cappellani Valtrini, qui omnes scilicet viginti duo alternatim in Choro Canonicas horas persolvunt. Hoc Beneficiatorum, & Clericorum Collegium a Gregorio XIII. per ejus literas datas Tusculi anno Incarnationis Dominicae MDLXXVI. nonis Septembris Pontificatus sui anno V. erectum, atque in octo Presbyterales Praebendas quatuor Diaconales, totidemque Subdiaconales fuit divisum. Pro quarum dote infrapositarum Ecclesiarum nostrae Basilicae filialium bona fuere assignata, videlicet S. Salvatoris in Primicerio, S. Stephani in Piscinula prope Ecclesiam S. Luciae Regionis Pontis, S. Pauli in Arenula, S. Mariae in Cacabariis, S Barbarae prope aciem Campi Florae, S. Martini juxta S. Montem Pietatis, S. Leonardi in Judaeorum platea, S. Agnetis in Agone, S Thomae de Catena, qui modo dicitur Bononiensium, ac pariter bona nonnullarum Cappellarum in nostra Basilica existentium, nempe sub invocatione S. Andreae, S. Hieronymi, S. Johannis Baptistae, S. Johannis Evangelistae, S. Jacobi, Sanctissimae Annunciationis Beatae Mariae Virginis, SS. Petri, & Pauli, S. Margaritae, Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, S. Annae, S. Barbarae, SS. Nicolai, & Catherinae, S. Helenae, S. Valentini, S. Luciae, & Sanctissimae Visitationis. Ex quibus massa communis fieret, quodque ex ea quilibet Beneficiatus septuaginta scuta perciperet, quilibet vero Clericus nuncupatus Beneficiatus scuta quinquaginta, ita tamen, ut si dictam massam augeri, vel minui pro tempore contingat, singuli eorumdem Beneficiatorum plus, vel minus habita proportione percipiant, atque massa praedicta per distributiones quotidianas inter Ecclesiae actu deservientes, dividatur, non deservientes vero nihil percipere debeant; sed eorum rata inter deservientes distribuatur, nec de illis, aut absentiis punctis nuncupatis

ali-

aliqua gratia, seu remissio in toto, vel in parte, nisi de expresso Cardinalis Vicecancellarii, aut illius Vicarii consensu, seu licentia fieri possit. Pariter Beneficiati praedicti collegialiter congregati cum interventu Vicarii, ut supra, Camerarium, Punctatores, & alios Officiales necessarios anno quolibet eligere debent. Horum Beneficiorum collatio, quoties vacatio contingit, ad Cardinalem dumtaxat Vicecancellarium pro tempore existentem spectat, nec non omnimoda Jurisdictio, & superioritas in spiritualibus, & temporalibus in Beneficiatos praedictos, ac illorum correctio, & visitatio pertinent.

Prius quam dictum Beneficiatorum Collegium a Gregorio XIII., ut diximus, erigeretur anno MDLXXVI., quamplures Cappellarum Basilicae Cappellani Choro inservientes Beneficiatorum loco habebantur, ut colligimus ex Constitutione Ludovici Cardinalis Mediarotae Patriarchae Aquilejensis hujus Basilicae Titularis, qui anno MCCCCLXI. perpendens, quod iidem Cappellani Choro interesse negligerent, ac una cum Capitulo utilitati, & decori Ecclesiae providere cupiens poenis debitis coerceri voluit, quam Constitutionem hic subjicimus.

Ludovicus Miseratione Divina Tituli S. Laurentii in Damaso S. R. E. Presbyter Cardinalis Aquilejensis Sanctissimi D. N. PP. Camerarius &c. Onus nostrae dignitatis expostulat, ut in Ecclesiis nostro Juri subjectis a Clericis nostris divinum officium frequentare faciamus. Cum itaque sicut accepimus, nonnulli Cappellani Cappellarum Ecclesiae nostrae S. Laurentii in Damaso, qui omnibus horis Canonicis in dictae Ecclesiae Choro servire tenentur, negligant ad serviendum horis Canonicis venire. Ideo nos una cum Capitulo nostro S. Laurentii volentes utilitati, & bonori Ecclesiae nostrae providere, & negligentias Cappellanorum poenis debitis coercere, statuimus, & ordinamus, ut quilibet Cappellanus cujuscumque status, & conditionis existat, qui tenetur in Choro horis Canonicis dictae Ecclesiae S. Laurentii servire, si non fuerit horis Matutinis perdat bolendinos duos, si non fuerit in Missa perdat bolendinum unum, si aliis vero Canonicis horis punctetur secundum

in-

institutionem Fundatoris ipsius Cappellae. Volumus etiam, quod haec poena duplicetur in die Nativitatis Domini. In die Resurrectionis, in festo S. Laurentii, S. Damasi, & in die Stationis dictae Ecclesiae, nisi major poena fuerit a Fundatore imposita. Tunc volumus illas exigi pecunias, sicque exactas volumus Fabricae applicari. Datum in Domibus &c. die Martii tertia decima MCCCCLXI.

Ultra praefatum Beneficiatorum Collegium Franciscus Cardinalis Barberinus auctoritate Apostolica anno MDCXXXVII. sex alios Cappellanos nuncupatos Valtrinos erexit, quibus locorum centum quatuordecim Montium Cameralium fructus, ab Alexandro Valtrini pro decem Cappellaniarum ad nutum mobilium dote relictos assignavit: quae Cappellaniae ad sex postea reductae fuere per specialem Bullam Urbani VIII. sub die tertia Octobris MDCXXXVI. expeditam. Horum quilibet eodemmet sacro habitu Beneficiatorum divinis officiis in Choro intersunt, singulisque hebdomadis tria Missae sacrificia a Testatore imposita peragunt. Memoratus Cardinalis Barberinus, ut perpetuum pii Fundatoris extaret monumentum sequentem Inscriptionem in parastade prope Sacellum Divo Nicolao dicatum apponi mandavit.

D. O. M.
Alexandro Valtrini Civi Romano
Urbani VIII. Pont. Max. intimo Cubiculario
ex ejus haereditate locis piis distributa
sex Cappellaniae in hac Ecclesia erectae,
& dotatae fuerunt.
Franciscus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius
Amico benevolentiae monumentum posuit
Anno Domini MDCXXXIX.

Complures in hac Basilica Praebendae, ac Ministri ad nutum mobiles enumerantur: Ex quibus sex Cappellani a primaeva Basilicae erectione instituti, singulis diebus, uno tantum excepto per quamlibet hebdomadam Choro inserviunt. Horum unus,

unus, Ceremoniarum Praefecti munere, caeteri vero rerum pro Altari, & Missa disponendarum cura funguntur. Ex his unus est de Jure patronatus Familiae de Cassettis, solumque Dominicis, & festis diebus Choro inserviendi onere obstringitur, ut ex lapide in Sacrario Capituli colligitur.

Joannes Baptista Cassetta hujus Ecclesiae Beneficiatus adhuc vivens instituit Clericum nuncupatum delle Gioje, qui puerili aetate teneatur sacris inservire, & in adulta in Choro assistere Divinis, diebus tantum festivis, & de hoc instituit Juspatr. Familiae Domus de Cassettis Terrae Olibani Praenest. Dioec. relinquens Sacristiae S. Laurentii, & Damasi loca quindecim Montium Cameralium cum onere solvendi eidem Clerico scuta quatuor in perpetuum singulis mensibus usque ad aetatem illius 25. annorum, ut latius patet in actis D. Joannis Francisci Abinantis Not. Cap. Die 18. Maii 1671.

Soli Deo honor, & gloria.

Ad Sacrarii curam incumbit Sacerdos a Capitulo conductus Poenitentiae Sacramentum administrans, cui quatuor Clerici, ac duo Campanarum pulsatores inserviunt, & Basilicae famulatum praestant. Musicae Cappella octo Musicorum numero completur, qui ad divinarum rerum contemplationem modulatis vocibus fidelium mentes extollunt, ad quorum aures permulcendas alius minister mercede conductus harmonicum Organi concentum edit, & omnes unius Cappellae Praefectus moderatur.

More antiquissimo haec nostra Basilica juxta tabellam ab Alexandro Cardinali Montalto dispositam, & a Gregorio XIV. vivae vocis oraculo anno 1591. confirmatam, servitium caeteris Basilicis exactius, atque frequentius, Vaticana excepta, sibi imposuit. A primo enim mensis Novembris die usque ad mensem Julii completum media Laurentiani Cleri pars; a Kalendis vero Augusti usque ad omnium Sanctorum solemnitatem quarta hujus pars; a die demum Cinerum per totam Quadragesimam quotidie, ac pariter Dominicis, & festivis diebus totius

tius anni omnes Chorum frequentare tenentur. Quod inviolabiliter observatur, alias omnes illius diei distributiones ammittuntur. Quolibet die festo, vel Dominico solemniter cum Pluvialibus, & Musicorum cantu Vesperae panguntur.

His quoad Clerum Choro inservientem expositis, nunc ad Animarum Rectores progrediamur. Primus se nobis offert Vicarius-Curatus perpetuus, qui a Capitulo eligitur approbante Eminentissimo Almae Urbis Vicario juxta Constitutionem Gloriosi in Caelis Pontificis Pii V., quae incipit *Cupientes;* ut in Bullario. Eidem aureos centum viginti sex quolibet anno persolvit Capitulum, atque omnia, & singula emolumenta, obventiones, quae ratione exercitii curae, & administrationis Sacramentorum, ac officiorum funeralium, quae ipsa die humationis Cadaverum celebrantur, assignat, quae omnia proventum aureorum circiter 400. conficiunt. Idem Vicarius-Curatus Vicecuratum eligit, qui in omnibus illum coadjuvare tenetur, reliqui pariter Ecclesiae Confessarii eodem onere obstringuntur. Ex quibusdam redditibus ab Alexandro Cardinali Montalto assignatis Vicecuratus alitur. Caeterum cum esset satis ampla animarum cura, & in ea Populus numerosus existeret, illarumque curationi, & administrationi perpetuus dictae Ecclesiae Vicarius solus satis non esset; praefatus Alexander Cardinalis Montaltus pios quosdam, & spirituales Sacerdotes ad nutum amovibiles selegit, qui insimul, & prope Ecclesiam in Domo suis sumtibus conducta commorantes congruo pro eorum sustentatione constituto stipendio in divini cultus augumento, atque in animarum salute sese exercerent, ut in sequenti patet Constitutione.

Cum in dicta Parochia multae, & in magno numero Animae existant, & illarum curam perpetuus dictae Ecclesiae Vicarius solus gerere, & exercere nequeat. Propterea proximis annis quosdam pios, & spirituales Sacerdotes deputavimus, qui insimul, & prope Ecclesiam in Domo nostris propriisque redditibus conducta habitantes, convenienti pro eorum sustentatione, portione eis a nobis constituta in eadem Ecclesia deser-

deservire; Confessiones Christifidelium audire, Ecclesiastica Sacramenta administrare, Congregationi succursus pauperum jamdiu per nos erectae, & Apostolica auctoritate confirmatae auxilio esse, Pueros Doctrinam Christianam docere, Oratorium disciplinae ibidem institutum manutenere deberent, & animadvertentes hoc opus ad magnum Dei servitium tendere, & opera, & industria dictorum Sacerdotum frequentiam Sacramentorum, & alia supradicta pia, & sancta exercitia in dies accrescere, auctoritate nostra ordinaria, qua in hac parte fungimur in hac nostra Ecclesia unam Congregationem Presbyterorum saecularium praedictorum servitio hujus Ecclesiae ad Confessiones Christifidelium audiendas, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ministrandum, nec non dicta exercitia Doctrinae Christianae, & disciplinarum manutenenda, Moribundis assistendum, aliaque pia opera exercenda, juxta formam Capitulorum, & Regularum ad hunc effectum a nobis praescribendarum erigimus, & instituimus, nec non illi sic erectae, & institutae, & praedictorum Sacerdotum sustentatione vigore facultatum per literas fel. rec. Clementis PP. VIII. sub die XV. Septembris anno MDLXXXXIV., & Sanctissimi in Christo Patris D. Nostri Pauli Divina Providentia Papae V. anni ejusdem Domini sub datum XI. Julii, & XII. Septembris MDCXII. quarum tenores sequuntur: quos brevitatis gratia omittimus. Datum Romae die V. Januarii anno MDCXI.

Alexander Card. Montaltus Vicecancellarius.

Unio haec piorum Sacerdotum, anno 1613. denominationem a praefato Cardinali Montalto Collegii Confessariorum sortita est, qui illud annuis proventibus aureorum sexcentum dotavit, & amplum domicilium assignavit; optimarum artium studiis, atque doctrina eruditi sex erant Confessarii, & usque ad tempora Francisci Cardinalis Barberini Titularis, Poenitentiariorum ad instar trium in Urbe Patriarchalium variis linguis instructi vigebant; cujus praerogativae gratia, ad hanc Basilicam aeque commodam, in centro nempe Urbis positam, ad Poenitentiae Sacramentum suscipiendum, aliaque pietatis opera exercenda Advenae fere omnes confluebant. Nunc vero propter imminutos hujus Collegii redditus, ad quinque tantum, omnesque Italos redacti sunt.

Praeter hujus Confessariorum Collegii institutionem ab Alexandro Cardinali Montalto peractam, sub ejusdem quoque auctoritate Congregatio succursus pauperum Paraeciae S. Laurentii in Damaso erecta fuit. Prospiciens enim Clemens Papa VIII. plura inordinate contingere in eleemosynarum erga pauperes distributionibus, nobiles duos Viros ex qualibet Urbis Paraecia, qui de egenorum calamitatibus instructi supplices libellos subsignarent, eligi mandavit. Hinc die quarta Januarii 1602. omnibus Paraeciae nobilibus Viris a Reverendissimo Capitulo, & Vicario-Curato coactis, qui idonei ad tantum pietatis opus fuerunt reperti, fuere & electi. Quaerentibus autem media, ut veras pauperum egestates dignoscerent, Deus profecto, ex quo omne bonum sumit initium, & augetur, Curati menti inspiravit, in divini nominis ingentem gloriam, ipsorumque meritum cessurum fore, si omnes, qui convenerant, Congregationem in pauperum subsidium recto ordine instituerent: quo unanimi consensu approbato, duobus insuper Canonicis, tribusque Viris nobilibus deputatis, qui diligenti cura, totisque viribus huic operi incumbentes ad optatum finem perducerent; felicibus tandem auspiciis fundata Congregatio fuit, eique Congregationis succursus pauperum Paraeciae S. Laurentii in Damaso nomen impositum. Plurimum subsidii pauperibus confert, tum propter assiduam Confratrum in eleemosynis exquirendis sedulitatem, tum ob vigilantissimam Eminentissimi Titularis Protectionem, qui pro sua animi munificentia ad tantum pium opus augendum liberaliter erga pauperes pecunias effundit, cujus exemplum Viceprotector Praesul, Capitulum, aliique Regentes pro tempore deputati, Vicarius-Curatus, nec non quamplures Praesidentes sectantur. Verum ne temporum varietatibus haec Congregatio deficeret Constitutiones nunnullas a Cardinali Urbis Vicario primum, mox etiam a Cardinali Titulari approbatas, ut in sequenti Chirographo apparet, sanciverunt.

Nos Alexander Miseratione Divina Sancti Laurentii in Damaso Dia-

Diaconus Cardinalis Montaltus nuncupatus S. R. E. Vicecancellarius, ad quorum notitiam nuper devenit, quod nonnulli Christifideles pia devotione ducti, ac ad subveniendum pauperibus, & egenis Parochiae ejusdem Sancti Laurentii quamdam Confraternitatem del soccorso de' Poveri *nuncupatam in nostra Ecclesia ejusdem Sancti Laurentii instituerunt, & pro illius directione, & felici gubernio, ac illius bonorum, & rerum administratione quaedam statuta ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino meo Vicario Urbis, seu illius Vicesgerente visa, & approbata ediderunt, habita super praemissis ex relatione nobis facta a Deputatis a dicta Confraternitate plena informatione, & de singulorum statutorum continentia certiorati hoc pium, & charitativum institutum, quantum in nobis est promovere volentes, auctoritate nostra ordinaria, ac omni alio meliori modo, quo possumus in primis institutionem Confraternitatis hujusmodi, ac omnia, & singula praeinserta statuta approbamus, & confirmamus, illisque perpetuae; & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, eaque omnia ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter perpetuo observari volumus, atque mandamus. In quorum fidem praesentes manu nostra propria subscriptas fieri, nostrique sigilli jussimus, & fecimus impressione muniri.*

Datum Romae in Cancellaria Apostolica, anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo tertio, die vero XX. mensis Januarii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papae VIII. anno XI.

A. Card. Montaltus Vicecancell.

Prospicere Urbanus VIII. recolendae semper memoriae tantae Ecclesiae dignitati, ac Vicecancellarii auctoritatem amplificare cupiens; ne Capitulum Laurentianum occasione litium, ac pro suis Juribus tuendis ad diversa Urbis Tribunalia traheretur, praevia avocatione a caeteris Curiae Juribus, omnes ejus caussas tunc praesenti, & pro tempore existenti ejusdem S. Laurentii in Damaso Titulari, ac Vicecancellario commisit, ut in sequenti Constitutione patet.

URBANUS PP. OCTAVUS

Ad Perpetuam rei memoriam.

Decet (z) Romanum Pontificem aequi, bonique Assertorem personarum Ecclesiasticarum quarumlibet indemnitati prospicere, ut semotis, quantum cum Domino fieri potest, impedimentis vota sua reddant Domino abundanter in sanctitate, & justitia coram ipso. Cum itaque sicut accepimus S. R. E. Cardinales Diaconi, seu Presbyteri S. Laurentii in Damaso, qui etiam a multis retro annis S. R. E. Vicecancellarii extiterunt, quamvis in vim facultatum suarum etiam in corpore Juris clausarum, caussas civiles, criminales, & mixtas super bonis, & Juribus ejusdem Ecclesiae, nec non super personis Canonicorum, Beneficiatorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum, eidem Ecclesiae actu inservientium hactenus cognoverint, & aliis cognoscendi, & prout Juris fuisset, terminandi commiserint. Nos nihilominus providere volentes, ne Capitulum Canonicos, Beneficiatos, Clericos, & alias personas Ecclesiasticas, quas in visceribus gerimus charitatis, occasione prosequutionis litium ad diversa Urbis Tribunalia trahi, & propterea extra servitium ejusdem Ecclesiae distrahi contingat; motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnes, & singulas caussam, & caussas super bonis, & Juribus dictae Ecclesiae a dilecti filii nostri in Alma Urbe Vicarii in spiritualibus generalis, & aliis Tribunalibus Urbis ad nos harum serie avocantes, illas, & earum quamlibet dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato nostro secundum carnem ex fratre germano Nepoti, moderno, & pro tempore existenti ejusdem S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali S. R. E. Vicecancellario, nec non caussas, super ejusdem Ecclesiae bonis tam active, quam passive, & contra dictas personas Ecclesiasticas dictae Ecclesiae motas, & movendas cum omnibus, & singulis suis incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis per

(z) Codex M. S. in Arch. Laurentiano tom. 3. pag. 5.

per se, vel alium, seu alios summarie simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura Judicii, sola veritate facti inspecta, & quatenus opus sit executive, etiam manu regia absque terminorum substantialium, & alicujus telae judiciariae observatione, sive confectione registri, aut extractus quacumque appellatione postposita, etiam non frivola audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito, prout juris fuerit, terminandas, earumdem tenore praesentium committimus, & mandamus; cum potestate dictas partes respective, & alias omnes, quas opus fuerit, sua communiter, vel divisim interesse putantes, in executione citationis nominandas in Romana Curia, & extra eam per edictum publicum constito summarie, & extrajudicialiter de non tuto accessu citandi, ac omnibus Judicibus supradictis, & quibus, & quoties opus fuerit etiam sub censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis poenis, eorum arbitrio moderandis, & applicandis etiam per simile edictum inhibendi, & in eventum non paritionis poenas, & censuras praedictas damnabiliter incurrisse, & incidisse declarandi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, & brachii saecularis auxilium invocandi, loco vero sententiae, seu sententiarum praedictarum, mandata executiva in forma solita, & consueta decernendi, illamque, vel illa, & quidquid per se, vel alium, sive alios, a se vel pro tempore S. R. E. Vicecancellariis deputandum, seu deputandos judicatum fuerit exequendi, expensas quascumque taxandi, moderandi, atque in caussis omnibus, & singulis praemissis, vel eorum quolibet, seu quomodolibet praemissorum etiam singulis diebus, & horis praeterquam in honorem Dei feriatis procedendi, aliaque omnia, & singula faciendi, gerendi, & exequendi, quae in praemissis necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna. Decernentes praesentes literas sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, limitationibus similium, vel dissimilium concessionum, & gratiarum etiam per nos, vel successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem praedictam, vel ejus legatos etiam per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis penitus, & omnino exceptas, & quoties illae emanabunt, praesentes literas in praedictum statum restitutas esse, & censeri debere, nec

eisdem

eisdem praesentibus per quascumque literas, & quasvis clausulas generales, & speciales etiam derogatoriarum derogatorias, irritantiaque, & alia decreta, sub quacumque verborum expressione continentes derogari posse, etiamsi ullo unquam tempore ex aliqua etiam quantumvis necessaria, & urgenti caussa derogari, contingat, nisi tenor earumdem literarum de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertus, & hujusmodi derogatio per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes tribus similibus distinctis vicibus eidem Francisco, & pro tempore existenti Cardinali S. R. E. Vicecancellario legitime insinuata, & intimata fuerit, eorumque expressus ad id accesserit assensus, derogationem hujusmodi nemini suffragari, nulliusque esse roboris, vel valoris, & sic per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam praedictae Ecclesiae Cardinales, & caussarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Non obstantibus praemissis, ac fel. recor. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, & Concilii generalis edita, de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas ; aliquis auctoritate praesentium in judicium non trahatur aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Hospitalium Ecclesiasticorum, Monasteriorum, & aliorum quorumcumque locorum piorum, & ordinum juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & exemptionibus, & literis Apostolicis eisdem, ac dilectis filiis populo Romano, nec non Judicibus, Curiis, & Tribunalibus, eorumque personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, & nos ad dictam Sedem etiam motu, & scientia similibus concessa approbatis, & innovatis, etiam disponentibus, quod caussae nostrae ad Forum, seu Curiam Capitolii reassumi debeant, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis contenta praesentibus pro sufficienter expressis habentes illis, alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter,

niter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, aut excommunicari, vel extra, aut ultra certa loca, Curias, & Tribunalia ad judicium trahi non possint. Per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto hujusmodi mentionem, & a quibusvis aliis privilegiis indultis Apostolicis, generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existentibus, quae praesentibus non expressa, aut totaliter non inserta, effectus impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in praesentibus mentio specialis. Datum Romae apud Sanctam Mariam sub Annulo Piscatoris die 20. Augusti 1735. Pontificatus nostri anno XIII.

M. A. Maraldus.

Animadvertendum tamen est commemoratum Urbani VIII. privilegium de caussis Judiciariis a Titularibus Basilicae cognoscendis, antiquatum, & abrogatum postea fuisse ab Innocentio XII., qui ejus generis Jura omnia ad Cardinales Archipresbyteros Basilicarum, Ecclesiarum Praesides, aut Curatores alios prius pertinentia penitus sustulit, utque imposterum ad Judices ordinarios eadem revocarentur, sancivit, atque constituit; liquido id constat ex variis ejusdem Summi Pontificis decretis anno 1692. evulgatis, quae referuntur in Bullario Innocentiano. Ea de caussa cum pateat Basilicam S. Laurentii in Damaso comprehendi in Constitutione praefata Innocentii XII., iccirco ejusdem Basilicae, & omnis generis ministrorum ad eam pertinentium caussae, non a Vicecancellario, sed a Judicibus, ad quos Jure, usuque ordinario spectant, agitantur.

Haec sunt, quae ad praefatam Basilicam spectantia, ex vetustioribus monumentis eruta in unum colligere nobis licuit. Quamplura, saltem alia scitu digna recenseri possent, nisi, vel incendiis, bellis, aliisque Urbis direptionibus periissent memoriae, quod & aliis primae notae antiquitatibus evenisse compertum est, neque enim possunt omnia, quae exciderunt ad hominum notionem revocari: utique etiam Veggius

Ba-

Basilicae Vaticanae Canonicus, historiam ejusdem texens; non pauca memorabilia de tanti Templi magnificentia periisse indoluit, quae quamtumlibet perquisita invenire minime valuit. (a) *Nam tot ex iis* [ut verbis ipsius ad rem nostram plane accomodatis utamur] *quae ad Basilicam pertinebant deperierunt, ut dolendum sit quantum, vel negligentia, vel malignitas hominum, omnia consumat, omnia deleat, & conficiat.*

Finis Libri Secundi.

LI-

(a) *Veggius de Basilica Vaticana lib. 4. M. S. in Arch. ejusdem Basilicae.*

LIBER III.

De Obnoxiis Ecclesiis Basilicae S. Laurentii in Damaso, quas Filiales vocant.

CAPUT I.

Recensetur numerus Filialium Ecclesiarum, quas Urbanus III. Basilicae assignavit. Item de usu Baptisteriorum, ubi de dependentia Filialium Ecclesiarum Matrici.

URbani III. Aevo anno nempe MCLXXXVI. hujus Basilicae sex supra sexaginta enumerabantur Filiales Ecclesiae, uti testimonium perhibet tenor Diplomatis ejusdem Pontificis, quod hic subjicimus; cujus transumptum per acta Johannis Savii A. C. Notarii sub die 22. Aprilis 1591. excerptum in Archivo Laurentiano asservatur.

Quamplures honorificas, ac utiles praerogativas huic Basilicae contulit idem Pontifex, ejusdem enim olim Titularis, sicuti superius in Catalogo Titularium firmatum est, & sequentibus etiam ipsius Bullae verbis comprobatur: *Memores igitur quod ad Titulum gloriosissimi S. Laurentii Martyris, in cujus Ecclesia divino*

 estis

estis obsequio mancipati, primam suscepimus ex Dei munere dignitatem: At non solum fuisse hujus Basilicae Titularem, sed & antea Canonicum multorum opinio est. Dubitationem tamen ingerit Ciacconius *(a)*, qui dum enumerat Cardinales, qui interfuerunt electioni ejusdem Pontificis Urbani, ponit Humbertum Cardinalem Titularem S. Laurentii in Damaso, sed forsan loco Humberti ponendus erat Lambertus, hoc enim nomine vocabatur ipse Urbanus, antequam Summus Pontifex eligeretur. Quidquid autem sit de hoc; certum est, quod vel Titularis, vel Canonicus, vel alio modo huic Ecclesiae praesit, dum ipse Pontifex fassus est in enunciata Bulla, primam ex Dei munere dignitatem suscepisse in hac Ecclesia, qua ratione potissimum ductus quamplura privilegia illi concessit, ut videre est in sequenti Bulla.

URBANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis Filiis Petro Priori Ecclesiae S. Laurentii in Damaso, ac tam praesentibus, quam futuris Canonicis substituendis in perpetuum. Apostolicae sublimitas dignitatis ad cujus ministerium nostram elegit Dominus servitutem, caussam habere nos admonet, ut in suscepti regiminis administratione cautelam adhibeamus, quae & universalem Ecclesiae statum pervigili semper consideratione respiciat, & ab Ecclesiis specialibus, quas in minori officio gubernandas accepimus, debitae circumspectionis aciem non avertamus. Memores igitur quod ad Titulum gloriosissimi Sancti Laurentii Martyris, in cujus Ecclesia divino estis obsequio mancipati, primam suscepimus ex Dei munere dignitatem, eamdem Ecclesiam Filiam specialem brachiis paternae dilectionis amplectimur, eique in ejus dignitatibus, libertatibusque conservandis robur Apostolicum impertimur. Ea propter, Dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & praedictam Ecclesiam Sancti Laurentii in Damaso,

(a) *Ciacconius Vitae Pontific. Roman. tom. 1. col. 1124.*

maso in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, & quaecumque bona, quae eadem Ecclesia in praesentiarum juste, & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, praestante Domino, poterit adipisci firma vobis, vestrisque Successoribus, & illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimendis vocabulis locum ipsum, in quo praedicta Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis ejus. Ecclesiam S. Agnetis de Criptis Agonis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Thomae de Parione cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Ceciliae de Lupo Pacho cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae in Vallicella cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Stephani de Piscibus cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Nicolai de Furcis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae de Curte cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Blasii de Oliva cum populo & pertinentiis suis, sicut vobis utroque jure pertinent. Ecclesiam S. Ursi de Ponte cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Stephani de Ponte cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Angeli a Domo Egidii de Poco cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Benedicti Sconchii cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Donati ante S. Blasium in Monasterio cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Pantaleonis Affinem cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Luciae Affinem cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Austerii cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Joannis in Ayno cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Andreae a Domo Joannis Ancillae Dei cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae in Catharina cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Thomae de Hispanis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Andreae de Hispanis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris de Unda cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Caesarei cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Benedicti de Arenula cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Pauli de Arenula cum populo

& pertinentiis suis. Ecclesiam S. Anastasii de Arenula cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Bartholomaei a Domo Joannis Cagetani cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Stephani de Cacabariis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Thomae in capite Molarum, quae est caput Romanae Fraternitatis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae a capite Molarum cum populo, & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Ceciliae a Domo cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Pantaleonis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Patermiverii cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris de Barunchin cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris de Cacabariis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae de Cacabariis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Benedicti de Clausura cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Martini de Panarella cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris de Campo cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Barbarae cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae in Cripta pinta cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris de Praefecto cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Pantaleonis de Prete Carolis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Sebastiani de Via Papae cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Nicolai de Mellinis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris, & jus Parochiale, quod habetis in Ecclesia S. Mariae Juliae cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae de Publico cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae in Formosa cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Valentini cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris de Gallia cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Nicolai de Calcalariis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae in Monterone cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Benedicti de Thermis cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Nicolai a Domo Cincii de Gregorio cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Martini a Domo Judicis Mardois cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Andreae a Domo Fortis Boliae cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris de Primicerco cum populo & pertinentiis suis. Ecclesiam S. Simeonis

& hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum judicium proemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus Catholicae Ecclesiae Episcopus PP.

Ego Theodinus Portuensis, & S. Ruffinae Sedis Episcopus pp.

Ego Henricus Albanensis Episcopus pp.

Ego Theobaldus Ostiensis, & Veliternensis Episcopus pp.

Ego Joannes Presbyter Cardinalis Tit. S. Marci pp.

Ego Laboratus Presbyter Cardinalis S. Mariae in Transtyberim Tit. S. Callixti pp.

Ego Pandulphus Presbyter Cardinalis SS. Apostolorum pp.

Ego Albinus Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. pp.

Ego Melior Presbyter Cardinalis SS. Joannis, & Pauli pp. Tit. Pagmatii.

Ego Adelardus Tit. S. Marcelli Cardinalis pp.

Ego Arditio S. Theodori Diaconus Cardinalis.

Ego Gratianus SS. Cosmae, & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Goffredus S. Mariae in Via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Rolandus S. Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis.

Ego Rodulphus S. Georgii ad Velum aureum Diaconus Card.

Datum Veronae per manum Transimundi S. R. E. Notarii XVI. Kal. Martii Indictione IV. Anno Incarnationis Dominicae millesimo centesimo octuagesimo sexto, Pontificatus vero Urbani Papae Anno primo.

Ex praeallegatae Constitutionis tenore veterem filialium Ecclesiarum hujus Basilicae numerum deprehendere licet; ea enim qua possumus sedulitate colligere satagimus illa, quae ad tantae Matris, ejusque filiarum ostendendum nitorem opportuna esse censemus.

Limites, in quibus omnes illae Ecclesiae tanquam filiae Matri subjectae continebantur, a Ponte Cestio, nunc quatuor capitum nuncupato juxta fluminis ripam usque ad Pontem Aelium, modo S. Angeli vocatum, protendebantur; inde per eamdem fluminis ripam Sanctam Mariam in Posterula, quae nunc dicitur de Urso, attingentes, Fori Agonalis terminum complebant; cum vero situs, caeteroqui amplior circa Basilicam,

cam, crebrescentem in dies populum non caperet, pro faciliori caelestis alimoniae ministerio, oportuit plures erigere Paraecias, praecipua tamen, & spectabiliore ejusdem ambitus parte, ac intra Basilicae possessionem adstricta, atque retenta. Hinc quamplures huic Paraeciae filiales Ecclesiae fuerunt erectae; servata vero Matrici subjectione, & dependentia: omne enim Jus Divinum, Naturale, & Humanum, seu Positivum docet, & praecipit, ut Parentibus, a quibus progeniti sumus obsequium, obedientiam, & subjectionem profiteri debeamus; subjectio siquidem vel dependentia Ecclesiarum filialium Matrici non potest dici accidentalis, & dativa, quae naturali libertati officiat, sed potius Nativa, & per consequens praesumptiones, atque regulae Ecclesiae Matrici potius favent, juxta illam subordinationem, quam membra suo capiti profiteri debent.

Vetustis temporibus, quibus a S. Damaso haec Basilica erecta fuit, fidelium non adeo excreverat numerus, neque adeo divinus cultus dilatatus, ac frequens Sacramentorum administratio, praesertim Baptismatis, eo potissimum quia non singulis infantibus paullo post nativitatem, neque quibuslibet diebus, & horis administrabatur secundum hodiernam temporum nostrorum consuetudinem. Usus quippe Neophytorum invaluerat, qui per plures annos Fidei rudimentis imbuti in eo statu tanquam per speciem probationis permanebant, & aliquibus tantum solemnioribus anni temporibus, praecipue in vigiliis Paschae, & Pentecostes, processionaliter, atque turmatim in sacro regenerationis Fonte abluebantur. Id vero exiguitatem numeri Ecclesiarum Cathedralium, & Parochialium progignebat. Fuere quippe illae, ut pauciores, sic circuitu, & limitum amplitudine longe majores. Quamobrem multitudinem etiam popularium admodum uberiorem complectabantur. Diuturno temporis circuitu, excrescente fidelium numero, ac etiam mutato stylo circa cultum, & administrationem Sacramentorum praesertim Baptismatis, oportuit novas Paraecias

respe-

refpective intra fines antiquarum erigere, retentis femper Matrici praeeminentiis, juribufque, juxta diverfas erectionum formulas, & confuetudines.

Quatuor omnino ftatus obtinuiffe videntur Fontes luftrales ad Baptifmi adminiftrationem erecti in Sacrofancta Romana Ecclefia a S. Petro Apoftolorum Principe ad noftram aetatem. Prima haec Apoftolicorum Praefulum difpofitio mirum in modum hactenus confervata eft, prout ex hiftoria uniufcujufque ftatus patebit, quem fingillatim placet exponere, ut dependentia, quam aliquae Ecclefiae filiales adverfus hanc Matricem in controverfiam adducere ftuduerunt, clarius elucefcat.

Primus ftatus fuit a Beato Petro ad Beatum Sylveftrum per tria fcilicet priora faecula Aerae Chrifti, perfecutionibus Ethnicorum infefta, in quibus viginti quinque Tituli Presbyterales, ut in eifdem conferretur Baptifma, fuere inftituti, viginti quinque Domibus praecipuis a fidelibus Urbis incolis fponte oblatis, ut Deo dicarentur ad noftrae Religionis officia exercenda, fed praefertim ad Baptifma miniftrandum iis, qui ad Fidem convertebantur. Tribus enim prioribus faeculis in uno plerumque Urbis loco Sacrificium offerri confueviffe ex Athanafii, & Innocentii I. Epiftolis colligit Thomafinus *(b)*. Licet autem Romae complures forent aedes fidelium, in quibus poterant congregari, attamen XXV. femper habitae funt tantummodo baptifmales.

Cum autem haec Urbs fedes fummi Sacerdotii, & totius Ecclefiae Catholicae Mater, & Caput conftituta fuerit, providentiffime modus fervatus eft in adminiftratione facrorum, qui in antiquo Teftamento obfervabatur; quemadmodum enim Sacerdotales Familiae in Templi Jerofolymitani fundatione a Davide (*c*) recenfitae viginti quatuor habitae funt, fuper quas una eminebat omnibus praefidens, Familia fcilicet Eleazari fummi Sacerdotii dignitate praefulgentis, quae numerum vigefimum quintum conftituebat; ita & in erectione Sacrofanctae hujus

(b) *Thomaſin. de Benef. par. 1. lib. 2. cap. 22, & 23.* (c) *I. Paralipom. cap. 24. verſ. 5, & 6.*

Romanae Ecclesiae, utpote Caput simul, ac Typum universalis Ecclesiae referentis ad munera Sacerdotalia obeunda, Apostolorum Principem Beato Cleto commisisse fertur, ut numerum vinginti quinque Presbyterorum ordinaret, quibus totidem Tituli sunt assignati, atque sacrae regenerationis Fontes concessi, ut in plerisque Sacramentis populo administrandis universalem Episcopum adjuvarent. Hi igitur XXV. Presbyteri vitae sanctimonia, literarumque sacrarum cognitione praestantes, ac Titulorum, Fontiumque baptismalium jure insigniti principem etiam locum in Catholicae Ecclesiae Hierarchia obtinuerunt, quasi essent omnium familiarum Sacerdotalium in Urbe, totius Ecclesiae imagine, stipites, & auctores. Hinc etiam observare licet, ut quoties persecutorum saevitia Titulorum numerum labefactaret, persecutione cessante a Romanis Pontificibus idem numerus illico instauraretur, prout passim considerant cum Cardinali Baronio Scriptores Ecclesiastici (*d*). Post immanem enim illam Decii, ac Valeriani persecutionem Beatus Dionisius Papa sub Gallieno Imperatore Presbyteris Ecclesias, Coemeteria, Titulosque Romanos quasi Dioeceses quasdam divisit, ut ex Anastasio colligitur (*e*). Marcellus I., quiescente paullulum persecutione Diocletiani, & Maximiani, ubi se Imperio abdicarunt, restituit XXV. Titulos in Urbe, & quasi Dioeceses propter Baptismum, & poenitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis, & propter Sepulchra Martyrum. Ubique tandem constantia Summorum Pontificum per tria priora saecula persecutionibus obnoxia in retinendo numero XXV. Presbyterorum, ac Titulorum in Urbe pro Baptismatis collatione refulsit, totidemque baptismalium Fontium conservatione, quod de nulla alia Ecclesia scriptum reperimus, sed tantummodo de hac omnium Magistra, adeo ut per mysticum numerum Familiarum Sacerdotalium, & Principum Sanctuarii, totius Christiani Sacerdotii unitas simul, & propagatio in regenerationis Fonte clarescеret. Nec quilibet

(d) *Annal. ann. 272. n. 17. p. 624. tom. 2. edit. Rom.* (c) *Anastas. Bibliot. in Vit. Dionisii.*

bet locus idoneus ad decenter, ac provide adminiſtrandum baptiſmi Sacramentum, in origine Eccleſiae, reperiebatur; cum enim per trinam immerſionem potius quam per effuſionem aquae ut plurimum perageretur, adeoque ſalvo pudore non poſſent utriuſque ſexus fideles tumultuario denudari, ac mergi; ut omnia ex ordine, ac verecunde peragerentur, inde ad Titulos dedicandos, domus fidelium plerumque deligebantur, quae lavacra privata ſatis ampla, ac ſaepe Thermis vicina poſſiderent, ut ſeorſum Viri, ſeorſumque Mulieres mergerentur, & aqua ad unius immerſionem adhibita alio transfundi poſſet, cum recens ex eodem Fonte adhiberi honeſta ratio decoris, & munditiei haberetur; tum etiam ne hoſtes noſtri Ethnici vituperandi occaſionem deſumerent, ſi Chriſtianos minus modeſte lavari in Fonte, omnem criminum maculam abſtergente, vidiſſent; & denique ne ex ſordida hujus Sacramenti adminiſtratione inter ipſos Chriſtianos jurgia ſuborirentur ex arrogantia divitum, quam merito S. Gregorius Nazianzenus (f) increpat, quod eos puderet cum pauperibus ſimul tingi, ideſt aquam ex eodem Fonte haurire.

Aliqui Eccleſiaſtici Scriptores obſervant Diaconiſſas antiquitus fuiſſe deſignatas ad id potiſſimum officium (g), ut foeminis veſtimenta detraherent, ac in ſolemni adminiſtratione Baptiſmi miniſtrarent, eaque ratione Diaconiſſae deſierunt poſtquam merſio in Baptiſmo obſolevit; Soter inſuper arcuit Mulieres, etſi Diaconiſſas, aut Monachas a miniſterio incenſi circa Altare, & a contactu vaſorum ſacrorum, quia Montani ſecta foeminas ſacris miniſteriis immiſcebat. Amplae igitur Domus, & aquarum venis inſtructae, quas plerumque offerebant Senatores, aliique nobiles Viri, & Matronae, nempe Pudens, Pudentiana, Praxedes, Lucina, & hujuſmodi erectae fuerunt in Titulos XXV., & in primarias Urbis Eccleſias; etſi Titulus Presbyteralis aliquando ex una in aliam Domum cum Fonte

 transla-

(f) *S. Gregorius* Nazianz. *Orat. de Baptiſmo*. (g) *Godeau. hiſtor. Eccl. tom. 1. ad ann. 250. Caſal. de vet. Chriſt. Ritib. par. 2. cap. 5.*

translatus esset, semper tamen tribus his saeculis numerus XXV. Fontium servatus est, cum forte commodior, & amplior aedes, aut lavacrum offerretur loco antiquioris Tituli saevientium Ecclesiae persecutorum rabie deleti.

Ex singulorum ferme Titulorum historia ostendi posset prope Thermas constitutos fuisse hos XXV. Titulos, quodque Fontes baptismales essent; verum aliquos tantum refero, ne magnam nimis Provinciam aggrediar, atque a suscepto dicendi onere deflectat oratio. In Thermis Domitiani, ac Trajani conspicitur Titulus, quem postea a Vinculis Beati Petri Apostoli, & ab Eudoxiae Ecclesia contigit appellari; eumdemque Titulum ex antiquissimis fuisse affirmat Venerabilis Beda (*h*). Proximus Titulus S. Martini in Montibus a Beato Sylvestro, deinde ab Equitio Presbytero nomen tulit. Super Thermas constructus cernitur in subterranea Ecclesia etiam nunc superstite, & inter praeclariora antiquitatis sacra monumenta merito recensetur. Hunc Titulum juxta Trajani Thermas erectum fuisse memorat liber Pontificalis (*i*). Titulus Pudentis Senatoris Patris praeclarissimarum Virginum Pudentianae, & Praxedis, Thermis Novati adhaesit. In Diocletiani Thermis S. Cyriaci fuit Ecclesia, ibique duo proximi Tituli, nempe Sanctorum Caii Papae, & Susannae Virginis extiterunt; quemadmodum etiam in Thermis Antonianis una fuere Titulus Sanctorum Nerei, & Achillei, sive Fasciolae, & Titulus S. Sixti Tigridis nuncupatus. Prope Pammachii Titulum nunc Sanctorum Johannis, & Pauli vocatum, plumbeos, & lateritios canales ad usum balneorum non multis ab hinc annis effossos perspeximus. Titulus similiter S. Chrysogoni erectus est in Thermis Severianis, ut cum Hugonio tradit Carolus Abbas Piazza (*k*). Ad Thermas Constantinianas fundatus est Titulus Sanctorum duodecim Apostolorum, ut ex antiquis Auctoribus testantur Panvinius, & Martinellus. Hunc demum S. Laurentii in Damaso

(h) *Beda in Martyrologio die 1. Augusti.* (i) *Anastasius in Vita S. Sylvestri.*
(k) *Piazza Hierarc. Card. pag. 378.*

maso Titulum; de cujus Fonte signanter modo agitur, prope fontes, ac balnea pariter situm fuisse constat ex eo quod in subterraneis Palatii Cancellariae Apostolicae cellis vinariis nostra aetate balneum diversis receptaculis ad aquam asservandam instructum repertum est: tum quia aliud quoque balneum juxta nostrum Titulum inter bona stabilia huic Basilicae a S. Damaso impertita apud Anastasium (1) fuisse liquet, de quo superius late sermo fuit.

Tituli ergo XXV. ab initio nascentis Ecclesiae per trium saeculorum ambitum a Divi Petri Successoribus ad Baptismum solemniter conferendum prope Thermas ut plurimum constituti, nulla unquam Urbis perturbatione everti potuerunt, quin statim per Summos Pontifices instaurati, eodem plane numero XXV. asservarentur; idque ex ea potissimum congruentiae caussa, ut Baptismus in primariis tantum, & insignioribus Urbis Ecclesiis administraretur.

Status alter Fontium baptismalium ad Gregorium IX.; & Clementem V. pertingit a B. Sylvestri aetate, qua primum licuit, Constantino Magno imperante, Basilicas Augustiores in Urbe excitare. Haec vero aetas eisdem Titulis superius memoratis, extensisque ad XXVIII. Presbyteros Cardinales ad abscessum usque Romanorum Pontificum ex Italia, qui contigit saeculo XIII., protrahitur. Cum enim tituli Presbyterorum Cardinalium, qui per tria priora saecula XXV. fuerunt, decem subsequentibus saeculis ad numerum XXVIII. excreverint, additio ipsa trium Titulorum mature admodum deliberata, mysterio non vacat, ut inferius ostendemus.

Post erectam Salvatoris Basilicam in Laterano, eamque constitutam Romani Pontificis Cathedralem, aliae etiam quatuor Basilicae fuere constructae, nempe Vaticana, Paulina in via Ostiensi, Liberiana in Exquiliis, & Laurentiana in Agro Verano, quatuor adinstar sedium post Romanam praecipuarum, scilicet Constantinopolitanae, Alexandrinae, Antiochenae, & Jero-

(1) *Anastasius in Vita S. Damasi.*

Jerosolymitanae, *ut per haec instituta*, referente Panvinio *(m)*; *demonstraretur Patriarcham, sive Pontificem Romanum, qui & ipse aliquando Patriarcha appellatus est, tanquam Caput, & Principem totius Orbis Ecclesiarum, alios quatuor Patriarchas, qui singillatim per suas Dioeceses totum Orbem Christianum regunt, & gubernant, subditos habere, ac aliis omnibus sedibus Patriarchalibus praeesse, ut Ecclesiae ipsius universalis unitas demonstraretur.*

In Cathedrali Salvatoris Basilica Lateranensi ab ipsomet Pontifice Maximo sacra peragebantur; singulis autem aliis quatuor Basilicis Urbis Patriarchalibus placuit assignare septem ex Presbyteris Cardinalibus, qui unoquoque hebdomadis die sacris fungerentur; verum quia numerus XXV. Titulorum Cardinalium a B. Cleto ad B. Marcellum servatus summam XXVIII. vicium, quae per quatuor septenaria Presbyterorum Cardinalium erant in quatuor Basilicis Patriarchalibus obeundae, non aequabant; hinc vetustioribus Titulis Romanis alii tres additi sunt, atque ita Tituli Presbyterales ad XXVIII. adaucti; quo in augmento universalis ministerii symbolum Sacrosanctae Romanae Ecclesiae proprium mirifice eluxit, cum in sacris paginis frequenter septenario numero mysteria figurentur; siquidem Apocalypsis (*n*) Johannis septem Ecclesiis, quae sunt in Asia dirigitur, in ea quoque legimus septem spiritus consistere ante Thronum Dei; Sacramentum septem stellarum, septem candelabra aurea, septem stellas, Angelos esse septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem Ecclesias esse. Quorum ad imaginem hodierno etiam ritu septem candelabra in Sanctuario collucent, & ad Evangelium, Pontifice Maximo solemniter celebrante, deferuntur.

Verum tribus, ut superius dictum est, titulis additis baptismalium quoque Fontium numerus est adauctus. Quemadmodum enim effusione aquae in baptismalis Fontis benedictione quatuor Terrarum Orbis partes ad mysterium universitatis, juxta atque unitatis ostendendum designantur, enumerando etiam

(m) *Panvinius de septem Urbis Eccl. cap. 1. pag. 6.* (n) *Apocalyp. cap. 1. v. 4, & 20.*

etiam quatuor fluvios ex eodem Paradiſi fonte manantes ad totam Terram irrigandam, ita etiam numerus ipſis Romanis fontibus quadruplici ſeptenario conſtitutus eſt, ut ejuſdem Eccleſiae unitatis, atque univerſitatis myſteria aperirentur; totum vero unitatis, atque univerſitatis myſterium elucere in firmo XXVIII. Titulorum numero, ac fontium, totidemque Presbyterorum Cardinalium, egregie oſtendit Mabillonius (*o*).

In Titulis habebantur Collegia Clericorum, quos nunc Canonicos vocamus, non ſecus, ac in Patriarchalibus, & præter Presbyterum Cardinalem Epiſcopalia jura exercentem veluti in ſua Dioeceſi deſignabatur ejuſdem Tituli Archipresbyter; ſicuti Vicarius, qui miniſteria ſacra loco Presbyteri Cardinalis in Titulo perageret, ut fuſe docet Cardinalis Albitius (*p*). Quod autem aetate Gelaſii Papae circa annum Chriſti 494. conſtituti fuerint Archipresbyteri ex veteribus documentis colligit Piazza (*q*). Romanis igitur Titulis debebatur etiam Archipresbyteralis dignitas, ex officio curam diligentem adhibens ad continendos Presbyteros, qui in minoribus Titulis, nempe in Parochialibus, & Cappellis Titulo tanquam Matrici ſubditis commorarentur: quae Cappellae nuncupantur modo filiales, & ſubeſſe debent Matrici de jure canonico, uti ex Decretalibus conſtat, poſt enarratos quatuor Fontium baptiſmalium ſtatus, allegandis.

Abſolutis duobus ad tertium procedimus, qui tempus abſentiae Romanorum ab Urbe Pontificum, & ſchiſmatum ſubſecutorum uſque ad Martinum V., ejuſque Succeſſores per ſaeculum integrum, & poſt eorumdem ſchiſmatum abolitionem uſque ad B. Pium V. complectitur; profectione enim Summorum Pontificum extra Italiam, & furentium ſchiſmatum factionibus, res omnes ſacrae, atque Hierarchiae Eccleſiaſticae ordo eſt ita perturbatus, ut vix aliquid in exemplum Eccleſiaſticae diſciplinae poſſit commemorari.

Poſt

(o) *Mabillonius Muſaei Italici tom. 2.* (p) *Diſcept. de tit. & Diacon. Card. impreſ. penes Card. de Luc. de Juris dict. in fine.* (q) *Piazza Hierarch. Card. pag. 328.*

Post Honorii II. Pontificatum, labente Aerae Christi XII. saeculo, subrogatio Presbyterorum Cardinalium in Titulos Urbanos, Rectoribus suis destitutos, negligi coepit, *neque enim*, inquit Panvinius *(r)*, *ut antiqua consuetudo erat, statim in defuncti, vel abdicantis locum alter amplius Cardinalis subrogabatur. Quare factum est, ut Presbyterorum Cardinalium numerus sensim decrescere coeperit, & processu temporis adeo paullatim diminutus est, ut aliquando tempus fuerit, in quo nonnisi duo Presbyteri Cardinales viventes in Collegio essent, quemadmodum accidit sub Alexandri Papae IV. obitu, & Urbani IV. creatione anno salutis 1261. Tituli interim vel sine Cardinalibus erant, sed ab Archipresbytero suo, aut Canonicis regebantur, vel alicui ex Collegio Cardinalium a Pontifice commendabantur.*

Archipresbyterorum necessitas in quolibet Titulo eo major haberi coepit, postquam Romani Pontifices Avenionem se contulerunt; quantaque demum aedium sacrarum calamitas, & Cleri confusio fuerit, dum per septuaginta annos Urbs Pontificum praesentia caruit, explicari non valet. In Titulis praecipue Cardinalitiis, qui suos Rectores non habebant, magna rerum perturbatio facta est, unde filialium Ecclesiarum usurpatio adversus Matricum Jura processit, quibus tuendis nullius auctoritas defensoris aderat, nec prompta tanto locorum intervallo Apostolicarum literarum executio, si quae a Summo Pontifice in Galliis permanente impetrarentur; tum filialium Parochialium contra Archipresbyteros, & Capitula XXVIII. Titulorum licentia, tot inter revolutiones, seditionesque, quibus non modo Urbs, sed Ecclesia quoque universa dilacerabatur, irrepsit. Mitius tamen agi visum esset si Fontium tantummodo baptismalium disciplina intercidisset, graviora enim vulnera Religioni inflicta sunt, ideoque Pontifices a Martino V. ad B. Pium V. in majoribus aerumnis propulsandis, & abusibus excindendis involuti, occupatique, haec detrimenta antiquis moribus, ac Cardinalium Titulis circa locum administrationemque Baptismi illata, toleranda duxerunt: omnibus tandem

tum

(r) *Panvinius in lib. de VII. Urbis Eccl. cap. 2. pag. 23.*

tum ad dogma, tum etiam ad disciplinam pertinentibus quaestionibus, quae Catholicam Ecclesiam diu perturbaverant, in Sacro Tridentino Concilio sub Pio IV. definitis, proximus ejus Successor S. Pius V. inter majores sui regiminis curas hanc restituendi in Domo Dei antiquum ordinem, & sacrorum ministerium juxta primorum Pontificum institutionem, totis animi viribus suscepit: cum enim divinae psalmodiae in Breviario Romano ritum anno tertio sui Pontificatus constituisset, anno deinde quarto baptismalium Ecclesiarum disciplinam, & numerum ad antiquum ordinem, & connexionem redegit; habita in primis ratione ad Titulos, & Urbis Ecclesias, quae insigniores, & primariae sunt, ut ipsemet in sua Constitutione, secutus Praedecessores Pontifices Cletum, Evaristum, Dyonisium, & Marcellum, testatur.

Quartus demum status Fontium in Urbe baptismalium ab edicto S. Pii V. nostram tangit aetatem, qua per hujus Sanctissimi Pontificis, & Successorum augmenta, in aliàs constituto XXVIII. numero firmatus est, seclusa tamen ab hoc numero Ecclesia S. Spiritus in Saxia, quae nec Titularis, nec Parochialis est, neque Baptismum pueris, quorum de Paraecia constet, administrat, sed tantum facultate potitur conferendi Baptismum parvulis incertorum natalium, qui ad Xenodochium ejusdem Ecclesiae deferuntur.

Praecipua sane admiratione digna videtur Pii V. constitutio in numeri eorumdem Fontium conservatione, qua siquidem universam Ecclesiae Romanae disciplinam complexus est, dum Fontes in Patriarchalibus, & in iis Titulis, qui antiquitus Archipresbyteros obtinuissent, servavit, & in quibus Canonicorum Collegia Saecularium, aut Regularium reperiuntur, vel Conventus insigniores antiquorum ordinum mendicantium a generalibus Conciliis, & a Summis Pontificibus in Cleri Saecularis auxilium approbatorum; ut scilicet universalis Ecclesiae imago in hac Romana omnium Parente, & Magistra ubique refulgeret.

Ad majorem illustrium in Urbe Ecclesiarum notionem, quae lustrali Fonte donatae sunt, singillatim eas enumerare consentaneum arbitramur. Praemittendum tamen censemus ultra quatuor superius recensitas Ecclesias in Urbe Patriarchales, alteram quoque a B. Liberio in Exquiliis excitatam Patriarchali dignitate praefulgere sub invocatione S. Mariae Majoris, quae baptismali Fonte caret. Duae igitur in eo numero sunt Patriarchales, nempe I. S. Johannis Lateranensis, & II. S. Petri in Vaticano. Sequuntur Titulares, & Collegiatae Ecclesiae, quarum duae priores hodie praeferunt nomen Basilicae, nempe III. S. Laurentii in Damaso, & IV. S. Mariae Transtyberim; mox Collegiatae insignes. V. S. Mariae ad Martyres. VI. S. Marci ad Palatinas. VII. S. Nicolai in Carcere. VIII. S. Mariae in Via-Lata. IX. S. Eustachii. X. S. Angeli in Foro Piscium. XI. SS. Celsi, & Juliani, omnes Canonicales. XII. S. Laurentii in Lucina Titularis, quae sedente Pio V. erat pariter Collegiata, sed Collegium Canonicorum abrogatum fuit a Paulo V. in constructione Cappellae S. Mariae Majoris, cui ab eodem Pontifice proventus, & onera ejusdem Collegii sunt attributa. Collegiata pariter, ac Titularis est XIII. Ecclesia SS. Quirici, & Julittae, translato in eamdem antiquo titulo S. Cyriaci in Thermis. Tituli pariter, & Collegii honore claruit XIV. Parochialis Ecclesia S. Apollinaris sedente B Pio V., verum ejus Successor Gregorius XIII., suppresso Collegio Canonicorum Cleri Romani, Collegium Germanicum in eadem instituit. Titulus S. Mariae de Pace, qui in Pii V. edicto occurrit loco XV., Canonicorum Regularium Collegio instructus est, & Abbatis Mitrati dignitate decoratur. Sequuntur VIII. Tituli, in quibus modo degunt Regulares antiquorum mendicantium Ordinum a Conciliis generalibus approbatorum cum praecipuis conventibus Sacerdotum, scilicet XVI S. Mariae supra Minervam Fratrum Praedicatorum. XVII S. Marcelli Servorum B. Mariae Virginis, in quo Titulo fuit olim Collegium Canonicorum suppressum anno 1369.

XVIII.

XVIII. S. Martini in Montibus, five Equitii Titulus, ubi pariter Martinellus commemorat extitiffe Collegium Canonicorum, nunc vero Carmelitarum. XIX. S. Chryfogoni Carmelitis pariter attributus, ubi Canonicos olim fuiffe ex pluribus ejufdem Tituli Presbyteris arguit Abbas Piazza. XX. S. Auguftini Titularis Ecclefiae fubrogatae in locum S. Tryphonis, quae poffidetur ab Eremitis Ordinis S. Auguftini. XXI. S. Mariae de Populo Titularis, & Ordinis ejufdem. XXII. Titularis SS. duodecim Apoftolorum, ubi a Conventualibus S. Francifci Sacra peraguntur poft impetratam a Beffarione Cardinali fubftitutionem in locum Collegii Canonicalis ibidem antea conftituti. Collegio Presbyterorum Saecularium nationis Gallicanae claret Ecclefia S. Ludovici, quae XXIII. loco legitur in edicto Pii V., & fimili Collegio Presbyterorum Saecularium a S. Philippo Nerio inftituto decoratur. XXIV. Ecclefia Parochialis S. Johannis Baptiftae nationis Florentinorum.

Adjectae funt poftmodum viginti quatuor fupra enumeratis aliae quatuor Parochiales, quibus Fons baptifmalis fuit conceffus, ideft XXV. S. Francifci de Paula a Fratribus Minimis impetrata, quae Parochialis evafit in locum Diaconiae SS Sergii, & Bacchi ab iifdem Regularibus olim poffeffae, nunc vero a natione Ruthena. XXVI. S. Andreae de Frattis olim nationi Scotorum, nunc Ordini Minimorum cum praecedenti affignata. XXVII. SS. Vincentii, & Anaftafii Diaconalis, adminiftrata a Clericis Regularibus, qui minores appellantur. Poftremo XXVIII. Titulus S. Mariae Tranfpontinae datus Carmelitis, non fecus ac Tituli S. Chryfogoni, & S. Martini fupra memorati. Et hic eft numerus Ecclefiarum, quae a Pii V. edicto facro Fonte decorantur. Quod ut clarius appareat, Jacobi Cardinalis Sabelli ejufdem S. Pontificis Vicarii edictum anno 1569. publici juris factum, referre vifum eft.

JACOBUS miseratione Divina Tituli S. Mariae in Cosmedin S. R. E. Presbyter Cardinalis Sabellus Sanctissimi D. N. Papae Vicarius Generalis.

CUm pro nostro officio Almae Urbis Ecclesias inspexerimus, multis de causis expedire visum est Baptismales Fontes a minoribus Ecclesiis, quaeque ob populi frequentiam minus celebres sunt, ad insigniores, & primarias Urbis Ecclesias transferre, ut majori cultu, atque ornatu pro rei ipsius Sanctitate salutare hoc regenerationis nostrae Sacramentum ministretur. Quamobrem auctoritate S. D. N. Papae vivae vocis oraculo Nobis facto viginti quatuor Parochiales Ecclesias delegimus, in quibus Baptismi Sacramentum conferri volumus, plerisque autem earum habita in primis Titulorum, & Fidelium commoditatis ratione, quod ad Baptismum tantum attinet, alias Parochias attribuentes. Itaque omnibus, & singulis Parochiarum dictae Urbis, & Suburbiorum Rectoribus quocumque nomi ne nuncupentur, iis dumtaxat exceptis, quos nunc ad baptizandi munus elegimus, quorum nomina infrascripta sunt, edicimus, ne imposterum sacrum baptizandi officium in eorum Ecclesiis, excepta necessitatis causa, exerceant, exercerive, faciant, & permittant, qui secus fecerint, moeritis poenis, & aliis arbitrio nostro mulctabuntur. In quorum omnium, & singulorum fidem praesentes fieri, & per Notarium nostrum infrascriptum subscribi, sigillique nostri, quo in talibus utimur, jussimus, & fecimus impressione muniri. Datum Romae in Aedibus nostris sub Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Indictione XII., die vero 23., mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pii Divina providentia Papae V. anno quarto.

In hoc Cardinalis Sabelli edicto omnes Urbis Ecclesiae Matrices cum suis filialibus, & dependentiis recensentur. Inter quas hujus nostrae Basilicae filiales triginta, & septem describuntur, quae cum in Constitutione Urbani III. superius relata anno 1185. ad numerum sexagesimum sextum pertingerent, anno postea 1569. Pontificatus S. Pii V. ob nonnullarum suppressionem, ac demolitionem ita decreverunt, ut in praeallegato edi-

edicto triginta, & septem tantum enumerentur, quas referre non abs re erit.

Ecclesia S. Laurentii in Damaso habeat limites intra Paraecias subsequentes.

S. Agnetis in Agone.
S. Andreae Nazareni.
S. Barbarae.
S. Benedicti Regionis Arenulae.
S. Benedicti in Clausura.
S. Blasii de Anulo.
S. Blasii della Fossa,
S. Ambrosii de Maxima.
S. Catharinae in Catinaria.
S. Nicolai de Incoronatis.
S. Nicolai de Caesarinis.
S. Nicolai de Cavaleriis.
S. Nicolai in Agone.
S. Pauli Arenulae.
S. Salvatoris in Cacaberis.
S. Salvatoris in Unda.
S. Salvatoris in Campo.
SS. Simonis, & Judae.
S. Simeonis.
S. Caeciliae in Monte Jordano.
S. Leonardi.
S. Mariae in Vallicella.
S. Mariae in Cacaberis.
S. Mariae in Publicolis.
S. Mariae in Candelora.
S. Mariae Grottae pintae.
S. Martinelli.
S. Mariae in Monticellis.
S. Johannis in Ayna.
S. Salvatoris in Primicerio.
S. Stephani ad Vaccinarios.
S. Stephani in Piscinula.
S. Thomae in Parione.
S. Thomae della Catena.
S. Thomae de Cinciis.
SS. Vincentii, & Anastasii.
S. Valentini.

Ex peculiari igitur dispositione Sacrosanctae Romanae Ecclesiae in quatuor Fontium baptimalium statibus descriptis satis demonstrasse videmur, nulli filiali Ecclesiae jus baptizandi competere; prioribus enim tribus Ecclesiae saeculis, nempe in prima Fontium institutione a Sanctis Pontificibus Cleto, Evaristo, Dyonisio, & Marcello viginti quinque sunt erecti; in secunda sub Sanctissimis Pontificibus Sylvestro, Liberio, Damaso, & Successoribus post excitatas Basilicas Patriarchales, constanti designatione universitatis mysterium exprimentes ad numerum vigesimum octavum extensi fuere; in tertia postmodum, quamquam diuturna ducentorum ferme anno-

rum

rum perturbatione, Pontificum recessu, atque schismatibus aucta, eorumdem tamen numerus quatuor septenaria non excessit, ut testatur Nicolaus Signorilis, sedente Martino V. Senatus, Populique Romani a secretis, cujus liber manuscriptus asservatur in Bibliotheca Vaticana; in quarta demum cum tot in Urbe Fontium usurpationes minus legitimas S. Pius V. adspiceret ad ejusmodi abusum de medio tollendum sedulo incubuit, idque per mox relatum sui Vicarii edictum perfecit. Confirmatam quoque aetate nostra hanc Ecclesiae dispositionem non augendi lustrales Fontes supra numerum vigesimum octavum vidimus per Decretum Sacrae Congregationis Visitationis Apostolicae a Sanctissimo Pontifice Clemente XI. veteris disciplinae prae ceteris retinentissimo, pristinaeque dignitatis Titulorum restitutore, speciali sua Constitutione roboratum adversus Ecclesiam Parochialem SS. Blasii, & Caroli ad Catinarios, S. Laurentii in Damaso Basilicae filialem, quae Fontis usum obtinere praesumpserat, ne ad eumdem honoris gradum ceterae filiales hujus Basilicae animum intenderent; quod sane juri communi Sacrorum Canonum inferius ostendetur adversari. Enunciatam modo Clementis Constitutionem subjicere libet.

CLEMENS PP. XI.

AD futuram rei memoriam. Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum super negotiis Visitationis Apostolicae Ecclesiarum, & locorum Piorum Almae Urbis nostra auctoritate Apostolica institutae deputatorum decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

In causa Romana Fontis baptismalis vertente inter Clericos Regulares Congregationis S. Pauli in Ecclesia SS. Blasii, & Caroli ad Catinarios, ejusque Parochum, & Capitulum, & Canonicos, ac Vicarium-Curatum Basilicae S. Laurentii in Damaso fuit propositum infrascriptum dubium: An Ecclesiae Parochiali SS. Blasii, & Caroli ad Catinarios danda sit reintegratio ad Fontem baptismalem, seu potius: an eidem nova erectio per-

permittenda sit in casu &c. Sacra Congregatio Visitationis Apostolicae proponente Eminentissimo D. Cardinali Colloredo, utraque parte informante, respondit negative quoad utrumque. Romae 29. Martii 1707.

J. de Totis Secretarius.

Cum autem, sicut dilectus filius noster Petrus S. Laurentii in Damaso ejusdem S. R. E. Diaconus Cardinalis Ottbobonus nuncupatus S. R. E. praesatae Vicecancellarius nobis nuper exposuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsius Petri Cardinalis, & Vicecancellarii desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes supplicationibus ejusdem Petri Cardinalis, & Vicecancellarii Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Martii 1707. Pontificatus Nostri Anno septimo.

F. Oliverius.

Ecclesiarum filialium a Matricibus dependentia, quam usque in praesentem diem farctam tectamque servatam in Urbe fuisse supra late ostendimus, atque probavimus, duorum etiam praecipue Sacrorum Canonum dispositione sancitur. Primus habetur in *Cap. Dilectus filius tit. de Cappel. Monach* quo cum circa finem saeculi XII. Cappella S. Laurentii in Piscinula subjectionem Baptismi, & Scrutinii a se debitam Ecclesiae S. Caeciliae praestare detrectaret, per sententiam Innocentii

III.

III. haec Cappella ad obsequium Baptismi, & Scrutinii eidem Matrici reddendum adacta fuit. Nomine autem Cappellarum etiam Parochiales aliquas a Matrice dependentes intelligi oportere certi juris est. Secundus colligitur ex *Cap. His quae de majorit., & obedient.*, ex quo eo tutius constat, quo evidentius liquet Decretalem istam diserte loqui de Ecclesia S. Laurentii in Damaso, ejusque caussa editam postmodum in Juris communis regulam devenisse, eaque uti Matrices, & Titulos, ut validissimo scuto ad filialium Ecclesiarum praesumtiones deprimendas; in cujus Commentario inquit Fagnanus (s): *Hic est textus, qui ad hoc consuevit quotidie allegari, & non reperitur alibi, quem omnes extollunt.*

Promotis a Cappellis subjectis huic Matrici Ecclesiae coram Sanctissimo Pontifice Honorio III. anno 1216. aliquibus controversiis super Scrutinio, & aliis articulis, auditis juribus ambarum partium, idem Pontifex decrevit, *ut earumdem Cappellarum Presbyteri, & Clerici, Cardinali, qui nunc est in ipsa Ecclesia, & qui fuerint per tempora, manualem obedientiam, & reverentiam, & honorificentiam omnem exhibeant, & ad Ecclesiam ipsam pro Scrutinio, Baptismo, & Capitulo celebrandis conveniant temporibus consuetis, correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, & excomunicationis, interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos, & Ecclesias eorumdem inviolabiliter observantes. Quando autem Ecclesia ipsa Cardinali vacabit, Cappellani, & Clerici memorati eidem Ecclesiae reverenter exhibeant omnia supradicta, excepto quod de correctione, excomunicatione, & suspensione ipsorum pro bono Pacis, nostrae providentiae reservamus.*

Matricis vocabulum interpretatur Glossa Majorem, & baptismalem Ecclesiam, eoque dici Matricem, (t) *quia sicut Mater generat, sic illa generat per Baptismum.* Haec tria enim vocabula, nempe Ecclesia Matrix, Ecclesia baptismalis, & Major Ecclesia reputantur Synonima, adeoque intra limites Matricis

(s) *Fagnanus in 2. parte Decretal. cap. his, quae de major. & obed. num. 15.* (t) *In Clement. ex frequent. de sentent. excom.*

tricis Ecclesiae, & Cappellarum filialium unicus tantum lustralis Fons ad Baptismatis Sacramentum conferendum aperiendus.

Exponendum modo videtur, quid jure Scrutinii censeatur. Scrutinium erat examen Catechumenorum, quod praemittebatur baptismo solemni in forma Ecclesiae consueta cum Ritibus, ac caeremoniis praescriptis in Sacramentario Gelasii, & S. Gregorii Papae, atque in Ordine Romano, modo Rituali vocato; ut enim Glossa diserte tradit in praefato *Cap. Dilectus*, appellatur Catechismus, sive exorcismus, vel instructio, quae fieri baptizandis mos erat pluribus ante baptismum diebus.

Ex his communibus Titulorum Juribus, Ecclesiis Matricibus in filiales concessis praecipuum etiam jus huic Basilicae tribuitur a superius recensita Honorii III. Decretali, ut alias doctissimi Sacrae Romanae Rotae Patres comprobarunt (*u*), quod est augustissimum Themidis Tribunal, & quasi Templum, in quo viget legum Sanctitas, judicii, & prudentiae longo rerum usu corroborata maturitas.

Inter cetera obedientiae, reverentiae, & honorificentiae jura, & officia, quae S. Laurentii in Damaso Basilicae a filialibus Ecclesiis exhibentur, observatione dignum est, quod Presbyteri earumdem Rectores non modo ad conveniendum ad Matricem ante benedictionem Fontis, sed in ipsa benedictione compelluntur ad praestandam praesentiam quousque absolvatur benedictio, & baptismus, si aliqui sint baptizandi, qui tunc a Canonico sacra Mysteria peragente cum Vicarii-Curati interventu confertur. Quae, ut circa interventum Fontis benedictioni, tam Sabbatho Majoris Hebdomadae, quam Vigilia Pentecostes a praefatis Ecclesiarum filialium Parrochis exacte serventur, poena unius aurei de Camera pro qualibet vice non intervenientes mulctantur.

Paraecia prope pontem Elium posita, nomine SS. Celsi, & Juliani occasione translationis Corporum SS. Celsi, & Jovitae, ac

(u) *Decis. 524. Recent. p. 19. tom. 2.*

ac Basilissae a Matrice S. Laurentii divisa remansit, ut pariter pluribus aliis hujus Basilicae filialibus variis rerum eventibus ab ipsa separatis contigit, Matrici tamen semper obsequio servato, quod ex Bulla Urbani III. hic referenda deducitur, quam non gravabor exscribere ex memorato superius, & laudato Praesule Johanne Ciampino opusculo singulari de S. R. E. Vicecancellario: quod praefari oportuit, ne meae quis negligentiae tribuat, si mutilam illam alicubi, & mendosam offenderit.

URBANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

D*ilectis Filiis Clericis S. Celsi salutem, & Apostolicam benedictionem. Licet universis Ecclesiis ex suscepto simus ministero debitores Ecclesiae gloriosissimi martyris Laurentii, in qua, largiente Domino, nostrae suscepimus primordia dignitatis, Episcopali tenemur consideratione adesse, ut diminutione Juris, & honoris ejus maligna negligere conscientia non possumus. Inde est siquidem quod ei volentes justitiam conservare, vobis per Apostolica scripta districte praecipimus, quatenus Cardinali, qui pro tempore fuerit in Ecclesia ipsa, & Capitulo ejus obedientiam, ac reverentiam debitam, tam in Capitulis, quam in servitiis, & aliis omnibus sine contradictione qualibet impendatis, nisi speciali privilegio, vel alia sufficienti ratione possitis vos tueri. Porro si de jure ad praesens duxeritis reclamandum, sub examine dilectorum nostrorum Rectorum, ac Priorum Fraternitatis, vestram prosequimini rationem. Datum Veronae nonis Decembris.*

Ut notiora sint ea, quae tantae Matris, ejusque filiarum nitorem, splendoremque augere possunt, opportunum censemus, majori qua licitum erit sedulitate colligere memorias earumdem, explorato in earum narratione ordine situs, sive Regionis, in qua constitutae erant: verum cum nonnullarum ex relatis Ecclesiis filialibus nomina immutata sint, vel ab hominum memoria ita exciderint, sive ipsae Ecclesiae demolitae, aut prophanatae fuerint, hinc operosissimum, ac perdificile admodum

dum

dum redditur eas in praesentiarum omnibus vestigiis indagare, temporum etenim injuria, & fortuitis eventibus pertinentia ad has Ecclesias, ita perturbata, atque confuse, ac inordinate reddita fuere, ut conjecturis potius, quam certa rerum veritate disserendi aditum praebeant; attamen in lucem denuo emittere pro Viribus conabimur, illasque recensebimus juxta ordinem mox allegatae Bullae Urbani Papae hujus nominis III.

CAPUT II.

De Ecclesia Sanctae Agnetis de Cryptis Agonis.

INter tot filiales huic perinsigni Basilicae addictas, primo ab enunciata Urbani III. Bulla decoratur loco Ecclesia Sanctae Agnetis in Agone, seu de Cryptis Agonis, sic nuncupata a celebri Platea Agonali, ubi ipsa Ecclesia admodum vetusta sita erat; de eadem Nardinus (x) in sua Roma dum fundamenta pro moderna reaedificatione foderentur, parastades e Tyburtino lapide ibidem detectas se vidisse commemorat, quas rudera esse Circi Alexandri Severi Imperatoris arbitratur. Platea siquidem antiqui illius, & celeberrimi Circi, nuncupati Agonalis spatium, speciemque refert, cujus nominis rationes multae probabiliores, rationique maxime consentaneae praecipue a Blondo recensentur (y). Una videlicet, quod pro Agnali corrupte Agonalis appellaretur ab Agnis, qui ibi immolabantur; aliam ex ritu sacrorum ductam existimat Varro (z), in quibus Minister strictum ad Arietem jugulandum tenens cultrum rogare consueverat; Agon? Altera, quia Minister hostiam inanibus Diis immolaturus, priusquam strictos cultros calido cruore madefaceret, semper, Ago ne? rogabat, nec nisi jussus agebat, uti Ovidius cecinit:

Nominis (a) esse potest succinctus Caussa Minister,
Hostia Caelitibus, quo feriente, cadit.

(x) *Martinell. Rom. Sacr. pag.* 45. *Nardinus lib.* 6. *cap.* 5. *Reg.* 9. (y) *Blondus Rom. Triumph. pag.* 34. (z) *Varro de lingua lat. lib.* 5. (a) *Ovid. in Fastis lib.* 1. *vers.* 320.

Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper Ago ne? rogans, nec nisi jussus, agit.

Postrema vero, cui idem Ovidius, Nardinus *(b)*, omnesque fere Romanarum antiquitatum Scriptores inhaerent, est Agonalia a Graecis ludis Graeco pariter vocabulo denominari. Hinc idem Ovidius.

Fas etiam fieri solitis aetate Priorum
Nomina de ludis Graja tulisse diem.
Et prius antiquus dicebat Agonia sermo;
Veraque judicio est ultima Caussa meo.

Cum itaque hic Circus undequaque moenibus coerceretur, quamplura in his cubicula fornicibus obducta, impudicarum sedes Mulierum existebant, quae cubicula ad inferiorem locum pertinebant post spectatorum sedilia: postrema vero, utpote magis depressa, fornices vocabantur, ex quibus turpe illud crimen fornicationis nomen duxit, a fornicibus nempe, in quibus peccabant meretrices. Sat enim constat auctoritate S. Hieronymi (*c*), ut praetermittam Gentilium Poetarum testimonia in fornicibus spectaculorum manere consuevisse publica scorta, & alias publicas libidinis illecebras, donec sub Constantino Imperatore, Christi Evangelio coruscante, & infidelitas universarum gentium, & turpitudo deleta est.

Quam infelix, & miseranda esset conditio Virginis a lenone prostitutae, pluribus demonstrat Vibius apud Senecam *(d)*. Misera includebatur Cellula, in cujus fronte titulus superpositus nomen Virginis prostitutae, & pretium constitutum indicabat, moxque fiebat concursus libidinosorum ad meretricem novam: ex his omnibus discamus, virtutem Christi, inquit S. Basilius (*e*), qui in tam flagitioso discrimine constitutas Virgines, saepissime vindicavit, ut haec ipsa Martyrum Acta adstipulantur. Ad hoc meretricum contubernium in Lupanar

ducta

(b) *Ovid. in Fastis lib. 1. vers. 330.* (c) *S. Hieronym. in Isaiam cap. 2.* (d) *Seneca in Controvers. lib. 2. controv. 2.* (e) *S. Basilius lib. de vera Virginit.*

ducta S. Agnes, cujus nomen inquit S. Augustinus (f), latine Agnam significat, graece castam, ut publice puritatis flore orbaretur, quem tantum caelesti Sponso illibate servandum promiserat, duplicem, & Virginitatis, & Martyrii palmam obtinere promeruit; spectaculi quippe agonalis fornices, vulgo corrupte furnos nuncupatos, appellatione orta ab Aevo inferiori, cum corrumpi coepit latinorum lingua, publicae libidinis scortis infames, innocentissima Virgo Agnes sanctificavit, Angelusque lumine quasi radiante Sole illustravit. Cum enim Virgo duodecim annorum illustri genere, & egregia forma esset Sempronii filius Urbis Praefecti ejus amore incensus eam a Parentibus in Uxorem requirit. At illa speciosiorem forma prae filiis hominum se accepisse respondens, hujusmodi Nuptias constanti animo recusavit. Sempronius vero cum Agnetem nec minis, nec blanditiis a suscepto proposito posset dimovere, hoc unum profecto eligendum constituit, aut inanes Deos venerari, aut in hunc turpitudinis locum publice violandam duci. At Virgo cultum Idolorum execrans, tanto furoris impetu Praefectus exarsit, ut vestibus exutam tubarum sonitu ad eum ignominiae locum Agnetem perduci imperaverit, ibi tamen expansis comis mirabiliter contecta Virgo permansit; inde in ardentem rogum projecta, majorem in flammis eam non laedentibus, quam in Tyranno clementiam invenit: nam illae, ut in Babilonis fornace, Carnifices, non Puellam, incenderunt. Demum gladio percussa, quasi innocens Agna ad suum divinum Sponsum duodecimo aetatis anno, & Redemptionis CCCIII. in Caelorum Regnum feliciter evolavit. Illustrem hanc Virginem celebriores Ecclesiae Patres praeconiis extulerunt. S. Damasus de eadem Sancta Virgine, & de Basilica ipsius in Via Nomentana, quam Constantina, sive, ut ajunt, Constantia S. Virgo, Constantini Imperatoris filia erigendam curavit, duo scripsit Epigrammata, relata hoc in Opere libro primo.

Pru-

(f) *S. Augustinus sermo de S. Agnete, & sermo* 101.

Prudentius etiam hymno pereleganti passionem ejus cecinit, cujus initium.

Agnes sepulchrum est Romulea in Domo,
Fortis Puellae Martyris inclytae.

Locus ille, qui prius ad ejus candorem labefactandum fuerat designatus Divino cultui postea mancipatus, & ad honorem tam praeclarae Virginis, ac Martyris in Templum dicatus fuit, atque consecratus.

Jacobus Trimaldus hanc Ecclesiam putat eam esse, quam Anastasius (*h*) Bibliothecarius *ad duo furna* vocat. Prae foribus in marmorea tabula pervetustae ipsius Ecclesiae dedicationis inscriptio extabat, quam Floravantes Martinellus refert (*i*).

Anno Domini MCXXIII.
Ind. I. Mensis Januarii, die XXVIII.
Haec Ecclesia S. Agnae dedicata est
A Domino Callisto II. PP.
Cum remissione annuatim in d. Die
Unius Anni, & XL. dierum
Hae sunt Reliquiae in Altari positae
scilicet
Indumentum quod Angelus detulit
Beatae Agneti
De Capillis & Velo B. Mariae Virginis
Dens Apostoli Pauli,
Et de panno oculis praeposito
In decollatione ejus.
Brachium S. Callisti PP. & Martyris, S. Agnetis,
S. Emerentianae, S. Anastasii, S. Eustachii.
De Baltheo S. Gregorii PP., S. Tryphonis, S. Sebastiani,
S. Hermetis, S. Alexandri PP., S. Cornelii Papae.

Ad ejusdem Templi decorem augendum Leo X. inter Parochiales Ecclesias, & S. R. E. Cardinalium Titulos hanc quoque S. Agnetis adnumerandam esse decrevit. Postmodum ad pre-

(h) *Anastas. in Vita Leonis III.* (i) *Martinellus Rom. Sacr. pag.* 52.

preces Alexandri Cardinalis Montalti S.R.E. Vicecancellarii cum Clericorum Regularium minorum regulare institutum Sixtus Papa V. approbasset, eisdem Ecclesiam, curaeque Animarum administrationem concessit anno 1597. Pluribus haec Paraecia decoratur Insignibus, cujus antiquitatis memoria non solum a relata Urbani III. Bulla, verum a multis Ecclesiarum Urbis Scriptoribus commendatur, & praecipue a Panciro-lo (*k*), qui in ea salutari Baptismatis lavacro fuisse regeneratam S. Franciscam, sacroque Chrismatis Oleo delibutam, affirmat. Quare Populus Romanus ad solemniori celebritate anniversarium S. Virginis diem recolendum perpetuo calicem cum cereis facibus offerre instituit.

Verum cum Ecclesia ista jam sua vetustate pene collaberetur, Innocentius X., eam [quia Pamphilianae domui fere contigua erat] demolitus est, ac in novam, magnificentissimamque formam extrui voluit. Cujus Ecclesiae primum lapidem ab eodem Innocentio benedictum, posuit Johannes Baptista Pamphilius die 15. Aprilis anno 1652., cui inscriptum erat, ut testatur Martinellus (*l*).

Innocentius X. P. O. M.
Fundavit ann. MDCLII.
primum hunc lapidem
ab Innocentio X. P. O. M.
rite benedictum posuit
Joannes Baptista Pamphilius.

Quapropter nobilissima resurrexit propter elegantium marmorum varietatem, picturarum decorem, nec non operum scalpro mirifice elaboratorum excellentiam, ac anaglyphici pariter operis auro obducti coruscationem, sacrorumque vasorum auri, & argenti numerum. Inter quae praecipue emicat speciosissima sacra Theca auro confecta, quampluribus adamantibus, lapidibusque pretiosis ornata, cujus pretium centum millium aureorum summam pertingere perhibetur.

Hujus

(k) *Pancirol. Tesaur. occult. Reg. 12. Eccl. 7.* (l) *Martinell. Rom. Sacr. pag. 452.*

Hujus postea novae fundationis occasione, hanc Ecclesiam a filiatione Basilicae Matricis exemptam fuisse autumat Ciampinus *(m)*, & tunc praefati Clerici Regulares amoti sunt, & eorum loco erectum Collegium Presbyterorum Saecularium, & puerorum Seminarium ab ipso Pontifice Innocentio X., ut in eadem Ecclesia Divina Officia peragerent. Qui Innocentius X. privilegia plura in duabus Constitutionibus huic Ecclesiae indulsit, in quibus quamvis cura Animarum ad proximas Paraecias deducta fuerit, omne tamen Matricis jus, Ecclesiae S. Laurentii in Damaso, tam quoad Sacramentorum administrationem, quam quoad Cadaverum sepulturam fuit reservatum.

C A P U T III.

De Ecclesia S. Thomae in Parione.

IN Regione duodecima Urbis sita est haec Ecclesia, quae in Parione nuncupatur. Hanc vocem aliqui desumtam esse arbitrantur a latino vocabulo Apparitores, quod idem ac statores sonat, qui vulgo Cursores appellantur, & ad judicium vocandi, Magistratibus adstandi, & exequendi munus exercent, ut testatur Pancirolus *(n)*. Quoniam vero plures in hac Regione reperirentur, exinde ipsi hoc nomen inditum est.

Quamplures huic S. Apostolo dicatae fuerunt Ecclesiae in hac Urbe, inter ceteras haec praecipua, quam Leo Papa X. anno 1515. Presbyteri Cardinalis Titulo decoravit. Perseverat adhuc in dependentia, & subjectione Basilicae S. Laurentii in Damaso, quam colit veluti Matricem.

Priusquam tamen sermo de hac Ecclesia nobis sit, egregias tanti Apostoli laudes in summa commemorare decet.

Hic ut fertur, postquam variis Orientis nationibus Evangelica Praedicatione Fidem propagasset, tandem cum Calami-

nam

(m) *Ciampinus de Vicecancel. p. 154.* (n) *Pancirolo Tesori nascosti Rione XII. p. 116.*

nam appulisset, exemplo, miraculisque Pagano Rege ad fidem converso, agrum ab eo, atque caementa ad Templum aedificandum impetravit; quod adeo Brachmanorum Sacerdotum Idola colentium furorem, ac invidiam accendit, ut nocte in Monte ante marmoream Crucem orans, lapidibus, jaculisque obrutus, & lanceis transfixus interfectus est. Ejus sacrum Corpus a Discipulis (o) ereptum in eodem Templo tumulatum fuit. Currente postea (p) anno 236, cum Alexander Imperator palmam de Persis retulisset, ejusdem S. Apostoli Corpus Edessae Christifidelibus impertivit, qui ejus in honorem (q) magnifice Templum construxerunt, tantaque Fidelium multitudo ex cunctis Orbis terrarum partibus illuc afluebat, ut merito S. Johannes Chrysostomus (r) Divi Thomae sepulchrum Principum Apostolorum gloriosi tumuli honoribus comparaverit. Hujus S. Corporis translationis meminit Baronius (s) in notis ad Martyrologium Romanum, quorum exempla sectantes Romani, praeter cetera ad ejus cultum augendum Templa excitata, hoc in Urbis centro dedicarunt anno 1139. ab Innocentio II consecratum, ut perhibet sequens Epigraphe, quae in hac Ecclesia visitur in lapide marmoreo a parte sinistra ingressus Ecclesiae.

Anno Dominicae Incarn. 1139. an. 9. Pont. D. Innocentii Papae II. mensis Decembris die 21. consecratum est hoc Templum, & Altare ad honorem Dom. Dei Jesu Christi, & Beatae Mariae semper Virginis, & Divi Thomae Apost. per manus ejusdem D. Innocentii II. Papae, & Fulgerii Turentis Ecclesiae Archiepiscopi, & Conradi Sabinensis Episcopi, & Clusinensis Episcopi. Reliquiae vero, quas in dicto Altari recondidit hae sunt; Brachia Damasi Papae, Gregorii Papae. De Vestimento B. Virginis. De Lapidibus S. Stephani. De Sanguine S. Luciae Virginis, S. Nicolai, & Valentini Episcopi, Sebastiani Martyris, Tranquillini, Phocae Martyris, San-

(o) *Baron. Annal. ad ann. 236. pag. 390. Rom. edit.* (p) *Socrat. histor. lib. 4. cap. 14.* (q) *Sozom. lib. 6. cap. 18.* (r) *S. Chryst. Homil. 26. in Epist. ad Hebraeos.* (s) *Martyrol. Rom. die 20. Decemb. & die 3. Julii. Baron. in notis ad Martyrolog. die 3. Julii.*

ctorum quatuor Coronatorum, Sanctorum Joannis, & Pauli, Sanctorum Chrysanti, & Dariae, Sanctorum Cosmae, & Damiani, SS. Nimphae V. & M., Sophiae, Balbinae V. & M., Martae, & Petronillae Virg.

Anno exinde 1582. haec antiquitate squallens, ruinamque fere minitans, undique instaurata fuit pia Marii, & Camilli de Cerinis Romanorum Patriciorum liberalitate, ut asserit Martinellus (t).

Cum in ejus circuitu plures Tabelliones, sive ut vocant, Notarii Eminentissimi Cardinalis Vicarii hodie apud Curiam Innocentianam degentes existerent, societatem in hac Ecclesia erexerunt anno 1561, quae Sanctos Johannem Evangelistam, & Nicolaum Episcopum sibi Patronos elegit, ad cujus subinde societatis preces Pius Papa IV. Christifidelibus, qui criminum labe expiati, ac angelico pane refecti ad Deum in ea preces effudissent a primis Vesperis usque ad Solis Occasum Annunciationis Beatissimae Virginis, S. Nicolai, & Johannis Evangelistae festivitatum plenariam Indulgentiam impertivit.

C A P U T IV.

De Ecclesia S. Caeciliae de Lupo Pacho.

TRes tantum Ecclesias S. Caeciliae in hac Urbe dicatas apud omnes antiquos Romanarum Ecclesiarum Scriptores reperimus, quarum praecipua, ubi Corpus ejusdem Sanctae honorifice asservatur, S. Caeciliae Transtyberim denominatur; alia S. Caeciliae in Campo Martio, de qua capite 43. sermo erit, quae inter filiales, Basilicae S. Laurentii in Damaso ab Urbano III. similiter enumeratur; altera demum in Monte Jordano, olim nuncupata de Lupo Pacho existimatur, cujus quidem denominationis nullibi nancisci potuimus originem, nec ullius Ecclesiae memoria ad nos pertingit sic appellatae. Con-

(t) *Martinellus Rom. Sacr. pag.* 313.

Conjecturam praeſtat ordo nomenclaturae in poſitae Bullae narratione attendendus, qui ut plurimum reſpondere ſolet ordini ſitus, qui inter eaſdem Eccleſias occurrit, atque viarum; ſiquidem in praefata Urbani III. Bulla has filiales Eccleſias fere ſemper exprimi cum quodam ordine proximitatis patet: congruit quippe ſitus montis Jordani Eccleſiae S. Caeciliae de Lupo Pacho, dum collocatur inter S. Thomam in Parione, & S. Mariam in Vallicella, quod quidem affirmat Ciampinus (*u*), quamvis temporum varietate diverſimode denominari coeperit: ut enim ex antiquis ejuſdem Eccleſiae Scripturis collegimus, plura nomina ſortita eſt; vocabatur enim Eccleſia S. Caeciliae de Turri Campo, paullatim denominatione corrupta, de Saxo, ſive de Scaffo, alias de Turre Campi, ſeu in *Campo Torre*, ac etiam Stephani de Petro, ut videre eſt apud Martinellum in ſua Roma Sacra (*x*).

Poſtremo haec S. Caeciliae Eccleſia a Monte vulgo Jordano nomen obtinuit, haud equidem ex quo Clivus ille, adſitaque aedificia ad Jordanorum ſpectaverint familiam, prout erronee a nonnullis ſcriptum eſt, ſed quia a Jordano Urſino poſſiderentur, uti Urſinae inclitae gentis inſignia, praecipuarum aedium muris inhaerentia adhuc teſtantur, quod etiam Jordani nomen frequens in ejuſdem Generis Proceribus reperitur. Memoratae autem aedes Gabriellorum hodie nobili familiae ceſſerunt.

Haec Eccleſia Paraecia fuit, ut Petrus Martyr affirmat (*y*). ejuſque Altare Sacris initiatum uſque ab anno 1123, prout ex ſequenti inſcriptione ibidem olim exiſtente, quam ex Martinello deprompſimus (*z*).

Anno milleſimo Dominicae Incarnationis centeſimo vigeſimo tertio an. quinto Pontificatus D. Calliſti II. Papae Indictione prima menſis Maii die 8. dedicatum eſt hoc Altare per manus Cinthii Epiſcopi Sabinenſis, recondiditque in eo Reliquias Sanctorum,

(u) *Ciampinus de Vicecancellario cap. 19. pag. 204.* (x) *Martinellus Roma Sacra pag. 83.* (y) *Pietro Martyre Fellini delle coſe maravigl. di Rom. pag. 118.* (z) *Martinellus Rom. Sacr. pag. 84.*

rum, Sanctarumque Cosmae, & Damiani, Tryphonis, Respicii, Maximiliani Episcopi, Agapiti Mart., Arthemiae V., Nimphae, Cyriacae Virginis, & Martyris, & aliorum Sanctorum.

In Codice Vaticano (*a*) fieri mentionem hujus Ecclesiae asserit Martinellus praefatus, referens auctoritatem (*b*) Grimaldi affirmantis fuisse Parochialem S. Laurentii in Damaso Matrici subditam.

Demolita fuit regnante Gregorio XV. occasione data constructionis Ecclesiae, & Domus Patris Congregationis Presbyterorum sub Regula S. Philippi Nerii, ut patet ex Constitutione ejusdem Pontificis, quae incipit: *Cum ad uberes*, (*c*) qua eidem Congregationi Oratorii facultas conceditur ipsam demoliendi, ita ut in Oratorio ab eadem Congregatione excitato Altare majus in honorem, & sub invocatione S. Caeciliae, ac S. Philippi Nerii erigeretur. Allegatus Ciampinus (*d*), & Pancirolus demolitionem hujus Ecclesiae, ut superius demonstratum est, testantur.

Post ejus demolitionem rerum sacrarum administratio, & procuratio erudiendorum Fidelium ad proximas Parochiales Ecclesias translata fuit. Ex ejus proventibus duo Canonicatus, & Praebendae in Basilica S. Laurentii in Damaso erectae fuerunt.

His quoad Ecclesiam absolutis, consentaneum arbitramur praeclara quaedam nostrae Sanctae Civis gesta commemorare.

A Caeciliorum Familia originem habuit, quae Romae illustris maxime fuit propter aliam ex Metellis, teste Livio (*e*), unde multi Consules, ac Pontifices Ethnici prodiere, a qua & Caeciliorum progenies longe clarior evasit. Celebris etiam reputatur Caecilia illa Quinti Metelli Cretensis nuncupati, ut refert idem Livius (*f*). Celeberrima tamen super ceteras emicat haec

(a) *Cod. M. S. num.* 5844. *pag.* 152. (b) *Idem pag.* 350. (c) *Tom.* 4. *Bullarii Constitut. II. Gregorii XV.* (d) *Ciampinus de Vicecancell. cap.* 19. *pag.* 204. *Pancirolo Tesori nascosti Rione* 5. *Chiesa* 4., *e Rione* 8. *Chiesa* 29. (e) *Tit. Liv. l.* 19. (f) *Idem l.*1.

haec S. Virgo, non generis tantum nobilitate, ut ipſamet Almachio Urbis Praefecto, referente Surio, teſtata eſt, verum etiam quia glorioſum de Tyranno retulit triumphum.

Praeter enim publica balnea, quae in Urbe Thermae nuncupabantur, alia privata in propriis Patriciorum aedibus, ut refert Plinius *(g)*, extabant, quorum aliquibus Ethnici utebantur ad lavacrum, ad ſudorem aliis, demum ad poenam aliis, exceſſu ſcilicet nimii caloris ferventibus reis mortem inferebant, quo ſupplicio Almachius Urbis Praefectus S. Caeciliam affecit, atque hoc mortis genere, clariores tantum ſanguine, ac progenie mulctabantur, uti Fauſta Conſtantini Uxor.

At quia hoc in balneo licet praefervido poſita S. Caecilia minime laedi conſpiciebatur, eo immiſſus eſt Carnifex, qui ter ſecuri ictam, nec caput illi abſcindere valens, ſemivivam reliquit, juxta vetuſtas Romanorum leges a Boſio relatas (*h*). Ejus Corpus a Paſchale I. Pontifice in Coemeterio Calixti conquiſitum, ibique in Arca incluſum, nuptiali veſte auro contexta decoratum, una cum Sanctorum Valeriani, Tiburtii, ac Maximi Corporibus inventum eſt. Quae omnia in Eccleſiam S. Caeciliae Tranſtyberim ab eodem Pontifice translata, ibi magno Fidelium cultu, Populique veneratione aſſervantur.

Anno 1599. Paulo Cardinali Sfondrato hujus Eccleſiae Titulari eam reſtaurante, denuo eadem Corpora cum SS. quoque Urbano, & Lucio inventa fuere. Corpus S. Caeciliae adhuc intactum ſerica veſte auro texta, vulnerum cicatricibus apparentibus, Clemens Papa VIII. in argentea urna ſub Ara maxima collocari curavit.

CA-

(g) *Plinius lib. 2. Epiſt. ad Gallum, & lib. 5. Epiſt. ad Apoll.* (h) *Ex M. S. relat. a Boſio. in Vita S. Caeciliae. Baron. Annal. ann. 232. Num. XI. pag. 377. Rom. edit.*

CAPUT V.

De Ecclesia S. Mariae in Vallicella.

PLures haec Ecclesia denominationes sortita est; in Vallicella primum, ut colligitur ex Bulla Urbani III.; quam adhuc retinet, sic a situ, in quo aedificata erat, nempe in parva Valle, nuncupata; postea fuit appellata ad puteum album, quoniam puteus albi lapidis illi proximus existeret, qui in Vinea Patrum Oratorii ad S. Onuphrium adhuc conspicitur. Postmodum vero Ecclesia nova nuncupata, quia cum admodum vetustate fatisceret a fundamentis denuo excitata est anno 1575, die 17. Septembris, ut asserit Gallonius (*i*); ac in eam, quam hodie demiramur, formam, Petro Cardinali Cesio, & Angelo Episcopo Tudertino operam praestantibus, fuit redacta. Ab Alexandro Cardinali de Medicis, qui postea Summus Pontifex nomine Leonis Papae XI. renunciatus est, ex Ecclesiae Catholicae ritu consuetis caeremoniis publice consecrata est die 23. Maii 1599, Sanctoque Philippo Nerio a Gregorio XIII. concessa anno 1575. vigore literar: expedit: sub datum 15. Julii anni praefati. Tunc erat Paraecia, & illi annexa pars Curae, & Onerum Ecclesiae S. Caeciliae in Monte Jordano, ut constat ex Bulla Urbani III., dictae alias S. Caecilia de Lupo Pacho, quae cum occuparet spatium, ubi nunc horologium conspicitur, a Gregorio XV. fuit concessa ad ampliorem aedificationem hujus Domus, & Sacrarii, quam praefati Pontificis benignam destinationem executioni mandandam curavit Urbanus Papa VIII. octavo Idus Augusti 1623. Ceterum ad preces Patrum Congregationis, Cura hujus Ecclesiae fuit suppressa, & finitimis Paraeciis S. Thomae in Parione, S. Blasii de Fovea, & S. Stephani in Piscinula applicata vigore literarum ejusdem Pontificis Grego-

rii

(*i*) *Gallonius histor. della Congreg. di S. Filippo, e Vita del Santo.*

rii XV. ſub datum 12. Kal. Aprilis 1622, ut colligimus ex Sacrae Viſitationis Codicibus (*k*) ab Urbano VIII. ordinatis.

Sed ne memoria aboleretur, atque penitus excideret Eccleſiae S. Caeciliae, in honorem hujus S. Virginis, & Martyris ex Conſtitutione Gregorii XV. mox allegata Oratorium erectum fuit, in cujus Ara ejuſdem S. Virginis picturata effigies locata, vetuſtae Eccleſiae memoriam apud Poſteros perire non ſinit. Ibidem appetente nocte, frequens populus ad pias preces coactus, ſacros ſermones, muſicoſque audit concentus, non ſine afflictatione corporis, & flagellorum uſu ad noxarum expiationem; quae Chriſtianarum virtutum quotidianae fere exercitationes Fidelium erga S. Caeciliam piam affectionem, & cultum mirifice augent, atque propagant.

Hujus Domus, atque Templi egregia admirandaque Equitis Franciſci Borromini architectura effulget; & inibi erecta eſt Presbyterorum Saecularium Congregatio a S. Philippo Nerio, ex cujus inſtituto commemorati Presbyteri Confeſſionibus audiendis, Sacramentis adminiſtrandis, ac quatuor quotidie Sermonibus, die Sabbatho ad vacandum excepto, uti ex eorum Regula conſtat, magno labore, ſummaque pietate incumbunt.

Tribus, ut ajunt, navibus decoratur hoc Templum opere concamerato contectis, ad quas per totidem oſtia in frontiſpicio poſita patet acceſſus; frontem ex Tyburtino lapide Angelus Caeſius Epiſcopus Tudertinus profuſa largitione excitavit; abſidem Petrus Donatus Cardinalis Caeſius; ſacri, atque ſpectabilis aedificii partes reliquas piae Fidelium largitiones exaequarunt, adnitentibus eodem Gregorio XIII., & Philippo Nerio Inſtitutore.

Duplici Eccleſia haec gaudet Titulo antiquo, nempe S. Mariae in Vallicella, & novo S. Gregorii ſuperaddito in coſtructione Templi a S. Philippo. Ara maxima permagnifica redditur ex columnarum ſtructura affabre ordinata, ex antiquo viridi marmore aureis venulis coruſcante, aliiſque etiammulticolo-

(k) *Cod. Viſit. Anni 1629. die 19. Januarii.*

coloribus decorata marmoribus; pro Icone visitur Sacrae Deiparae Virginis Imago, quam Petrus Paulus Rubens coloravit. Sub hoc Altari requiescunt Corpora SS. Papiae, & Mauri ab Ecclesia S. Adriani in Foro Romano die 11. Februarii 1590, Sixto V. Pontifice Max. annuente, translata.

In Choro a cornu Evangelii de universa hujus Ecclesiae constructione extat in marmore haec Inscriptio.

Gregorio XIII. Pont. Max.
Ann. Jub. MDLXXV. Mense Octobr.
Alexander Medices Florentiae Archiepiscopus
Lapidem primarium ritu solemni benedictum
In fundamentis hujus Ecclesiae posuit.
Clemente VIII. Pont. Max.
Alexander idem Archiepiscopus, & S. R. E. Cardinalis
hanc eamdem Ecclesiam Deo, in honorem
Nativitatis B. Mariae Virginis,
& S. Gregorii Magni Papae
Altare quoque Majus consecravit,
Corporaque Sanctorum Martyrum
Papiae, & Mauri solemni item ritu
sub eodem Altari collocavit,
Sacrasque Indulgentias de more concessit
Anno MDXCIX. die 23. Maii.

Ecclesiae Sacella sunt quatuordecim, quorum primum a latere Evangelii Presbyterio cohaerens, S. Philippo Nerio, a Nobili Florentino nuncupato Nerio de Neriis, ut testatur Pancirolus (1), dicatum est, varioque marmore partim alabastrite, amathisto, ceterisque in pretiosas laminas dispositis, ornatum eximium recipit, atque maxime nobilitatur Imago ejusdem Sancti Fundatoris super Aram posita a Guido Rheno colorata.

Sub hoc Altari tam magnifice exornato sacrum Corpus ejusdem S Philippi in Arca ferrea asservatur, quod viris digni-

(1) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 12. Chiesa 5.*

gnitate praeſtantibus ad illud colendum accedentibus quandoque a Patribus per rimulas quaſdam ex conſilio fabrefactas conſuevit oſtendi. In tabulae ſupercilio inciſa Lydio quadrato lapidi leguntur haec verba: *Exaltavit humilem*.

CAPUT VI.

De Eccleſia S. Stephani de Piſcibus.

DE Piſce vocat Ciampinus hanc Eccleſiam, & ait, quod anno 1560. teſtes depoſuerint S. Stephani in Sericelli denominari; at nos ſequimur ordinem, & ſcripturam Bullae Urbani III., quam ex Baſilicae S. Laurentii in Damaſo Archivo deprompſimus. Alii in Piſcina, ſive de Piſcina, vel Piſcivola, aut Piſcicula; ſed errorem Amanuenſis hic puto irrepſiſſe, nam prope S. Mariam in Vallicella eſt Eccleſia S. Stephani in Piſcina. Sic Martinellus eam denominat (*m*), & poſitam in regione Parionis ad S. Luciae Cloacam aſſerit, nec non mentionem de ea fieri in Chronicis Martinianis, olimque aureis cryſtallinis operibus ornatam fuiſſe teſtatur. Petrus Martyr auctor eſt (*n*), hanc Eccleſiam olim nuncupatam ab opificibus poculorum vulgo *Bicchierari*, quod ibi piſces, & pocula eſſent venalia. Philippus de Rubeis teſtatur (*o*) extitiſſe in hac Eccleſia Sacellum ſodalitii pocula venditantium.

In Codice Viſitationum omnium Urbis Eccleſiarum ab Urbano VIII. ordinatarum ſub die 28. Februarii 1626. dicitur: *S. Stephani in Piſcinula ſita in Regione Parionis ad Cloacam S. Luciae. Eſt Paraecia, & filialis, ut ajunt, adhuc S. Laurentii in Damaſo, & ob id Infantuli, qui naſcuntur, illuc deferuntur pro Baptiſmate ſuſcipiendo, licet uſque ad annum 1576. ſolitum fuiſſet Baptiſma, & in hac Eccleſia conferri, prout deprehenſum fuit ex libris baptiſmalibus ad*

 illud

(m) *Martinellus in ſua Roma pag. 309.* (n) *Pietro Martire delle coſe maravigl. di Roma pag. 123.* (o) *Filippo de' Roſſi Roma moderna pag. 224.*

illud tempus continuatis, & ab hinc jussu Superiorum intermissis.
Ex quibus verbis Sacrae Visitationis colligimus, quod ubi compertum fuit Ecclesias filiales a dependentia Matricis immunes, & liberas esse, vel muneribus vacare, ad obedientiam denuo praestandam fuisse per vim coactas. Magnam redolet antiquitatem, at non est nostrae indaginis hic commemorare, quo tempore marmoreae mensae in Foro Piscium venalium, ex quo inditum huic Ecclesiae nomen, inde detractae, & translatae fuerint ad S. Angeli Aedem, ubi hodie idem forum est coustitutum.

Ex antiquis monumentis colligit Pancirolus (*p*) hanc olim Ecclesiam a Stephano Hungariae Rege dicatam fuisse ejusdem nominis Sanctissimo Protomartyri, addito Clero ad formam sacri coetus, quem dicunt Collegiata, & Nationi Hungaricae addictam. Postmodum vero in Paraeciam conversa est, abolito Collegiatae titulo, & omni jure Gentis Hungaricae.

Unam tantum habet navim cum decenti laqueari. Hinc inde in muro adsunt depictae Imagines Sanctorum Stephani Protomartyris, & alterius Stephani Papae, & Martyris. Pro basi Altaris est quoddam vas marmoreum, quod videtur fuisse sepulchrum aliquorum Gentilium, ex imaginibus, & literis in fronte insculptis, & incisis.

Cura Ecclesiae S. Caeciliae, quam supra retulimus, suppressa, partim huic applicata est, simul etiam cum alia parte Curae S. Mariae in Vallicella, itidem suppressae, vigore Bullarum Apostolicarum sub datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem 1622. duodecimo Kal. Augusti.

CA-

(p) *Pancirolo de' Tesori nascosti Rione 12. Chiesa 4.*

CAPUT VII.

De Ecclesia S. Nicolai de Furcis.

NOn servat amplius denominationem de Furcis; immutata enim Ecclesia, ut testatur Ciampinus, a piis Benefactoribus nomen accepit. In regione Arenulae a Familia de Incoronatis denuo excitata, retento titulo S. Nicolai, atque addito vocabulo Incoronatorum; estque adhuc Paraecia, & filialis Basilicae S. Laurentii in Damaso, & ob id Rector accedit ad benedictionem Fontis baptismalis, ac etiam pro recipiendis Oleis Infirmorum. Rectoria est de Jurepatronatus Familiae de Incoronatis. In Codice Visitationum Urbani VIII. asseritur haec Ecclesia de Jurepatronatus Gentis de Incoronatis per literas a Cardinali Rusticuccio Urbis Vicario anno 1601, die vero 23. Septembris expeditas.

Antiquitus nuncupabatur etiam suspensorum vulgo *S. Niccolò degl' Impiccati*, ut testatur Camillus Fanuccius (*q*) in suis piis operibus Romae. Cum in Bulla Urbani III. non aliter nominetur nisi de Furcis, ad evidentiam deducitur, non esse aliam, quam hanc de Incoronatis, quae perseverat in dependentia, & filiatione hujus Matricis; accedit quippe Testimonium Rectoris ejusdem Ecclesiae S. Nicolai de Incoronatis admodum vetus, quod me legisse memini in manuscripto a Clemente XI. Pont. Opt. Max. ad harum Ecclesiarum filialium notionem aliquam pertexendam mihi exhibito, ubi habetur eidem S. Nicolao de Incoronatis hortulum adhaesisse, in quo patibula, idest furcae erant, & in hac Ecclesia consuevisse manere damnatos ad id mortis genus paullisper, dum suspendium parabatur, idque asserit a pluribus accepisse. Nunc immutato situ, morantur in Cappella juxta Pontem Aelium, vulgo S. Angeli.

Maximam erga S. Nicolaum devotionem Roma professa est, septemque Templa in ejus honorem erexit, quorum quatuor in

 Bulla

(q) *Fanuccius lib. 4. cap. 13. pag. 351.*

Bulla Urbani III. sunt Ecclesiae filiales hujus Basilicae; ardens enim populorum pietas Sancto huic impense adeo addicta, semper fuit ut Cardinalis Petrus Damiani in sermone haec habuerit: (r) *Post memoriam Virginis, Nicolai nomen tenetur in ore, in fulgurum coruscatione, in maris tempestate, in incommodis, in aegritudinibus unusquisque babet materiam gaudiorum.*

Mirificum Templum Justinianus Imperator eidem Nicolao dicavit, ut scribit Procopius (s), Myrae, quae est Metropolis Liciae, ubi primum tumulatus fuit, ex cujus sepulchro manna defluxit; deinde Barium in Apulia translato ejus Corpore septimo idus Maii, anno Domini 807, ut refert Martyrologium ex ejusdem Sancti Antistitis ossibus, veluti e perenni quodam Charismatum fonte effluit salubris liquor (t), sicut olim jugiter emanabat, cum Myrae esset, medicaminis vim habens ad morbos curandos. De eodem etiam dignas laudes in liturgia S. Johannes Chrysostomus, & Nicephorus referunt (u).

C A P U T VIII.

De Ecclesia S. Mariae de Curte.

Ecclesia, quae prius S. Mariae de Curte, nunc SS. Simonis, & Judae nomen sortitur, in regione Pontis, in Montis Jordani Aedibus erecta conspicitur. De Jure Patronatus nobilissimae Familiae de Ursinis, a qua excitata fuit, simul atque dotata, ut testatur Pancirolus (x), & antiquitus vocata est S. Mariae.

Hujusmodi mons denominatur a Jordano hujus Familiae illustri Viro, quia inibi mansionem, incolatumque sibi delegit. Refert Sansovinus (y) praenobilem istam Familiam, quae tot clarissimis Viris Romae praefulsit, & adeo per plura retro saecu-

(r) *Apud Surium 6. Decemb. in Vita S. Nicolai.* (s) *Procopius lib. 1. de aedific. Justin. Imp.* (t) *Baron. in notis Martyrol. 9. Maii, & 6. Decemb.* (u) *Nicephor. histor. lib. 8. cap. 14, & 42.* (x) *Pancirolo de' Tesori nascosti Rione 6. Chiesa 8.* (y) *Sansovin. in histor. de Ursin. & de ejusd. Vir. Illust. lib. 1.*

saecula praepotens claruit, a Gothis originem duxisse, populis inter Daniam, & Norvergiam sitis, qui dum acerrimum bellum adversus Vandalos gererent, Aldoinus unus ex eorum Ducibus prae caeteris se insignivit, qua in expeditione occubuit, praegnantem relinquendo Uxorem, quae Infantem masculum in lucem edidit. Nutrix cui Puer ad alendum fuit traditus, Ursa nuncupabatur, a qua alimoniam in infantia recipiens, eo quod Ursae Alumnus extiterat, Ursinus exinde vocatus, hocque Ursinorum agnomen Familiae postmodum inditum. Hic Romam perrexit anno salutis 425. tempore, quo Pulcheria Augusta imperium regebat, subque imperialibus vivens auspiciis talia de se praebuit experimenta, ut ab eadem Augusta pluribus Castris in Umbriae Provincia fuerit donatus: & hinc originem ducere Gentem Ursinam a multis asseritur, licet parum credibile aliis videatur.

Verum ad rem nostram redeundo hujusmodi Ecclesiae vocabulum de Curte reputat Ciampinus (z) desumtum a proximo impluvio, sive area, quam vulgo olim *Corte*, nunc *Cortile* nuncupare mos est, in quo reperitur sita.

In manuscipto supra memorato Clementis Papae XI. dictionem de Curte asseritur defluxisse ex proxima cohorte Ursinorum; Curtis enim vox Italico idiomate potest accipi pro Aula.

Martinellus (a) autem in sua Roma asserit Ecclesiam S. Mariae de Curte esse sitam prope Ecclesiam S. Mariae de Sole ad Turrim speculorum, quae aliquibus ab hinc annis prophanata est, cujus verba recensenda duxi: *S. Maria de Curte notatur Anno 1587. infra Capitolium post S. Mariam del Sole, eratque Parochialis sub titulo S. Mariae, locus nunc dicitur Turris speculorum*. Hanc tamen opinionem minime amplecterer, veluti nullo suffultam fundamento, & a probabiliori judicio non discederem eorum, qui Ecclesiam S. Mariae de Curte, hanc SS. Simonis, & Judae esse reputant.

Ver-

(z) *Ciampinus tract. de Vicecancel. pag.* 175. (a) *Martinellus pag.* 371.

Vernacula ſiquidem haec de Curte denominatio deſiiſſe creditur anno 1450, die 28. Octobris in feſtivitate SS. Simonis, & Judae, qua horum Apoſtolorum Eccleſia titulum ſuſcepit, unde ab hoc aevo in Inſtrumentis, ac in omnibus actis pro hujuſmodi Eccleſia geſtis, obſoleto titulo S. Mariae, ſibi alium SS. Simonis, & Judae aſſumpſit.

Eccleſia eſt tribus diviſa, ut vocant, navibus, omnibus ſub tecto tegulato. Tres pariter habet januas; majorem ſcilicet tendentem viam verſus Coronariorum, ad quam patet acceſſus per quoſdam gradus; ſiniſtram ad viam vulgo nuncupatam *del Fico*, & tertiam in capite navis dexterae poſitam verſus Palatium olim Familiae de Urſinis, ut ſuperius diximus.

Hujuſmodi Eccleſia ſingularibus S. Urſulae inſignitur Reliquiis, in ſitu ſubterraneo retro Altare majus repertis anno 1527. in argentea lamina involutis, ligneae capſulae incluſis, quam alia plumbea ambit cum hac inſcriptione: *De Capite Sanctae Urſulae*. Pancirolus (*b*) aſſerit in infanda Urbis depopulatione ſub Clemente Papa VII. has Reliquias in eo Eccleſiae ſitu fuiſſe abſconditas, prius a Cardinali Jordano ob devotionem Procerum illius Familiae erga hanc Sanctam dono huic Eccleſiae traditas, quas obtinuerat, ut exiſtimat, in Legationibus, quas pluries apud magnos Principes ſumma cum laude explevit.

CA-

(b) *Pancirolo de' Teſori naſcoſti Rione 6. Chieſa 8.*

CAPUT IX.

De Ecclesia S. Blasii de Oliva.

COmmuni Ecclesiarum Urbis Scriptorum suffragio censetur hanc Ecclesiam eandemmet fuisse, quae hodie S. Blasii de Fovea nuncupatur, sitam in regione Parionis, licet aliqui referant in regione Pontis. Hanc denominationem de Fovea accepit, juxta sensum Panciroli (*c*), Ciampini, & Philippi de Rubeis, ex eo, quod Ecclesiae hortus adhaerebat, in quo erat Fovea; atque ita allegati Scriptores putant antiquis temporibus Olivae vocabulum sumpsisse ab arbore in praefato horto virescente. Arbore postmodum exsiccata, Olivae appellatio ad Foveae nuncupationem transiit.

Fertur etiam eamdem Ecclesiam praetulisse nomen S. Blasii de Trivio a tribus viis, quae obviae ante ipsam visebantur. Fuit pariter nuncupata S. Blasii *delli Pettini*, quod in Ecclesiae fronte Martyrium S. Blasii coloratum conspiceretur, cujus Corpus a Carnifice pectinibus dilaniabatur; quam Ciampinus picturam vidisse testatur. Sanctum Episcopum sub Imperio Diocletiani martyrii laurea fuisse coronatum conjicit Baronius (*d*). Id vero Sebaste in Armenia contigisse testatur Martyrologium Romanum, ubi legitur, ferreis pectinibus carnes ejus fuisse dilaceratas.

Unicam haec Ecclesia habet navim lacunari satis decenti contectam, neque in ea alius dies festus quam ejusdem S. Titularis celebratur.

In saepe allegatis Codicibus (*e*) Visitationum ab Urbano VIII. ordinatarum reperitur Baptisterio carere, utpote quia est Ecclesia filialis S. Laurentii in Damaso, quodque non multis ab hinc annis huic Ecclesiae unita sit atque addita Paraecia S. Ni-

---

(c) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 6. Chiesa 8. Ciamp. tract. de Vicecancell. pag. 166. De Rossi Roma moderna pag. 254.* (d) *Baronius in notis ad Martyrol. 3. Februar.* (e) *Cod. Visit. Urb. VIII. 31. Januarii 1626.*

S. Nicolai in Agone, & quaedam portio Domuum, quae olim subjiciebantur Paraeciis S. Mariae in Vallicella, & S. Caeciliae in Monte Jordano suppressis, ut diximus.

Hac in Ecclesia anno 1619. erecta est Societas sub titulo de Plagis in sacrosanctum Salvatoris nostri Corpus inflictis, dum ad columnam flagellis caederetur; ad imitationem alterius similis, Florentiae institutae, cujus praecipuus finis est interiorem hominem a laxiori ad severiorem disciplinam revocare usu, & frequentia Sacramentorum, aliaque pia opera exercere, quibus affectus comprimuntur, ac cupiditates coercentur.

C A P U T X.

De Ecclesia S. Ursi de Ponte.

QUam saepe vulgus nomina, & vocabula inconstanter vertat, & vitiet, praeteritarum rerum, tametsi intra pauca saecula, investigatoribus satis superque notum est, quod sane non levem molestiam nobis attulit in hac filialium Ecclesiarum Basilicae S. Laurentii in Damaso narratione; praecipue hujus S. Ursi, de qua non satis constat cuinam ex tribus SS. Ursis, quorum sit mentio in Martyrologio (f), dicata fuerit. Unius quippe commemoratio habetur Ravennae S. Ursi Episcopi, & Confessoris, ac de eodem Rubeus sic scribit. Claruit tempore Theodosii Imperatoris, ejusque nomine dicta est Basilica Ursiana.

Alterius vero Antisiodori S. Ursi Episcopi, & Confessoris. Baronius, quae sequuntur ex Demochare desumta, refert. (g) *Adnumeratur undecimus ejus Sedis Episcopus in Tabulis Episcoporum Antisiodorensium; Sedit annos sex, & menses quatuor, obiitque die 30. Julii, sepultus in Basilica S. Germani, ponitur inter illos, qui scripserunt Synodicam ad Leonem Papam.*

Po-

(f) *Martyrol. 13. April. Rubeus histor. Ravennae lib. 2.* (g) *Baronius in not. ad Martyrol. ad diem 30. Julii.*

Postremo tandem Solodori in Gallia passio (*h*) Sanctorum Martyrum Victoris, & Ursi ex gloriosa legione Thebaeorum, qui primo sub Maximiano Imperatore diris suppliciis excruciati, sed caelesti super eos lumine coruscante, ruentibus in terram Ministris, erepti, deinde in ignem missi, sed in nullo penitus laesi, novissime gladio consumati sunt. Agunt de hoc S. Urso Usuardus, & Ado (*i*) Viennensis. Inventio Corporum praedictorum Martyrum accidit anno septimo Theodorici Regis Francorum, ut refert Sigebertus (*k*).

Ecclesia igitur haec in Bulla Urbani III. emanata inter filiales hujus Basilicae ab initio in honorem unius ex tribus relatis SS. Ursis dicata extitit, deinde fuit eidem adjectus titulus S. Thomae, & nuncupata, teste Pancirolo (*l*), SS. Thomae, & Ursi, quod quidem apertius apparet ex quadam Bulla Clementis VII. edita anno 1534, quae asservatur in Archivo Nationis Florentinorum, in qua haec Ecclesia vocatur SS. Thomae, & Ursi in concessione ejusdem Confraternitati Pietatis Nationis Florentinorum, ut in ipsa suum erigeret Oratorium. Tunc Animarum cura Parochialis hujus, atque filialis Ecclesiae suppressa fuit, ac translata ad proximam Ecclesiam S. Johannis Baptistae ejusdem Nationis.

Postea existimans forsan vulgus iners nullum extare in Ecclesia Dei Sanctum, qui vocaretur Ursus, nomen Ursi in Ursulam immutavit; proinde adhuc servat nomen Sanctae Ursulae. Hanc denominationis, & Tituli variationem, sive immutationem indicat etiam Martinellus, cujus en verba: *(m) S. Ursi, Ursulae Parochialis Ecclesia in Regione Pontis, Sancto quoque Urso dicatum, nunc dicitur Oratorium Pietatis Nationis Florentinorum.*

Camillus Fanuccius (*n*) de hac Ecclesia scribens, ipsam vocat Parochialem S. Ursulae, asseritque Confraternitatem Transalpi-

(h) *Martyrol. 30. Septembris.* (i) *Ado in Chron. anno 285. Appendix ad Gregor. Turon histor. Francor. lib. 2. cap. 22.* (k) *Sigebert. in Chron. ann. 608.* (l) *Pancirolo de' Tesori nascosti Rione 6. Chiesa 19.* (m) *Martinellus Roma sacra pag. 313, & 406.* (n) *Fanucci delle opere pie di Roma lib. 4. cap. 3.*

salpinorum anno 1444, assentiente S. Ursulae Rectore, ab Eugenio Papa IV. aediculam quamdam obtinuisse, sub invocatione Purificationis Beatae Mariae Virginis annexam praefatae Ecclesiae S. Ursulae.

CAPUT XI.

De Ecclesia S. Stephani de Ponte.

Quamvis affirmet Ciampinus (o) se nihil satis compertum super hac Ecclesia eruere potuisse, nullumque sibi praesto esse monumentum ad asseverandum, indicandumque ejusdem situm, sed solum conjici posse reliquis nostris filialibus propinquam fuisse: nos tamen ex antiquis memoriis, & Apostolicarum Visitationum actis, praecipue sub Urbano VIII., diligenter pervolutis, eam fuisse credimus, quae hodie denominatione S. Mariae Purificatae, vulgo *della Candelora* distinguitur. Sita autem reperitur in Regione Pontis, ac in via vulgo nuncupata *in Banchi*. In ea est Congregatio, seu Societas hominum Transalpinorum. Existimat quidem praefatus Ciampinus Ecclesiam hanc S. Mariae Purificationis fuisse, quae dicta erat S. Angeli a Domo Egidii, de qua infra erit sermo, sed minus solidis innixum argumentis id affirmasse censemus.

In superius siquidem enunciatis Codicibus (p) reperimus, *quod Ecclesia ipsa S. Mariae Purificationis Transalpinorum olim erat sub invocatione S. Stephani infra fines Paraeciae S. Ursi de Urbe, quae cum ruinam minaretur anno* 1473. *Societati Ultramontanorum, seu Transalpinorum de Urbe per supplicationem Apostolicam tunc signatam tempore Sixti IV. concessa fuit, & Societas ipsa assumpsit in se onus illam restaurandi, nec non Missas, & alia divina officia in ea celebrare faciendi, ac in ea alia pietatis, & charitatis opera exercendi, prout in copia Visitatori consignata plenius conspicitur.*

Ex

(o) *Ciamp. de Vicecanc. pag.*202. (p) *Cod.Visit.Urb.III. tom.*2. *pag.*802. 3.*Julii* 1606.

Ex quo praecedentia dicta de Ecclesia S. Ursi de Ponte comprobantur. Hae enim Ecclesiae adeo inter se cohaerebant, ut olim unitas Pancirolus *(q)* testetur. Camillus vero Fanuccius *(r)* narrat Transalpinorum Confraternitatem de consensu Rectoris Ecclesiae S. Ursi, Eugenio Papa IV. anno 1444. annuente, hanc sibi assumpsisse. Quae Confraternitas non mediocri sumtu decentibus ornamentis, aliisque ad ejusdem cultum praestandum necessariis, eam administrat. De hac inquit Martinellus: *(s) Vocabatur in Candelora, sita in loco, qui vulgo appellatur Banchi, ubi velut in foro, negotia aguntur. Parvum Ultramontanorum, sive Transalpinorum Confraternitatis Templum.*

Altare majus, quod in ipsa unicum est, Beatae Mariae Virgini dicatum, & quia intra fines S. Johannis Florentinorum extitit, eidem Paraeciae subjecta est.

C A P U T XII.

De Ecclesia S. Angeli a Domo Egidii de Poco.

CUm in narratione antecedentis Ecclesiae indicatum fuerit, existimasse Ciampinum Ecclesiam Purificationis Beatae Mariae Virginis Transalpinorum fuisse hanc S. Angeli a Domo Egidii, nullo tamen haec videtur assertio fulciri fundamento, rationeque validari. Ex saepe vero relatis Urbani VIII. Visitationibus Ecclesiam S. Juliani in Monte Jordano hanc eamdem esse conjicimus, alias S. Angeli a Domo Egidii de Poco nuncupatam.

Et primo; quia in eadem Pontis Regione, quam nostrae Matrici Ecclesiae Urbanus III. in sua Bulla assignat, collocata reperitur; secundo quia in enunciatis Codicibus signanter die 5. Junii 1626. refertur consuetum esse in hac Ecclesia S. Juliani festivitatem S. Angeli solemniter celebrari, quo die Canonicis

(q) *Pancirolo Tesor. nasc. Rione 6. Chiesa 20.* (r) *Fanucci dell' opere pie di Roma lib. 4. cap. 3.* (s) *Martinellus Roma sacra pag. 236.*

Canonicis SS. Celsi, & Juliani divina officia peragentibus in signum recognitionis ab ipsis Confratribus scuta tria cum dimidio monetae, loco piperis, cerae, & unius ducati auri, erogantur, ut per Instrumentum in eademmet Visitatione exhibitum convenisse apparet. Tertio, quia tam Camillus Fanuccius (*t*), quam Pancirolus testantur, hanc Ecclesiam hodie sub titulo S. Juliani, prius S. Angeli Miccinelli denominationem habuisse, & licet praedictum nomen de Miccinellis fuerit immutatum, ex denominatione tamen, & praedictarum Ecclesiarum propinquitate ista esse videtur.

In via ex Monte Jordano ad mensas nummularias tendente, Tabellarii, equosque locantes domicilium habebant, qui ante lucem diebus festivis in aedicula D. Angelo Miccinello dicata Sacro adstabant. Etsi vero eadem postea proximae Collegiatae SS. Celsi, & Juliani unita fuerit, anniversariam tamen S. Michaelis, die 29. Septembris, celebritatem solemni ritu recolunt, ut testatur idem Fanuccius. Anno demum 1523, Adriano VI. regnante, ibidem Confraternitas sub auspiciis, & invocatione Divi Juliani fuit instituta; hujus autem nominis cum quinque supra triginta in Romano Martyrologio enumerentur Sancti, cuinam ex his Ecclesia dicata fuerit prorsus ignoratur; & quamvis ejusdem festivitas Dominica proximiori festo S. Antonii Abbatis celebretur, nulla per totum illud temporis spatium cujusquam ex memoratis Sanctis festiva recordatio recolitur. Idem Fanuccius (*u*) existimat hanc Ecclesiam fuisse dicatam cuidam S. Juliano, qui Genitores internecione delevit, de quo in Martyrologio memoria non reperitur.

Haec Ecclesia ab eadem postea Societate restaurata, pulcherrimo fuit decorata larario, in quo festivis diebus Confratres in honorem Virginis sacras Deo laudes pangunt, atque ibi hora indicta ante lucem incruenta Aeterno Patri Hostia immolatur.

CA-

(t) *Fanucci dell' opere pie lib. 3. cap. 21. Pancirolo de' Tesori nascosti Rione 5. Chiesa 13.* (u) *Fanucci dell' opere pie lib. 3. cap. 21.*

CAPUT XIII.

De Ecclesia S. Benedicti Sconchii.

HUjus Ecclesiae prius S. Benedicti nuncupatae nuspiam mentio invenitur apud probatos Scriptores, atque undenam illam Sconchii denominationem acceperit: nam hujus, quae inter nostras filiales ab Urbano III. in sua Bulla recensetur, prorsus abolita est memoria. Hoc tantum apud Ciampinum invenire potuimus, quod esset Ecclesia Sanctorum Cosmae, & Damiani Barbitonsorum, prope Ecclesiam S. Luciae de Cloaca, quae postmodum profanata in publicas lignorum apothecas redacta fuit. Aliquem tamen post annorum decursum, divino cultu in eam iterum introducto, Societati Laicorum S. Rosae Viterbiensis, ac S. Rosaliae Panormitanae concessa fuit. Verum hac quoque ab ea propter immodicos sumtus discedente, aut potius extincta, Societati demum pauperum invalidorum Urbis sub invocatione S. Elisabeth tradita est. Quae modo piorum eleemosynis Ecclesiam administrat, solemnique celebritate illius festivitates recolit.

CAPUT XIV.

De Ecclesia S. Donati ante S. Blasium in Monasterio.

NUlla hoc aevo in alma Urbe superest Ecclesia S. Donati titulo insignita, in quamvis Martyrologio ex Presbyteris, & Episcopis decem & octo hujus nominis Martyres numerentur. Quapropter cui horum praecipue foret haec dicata prorsus ignoratur. Martinellus (x) affirmat Ecclesiam fuisse titulo S. Donati *apud S. Priscam cum Monasterio, & legitur apud Bibliothec. in Leone III.*

In M. S. de antiquis Urbis Ecclesiis invenitur: *S. Donati ante S. Bla-*

(x) *Martinellus Roma sacra pag.* 308, & 356.

S. Blasium vulgo della Pagnotta, ubi antiquitus erat Monasterium Benedictinorum. Quod idem Pancirolus (*y*), ac Manuscripta Vaticani Archivii confirmant, eamque unam inter viginti privilegiata Monasteria recensent. Porro Onuphrius Panvinius (*z*) testatur locatam inter Tyberim, & Pontem Aelium, & ex sequentibus Urbani VIII. Visitationum verbis aperte constat: *Ecclesia S. Blasii de Panetta sita in via Julia ejusdem Regionis Pontis hodie filialis Basilicae S. Petri, illi alias fuit unita Ecclesia sub nomine S. Donati. Non habet fontem baptismalem, sed Infantuli de Parochia ad libitum Parentum deferuntur ad baptizandum ad Ecclesiam S. Johannis Florentinorum, & ad Ecclesiam S. Laurentii in Damaso.* Ex quibus deducitur hanc Ecclesiam S. Donati nostrae Basilicae filialem, sedente Urbano III., sitam fuisse prope S. Blasium de Panetta in via olim Florida nuncupata, quae postea, asserente Martinello (*a*), a Juliani Medices Palatio Juliae cognomen accepit. Nos vero quamplurium de Urbis antiquitatibus Scriptorum consensu suffulti, a Julio II., qui hanc viam stravit, cognomen hoc desumpsisse existimamus. Hic siquidem Pontifex viam a Ponte Sixto usque ad Sanctum Petrum in Vaticano cupiens aperire, triumphalem Pontem erigendo, cujus fundamenta prope Ecclesiam S. Spiritus adhuc apparent, eamdem dilatavit, sed morte praeventus, nec viae progressum supra Tyberim, nec Palatii ad usum Romani Fori incepti perfecit. Quod tamen insigne opus in alio situ ab Innocentio XII. in Monte Citatorio completum est, Curiaeque Innocentianae nomen accepit. Cum itaque eadem via Julia aperiretur, multa aedificia dirui opus fuit; quapropter tam Ecclesia S Donati, quam S. Blasii de Panetta, demolitae fuerunt, ut refert Pancirolus (*b*); eam enim jamdiu a Monacis relictam, Eugenius IV. anno 1431. Capitulo S. Petri cum Parochiali onere adjudicaverat. Martinellus (*c*) asserit, eam prius dictam S. Blasium *de* Can-

(v) *Pancirol. Tesor. nasc. Rione 6. Chiesa 16.* (z) *Panvin. de sept. Eccl. in S. Johanne Lateran.* (a) *Martinel. Roma sacra pag.* 81. (b) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 6.* (c) *Martinellus Roma sacra pag.* 348.

Cantu secuto, deinde de Panetta, quod die festo S. Blasii Panis Clero, populoque distribueretur. Olim fuisse Templum Neptuni scripserunt Albertinus, & Marlianus, a Gentilibus super hanc Tyberis ripam ficto aquarum Numini erectum, in quo servati naufragio pro voto Tabellas naufragium ipsum pictura exprimentes affigere solebant. In hoc S. Blasii Templo adhuc extant carmina, quae sequuntur:

Hoc fuit inceptum renovari tempore Templum
Urbis Alexandri Romanae Praesulis anni
Annus erat ejus duodenus, & ipse secundus
Annus millenus geminus tunc septuagenus
Tempore quo Verbum concepit Virgo supernum
Annus in Augusto currebat mense perusto
Sexta diadena, & fuerat indictio dena
Abbas Dominicus meritis, & nomine dignus
Hanc eadem coepit, plene complevit & idem.
Hicque Crucis lignum posuit venerabile dignum,
Et Vestem Divae Genitricis quippe Mariae,
Andreae, S. Blasii, Dariaeque, Chrisanthi.
Papae Silvestri, Dionisii, nec non Severi,
Honorii, Stephani, Marci, Marcellique,
Tranquillini, Nicostrati, Caesarisque,
Ac Aquilae, Nerei, vel Achillei,
Vel Erasmi, atque Catharinae, seu Sanctorum
Quadraginta, S. Caeciliae,
Priscae, Zoesque, Sophiae.
Hae sunt Reliquiae, quibus almus sit locus iste
Nec non multorum, nescimus nomina quorum.

Ex qua licet rudi Inscriptione juxta illorum temporum stylum, innotescunt Reliquiae ab Alexandro II. in ejus dedicatione anno 1074. ibi positae, qui eam instauravit. Sanctus postea Pius V. in Vicariam perpetuam erexit, ut ex declaratione ejusdem motu proprio, ut inquiunt, concepta, conjicitur, sub datum Romae nonis Novembris anno Pontificatus VI.

CA-

CAPUT XV.

De Ecclesia S. Pantaleonis Affinem.

IN Catalogo de Templis Sanctorum in Urbe obsoletis apud Martinellum (*d*) reperimus extitisse olim Ecclesiam nuncupatam S. Pantaleonis in via Julia, nunc S. Johannis Florentinorum, quorum Societas semper ob insignia pietatis opera, & praecipue tunc temporis effloruit. Cum enim, ut refert Pancirolus (*e*), anno 1448. die festo S. Johannis Baptistae post magnam solis defectionem tota Urbs a terraemotibus, & epidemico morbo ita opprimeretur, ut cadavera tumulari nequirent, sicut Ciacconius (*f*) quoque testatur in Vita Nicolai Papae V., haec natio in tam deplorabili rerum perturbatione, piorum Virorum Societatem sub invocatione S. Johannis Baptistae, ac titulo Pietatis instituit; quae non modicum tam erga pauperes pestifera lue laborantes, quam erga defunctos eximiae charitatis studium, & testimonium praebuit.

Verum hoc supremi Judicis in noxarum sordes flagello cessante, pia haec Confraternitas anno 1488. situm, ubi nunc S. Johannis Florentinorum Templum visitur, ab insigni SS Celsi, & Juliani Collegiata obtinuit. Primum ibi parva Ecclesia sub invocatione S. Pantaleonis conspiciebatur, simul cum adjuncto horto, quemadmodum Pancirolus testatur; postmodum ob loci angustiam diruta, in magnificam, quam hodie miramur, formam nobilissime resurrexit. Hujus graphis pulcherrimae structurae Jacobum de Porta celeberrimum illorum temporum Architectum ostentat. Cujus Templi quamvis longe clariorem delineationem eximius ille Michael Angelus Bonarota ad imitationem Pantheon confecisset, cum tamen sumtus

vires

(d) *Martinell. Roma sacra pag.* 384. (e) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 6. Chiesa* 18.
(f) *Ciaccon. in Vit. Pontif. & Card. tom. 2. in Nicol. V. col.* 951. *edit. Rom.*

vires excederet, priore executioni demandata, alteram in hujus Nationis Larario, qui Consulatus appellatur, ut spectatu dignam, reservarunt.

Notabiliter hoc Templum privilegiis illustrarunt duo Summi Pontifices Florentini Leo nempe X., & Clemens VIII., quorum unus in Paraeciam anno 1519. pro omnibus suae Nationis in qualibet Urbis parte commorantibus, & Ministris, etsi aliarum Nationum, illi tamen inservientibus, constituit. Multa praeterea privilegia, & gratias cum Consulatu pro caussis negotiatorum concivium concessit; quae omnia in ejusdem Constitutione, ab hujus Templi Rectoribus asservata, leguntur. Alter vero Corpora SS. Proti, & Hyacinthi, quae velut incognita prius in Ecclesia S. Salvatoris ad Pontem S. Mariae Transtyberim quiescebant, largissime impertivit. De his Martyribus haec in Martyrologio Romano leguntur: (g) *Romae via Salaria veteri in Coemeterio Basillae natalis Sanctorum Martyrum Proti, & Hyacinthi Eunuchorum Beatae Eugeniae, qui sub Gallieno Imperatore deprehensi, quod essent Christiani, sacrificare coguntur; sed non consentientes, primo durissime verberati sunt, ac tandem pariter decollati.*

De his Beda, Usuardus, Ado, & caeteri omnes die undecima Septembris. Erat Romae illustris memoria horum Martyrum, cujus Confessionem Symmachus Papa exornavit, ut constat ex libro de Romanis Pontificibus in Symmacho. Baronius ad Martyrologium haec habet: (h) *Eorum sacrae Reliquiae sub Clemente VIII. Pont. Max. ab Ecclesia S. Salvatoris prope Pontem S. Mariae Transtyberim posita ad Ecclesiam S. Johannis Florentinae Nationis solemni pompa fuere translatae anno Domini 1592. die 21. Junii.*

Pulcherrimis hoc Templum decoratur picturis, inter quas praecipue opera Cingoli, Sermonetae, Sanctis Titi, Ciampelli, Passignani, Lanfranchi effulgent, in colorandi arte tunc temporis praestantiorum opificum. Nobilis quoque Barberinorum Familiae ibi tumulatorum memoria in haec verba insculpta conspicitur.

(g) *Martyrolog. 11. Septemb.* (h) *Baron. in not. ad Martyrol. die 11. Septemb.*

D. O. M.

Antonio Barberino Patricio Florentino integritate, eruditione, constantia, & eximia erga patriam charitate conspicuo, cujus ossa ob novam Templi constructionem permixtim translata jacent. Obiit anno MDII., 18. Kal. Junii, aetatis suae annum agens 65. Carolus Barberinus S. R. E. Dux generalis Patrui magni saluti consulens in expiationem culparum redditum annuum Missae singulis celebrandae diebus attribuit, ne memoria exolesceret, hic voluit extare monumentum.

Cum itaque ex supra recensitis adnotationibus relatorum testium, & aliorum auctoritate comprobatis, perspicuum sit, ubi Ecclesia S. Johannis Nationis Florentinorum modo conspicitur, parvum antea Templum Juris Collegiatae SS. Celsi, & Juliani nomine S. Pantaleonis extitisse; probabiliter exinde inferimus Ecclesiam hanc fuisse de illarum numero, quae prius quidem Basilicae S. Laurentii in Damaso, tamquam Matri subjectae erant, ac postmodum segregatae, cum SS. Celsi, & Juliani Ecclesia in Collegiatae dignitatem evecta fuit, quemadmodum enim pluribus aliis illi proximis contigit, ita huic evenisse credendum: occasione siquidem translationis Corporum SS. Celsi, Jovitae, & Basilissae, Ecclesia nomine SS. Celsi, & Juliani a Matrice S. Laurentii divisa fuit; cui tamen maternus semper reservatus est honor, ut filialis obsequiis in priorem parentem expers non fieret, sed Ecclesiam S. Laurentii Matris loco semper haberet, ut deducitur ex Bulla ipsius Urbani III., quae incipit: *Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Clericis S. Celsi salutem &c.*

Illam vero dictionem, Affinem, credo esse corruptam loco dictionis ad flumen, idest super, vel prope flumen, prout nunc est Ecclesia S. Johannis Florentinorum.

CA-

C A P U T XVI.

De Ecclesia S. Luciae Affinem.

AD rectam circa situm, in quo Ecclesia haec foret excitata, notionem habendam, sedulo veteribus perquisitis memoriis, unanimi Scriptorum sententia, ac potiori sensu deducimus, ibi extitisse, ubi hodie S. Luciae de Cloaca Templum aspicitur. Equidem admodum distare videtur praesens appellatio hujus Ecclesiae a Cloaca, ab altera nuncupatione Affinem. Verum dubio procul id contigisse ex corrupto vulgi loquendi modo, & Affinem irrepsisse pro ad flumen. Hoc nimirum magis suadetur, quoniam filiales aliae Ecclesiae nostrae Basilicae ad eamdem fere lineam secundum flumen sitae, certisque intervallis dispertitae inspiciuntur.

Martinellus *(i)* affirmat ex Panvinio constare Ecclesiam S. Luciae fuisse prope Tyberim in Regione Pontis. Apud Bibliothecarium legitur Ecclesiam S. Luciae in Xenodochio, ab alia S. Luciae ab Orphea, seu in Orphea, modo in Silice nuncupata differre, quam ab Honorio I. aedificatam, Leo III. restauravit. Ideoque in Orphea dicitur, & in capite Suburrae, ab Orphei simulacro, & a via Suburrana, de quibus Martialis cecinit (*k*):

Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum Theatri.

Grimaldus arbitratur Ecclesiam S. Luciae in Xenodochio fuisse juxta novum Oratorium Confalonis, membrumque Abbatiae S. Blasii de Cantu secuto in via Julia, de qua superius agendo de Ecclesia S. Donati locuti sumus. Baronius pariter mentionem agit de Ecclesia S. Luciae ad flumen his verbis: (*l*) *Est praeterea juxta Tyberim ad quatuor portas vetus memoria.* At vero ille locus ad quatuor portas a pluribus extra Ur-

 bem,

(i) *Martinellus Roma sacra pag. 450. Anastas. in Vita Leon. Papae III.* (k) *Martial. lib. 10. Epigramm. 19.* (l) *Baron. in not. ad Martyrol. 16. Septemb. lit. d.*

bem, nempe supra Pontem Milvium describitur; hanc S. Luciae Affinem iccirco non esse videtur.

Alia pariter extat Ecclesia S Luciae de Tenta sic nuncupata corrupto vocabulo *a Terendo*, ut ait Martinellus, *(m) quod ibi curvatus Tyberis sinisteriorem ripam attereret; sive quod Ara sub terra ibi occultaretur, ad quam fiebant Sacrificia. Nec a Tinctoribus ibi existentibus placet denominatio, eo praecipue quod constat etiam tempore S. Gregorii (n), ut ipse inquit, habitasse juxta portam S. Laurentii.*

Aliae etiam in Urbe extiterunt Ecclesiae S. Luciae dicatae; in quibus Martinellus (*o*) S. Luciam *in septem Viis* recenset, quam Anastasius *(p)*, Blondus, aliique de Romanorum Pontificum rebus Scriptores appellant *in Septizonio*, *in septa Solis*, seu *in Septodio;* iccirco a *Septizonio* dicta, quod olim Apollini sacra fuerat, & postea a Sanctis Pontificibus D. Luciae dicata. Ex Rosino (*q*) Templum donis opulentissimum, & opere egregium fuisse colligitur. Ad quod SS. Priscam, & Martinam nobilissimas Virgines, & Martyres ductas Martinellus *(r)* existimat; ac Titulum, seu Diaconiam S. R. E. Card. extasse, quem Panvinius in Circo, & Martinus Polonus in Circo Palatii juxta *Septisolium* appellant, ibique Gregorium IX. ad Pontificatus Apicem evectum fuisse scribitur.

In aditu Circi Flaminii, ubi hodie vulgo dicitur *le Bottegbe oscure* aliud invenitur Templum S. Luciae, olim Herculis, quod in ejusdem Circi ingressu Gentiles aedificarunt, ut illud fallax Numen pugnas, ludosque ibi exhibentium curam gereret, ex quo postea Herculis Custodis nuncupatum. Inanium tamen Deorum cultu cessante, Crucisque vexillo in Urbe effulgente S. Luciae dicatum, & denuo Cardinalis Gymnasius illud a fundamentis excitavit anno 1637, ac in adjuncto sibi Palatio, Monialium sub Regula S. Theresiae Monasterium erexit.

His igitur quoad varias Urbis Ecclesias D. Luciae dicatas enar-

---

(m) *Martinell. Roma sac. pag. 165.* (n) *S. Gregor. lib. 4. cap. 54. Dialog.* (o) *Martinel. Roma sac. pag. 366.* (p) *Anastasius in Vita Leon. III., & Gregor. IV.* (q) *Rosin. antiquit. Rom. lib. 2. cap. 7.* (r) *Martinel. Roma sac. pag. 367.*

enarratis, profuſius de illa Eccleſia in Regione Arenulae ſita, quae Urbani III. tempore inter filiales S. Laurentii in Damaſo Baſilicae enumerabatur, ſermonem proſequamur. Haec, ut ſuperius dictum eſt, S. Lucia *ad Cloacam* hodie appellatur, cujus denominatio a proxima Cloaca ibi exiſtente, a Rege Tarquinio ad expurgandas vias in Urbe conſtructa, deſumta eſt.

Praefata S. Luciae Eccleſia ad Societatem Confalonis pertinet, quae prima inter ſaecularium Confraternitates recta vivendi regula inſtituta eſt, ut Camillus Fanuccius (*s*), & Pancirolus teſtantur. Hanc anno 1264. ſub auſpiciis D. Bonaventurae Seraphici Doctoris erectam, ac piis Conſtitutionibus, reguliſque munitam, quamplures Pontifices, praecipue Clemens V., ac Gregorius XIII. confirmarunt: Confalonis nomen adhuc retinet. A Confratribus rurſus a fundamentis erecta ſummo ſplendore, ac pari cultu adminiſtratur. Anno poſtea 1586. Sixtus V. propter pietatis opera, quae exercet, tribus millibus aureis quotannis exigendis eam ditavit.

Haec Eccleſia ſacris initiata fuit anno 1511. die 1. Junii, ut patet ex lapide parieti inſerto prope Altare S. Luciae, cujus dedicationis quotannis anniverſarius dies per octavam de more celebratur. Habet pro Reliquiis brachium ejuſdem S. Luciae, quod in ejus die feſto pie populorum venerationi exponitur. Ab omnibus enim haec glorioſa Virgo, & Martyr Siracuſana ad oculorum aciem ſervandam, eorumque morbos pellendos, invocatur. In quo Divina Virtus mirabiliter effulget, non tamen quia ei oculos erutos perſpicuum ſit, veluti a Pictoribus tenens in polubro oculos communiter exhibetur, ſed potius ob ejus nomen, quod lucem ſignificat. Alter vulgi (*t*) error irrepſit, confundentis hanc S. Virginem, cum S. Lucilla Virgine, & Martyre, quae lumine caſſa, cum a S. Stephano Pontifice ſacro fonte expiaretur corporis, & animae lucem accepit.

CA-

(s) *Fanucci dell' opere pie di Roma lib. 3. cap. 3. Pancirol. Teſori naſcoſti Rione 6. Chieſa 14.* (t) *Petrus de Natalib. lib. 6. cap. 137.*

CAPUT XVII.

De Ecclesia S. Austerii.

APud omnes Ecclesiarum Urbis tam existentium, quam dirutarum Scriptores nullam potuimus reperire notionem hujus Ecclesiae, quae in Urbani III. Constitutione vocatur S. Austerii. Quae proinde habemus ex Codicibus a Clemente XI. nobis traditis, & ex Ciampino (u) solummodo promere fas est. Hic Auctor aliquem errorem irrepsisse opinatur in exaratione enunciatae Bullae, atque loco Austerii, legendum esse Aureae: cujus en verba: *Vereor ut Ecclesia baec Aureae dicenda sit, quae in via Julia parum distans ab Ecclesia S. Johannis Florentinorum sita, nunc a fundamentis noviter constructa, immutato nomine S. Spiritus Nationis Neapolitanorum appellatur.* Visitationes porro, quas perscrutati sumus, ab Urbano VIII. ordinatae, nil de hac Ecclesia nobis protulerunt.

Nec in Martyrologio (x) reperimus ullum Sanctum hujus nominis Austerii, sed tantum Asterii, qui & quinque numerantur, inter quos unus fuit Nobilis Romanus passus sub Alexandro Imperatore apud Ostia Tyberina. Baronius (y) asserit Corpus hujus S. Martyris a Sergio juniore translatum esse in titulum Equitii, ut vetus inscriptio in marmore insculpta ibi asservata testatur.

Ex quibus rationi magis consentaneum videtur autumare alias extitisse Ecclesiam filialem nostrae Basilicae sub invocatione S. Asterii: siquidem literae, quibus hoc nomen profertur plus conveniunt appellationi S. Austerii, quam Sanctae Aureae; quapropter conjectura consequi possumus Amanuenses in exaratione Bullae Urbani III., per errorem loco scribendi Asterii, scripsisse Austerii.

CA-

(u) *Ciampin. de Vicecancell. cap. 8. pag. 162.* (x) *Martyrol. Rom. 21. Octobris.*
(y) *Baron. in not. ad Martyrol. 21. Octobris lit. C.*

CAPUT XVIII.

De Ecclesia S. Johannis in Ayno.

HAec Parochialis Ecclesia in Regione Arenulae sita, sub eodem quoque titulo perseverat, nostraeque Basilicae filialis, quam in Matricem adhuc agnoscit, de qua Martinellus haec habet: (z) *Ecclesia conceditur ab L.* †† *S. Laurentii in Damaso Card. Patriarcha Aquilejensi, & D. Papae Camerario, ac Sedis Apostolicae contra Teucros Legato Egidio de Horto Canonico S. Laurentii in Damaso die* 20. *Decembris* 1458. *tempore Pii Secundi.*

Ejus in Ayno denominationem ab aliqua ipsius fundatrice familia desumtam esse existimat Pancirolus (*a*). Diversimode quamvis Petrus Martyr Felinus (*b*) arbitretur, qui in Ayno dictam ab aqua Ania, in Urbem olim veniente, affirmat.

Ecclesia quidem est parva, ad eamque per unicum ostium patet ingressus; lacunari ligneo inaurato tegitur, quod in medio S. Johannis Baptistae simulacro exornatur.

CAPUT XIX.

De Ecclesia S. Andreae a Domo Johannis Ancillae Dei.

PLures adsunt conjecturae, pluraque recensentur fundamenta sparsim apud varios auctores reperta, & in unum collecta pro statuendo judicio, utrum haec Ecclesia illa sit, quae nunc S. Mariae de Monserrato nuncupatur. Ciampinus (*c*), qui aliquam omnium Basilicae S. Laurentii in Damaso filialium Ecclesiarum notionem in lucem depromere curavit, refert: *Hanc prope Ecclesiam B. Mariae Montis Serrati, quae anno* 1575. *diruta fuit, & illius in loco hospitale Nationis Regni Ara-*

(z) *Martinell. Rom. sac. pag.* 362. (a) *Pancirol. Tesori nascosti Rione* 11. *Chiesa* 22.
(b) *Felin. delle cose meravigl. di Roma pag.*123. (c) *Ciamp. de Vicecancel. pag.*159.

Aragoniae constructum. Idem Auctor addit ex Codicibus Visitationum Eminentissimi Cardinalis Urbis Vicarii, tunc denominatam esse hanc Ecclesiam S. Andreae in Curte Sabella Societatis Sutorum.

Apud Martinellum (*d*) idem patet; ait quippe olim extitisse Ecclesiam nuncupatam S. Andreae ad Curiam Sabellam, quae dicebatur de Ania, nunc S. Mariae Montis Serrati. Hoc vocabulum de *Ania* probat nimis, ratione ordinis retenti in exaratione Bullae Urbani III., dum Ecclesia immediate ante hanc, denominatur S. Johannis in Aino ab aqua Ania, ut diximus. Observatione dignum est, quod omnes Ecclesiarum Urbis Scriptores, in his describendis recenseant Ecclesiam hanc Montis Serrati immediate post illam S. Johannis in Aino. Pancirolus (*e*) narrat, quod anno 1475. Coronae Castellae, Regno Aragoniae unito, hae Nationes ob devotionem erga Deiparam Virginem Montis Serrati ad Ecclesiam in Urbe sub hac invocatione excitandam convenerint anno 1495, in cujus ambitu comprehensa extitit Ecclesia S. Andreae dicata, paullo ante profanata, atque demolita anno nempe 1475, ut Xenodochium pararent pro iisdemmet Nationibus.

Fuit pariter vocata haec Ecclesia S. Andreae de Nazarenis; in Visitatione quippe Basilicae S. Laurentii in Damaso habita die 6. Augusti 1573, enumerantur omnes filiales, inter quas haec S. Andreae de Nazarenis recensetur; quod quidem testatur etiam Martinellus Templa Sanctorum in Urbe obsoleta referens: (*f*) *S. Andreae Nazareni*, *inquit*, *legitur in taxa Leonis X. Erat in Regione Areolae Parochiale sub Tit. S. Laurentii in Damaso*. Ejusdem fit mentio sub denominatione S. Andreae in Nazareno apud Gruterum in suis Inscriptionibus (*g*).

Precipua festivitas, quae in hac Ecclesia celebratur, est dies festus Purificationis Immaculatae Virginis, & ad recolendum pro-

(d) *Martinell. Rom. sac. pag.* 337. (e) *Pancirol. Tesori nascosti Rione* 11. *Chiesa* 23.
(f) *Martinell. ubi supra pag.* 338. (g) *Gruter. Inscript. pag.* 873. *Inscript.* 2. & *pag.* 936. *Inscript.* 4. *edit. Amstelod.* 1707.

prodigium luminum, & ſplendoris, quibus in Monte Serrato haec ſacra Imago ſe viſendam exhibuit; ea die turmatim confluenti populo fit candelarum diſtributio, quarum quaelibet ejuſdem Sanctae Virginis effigie exornatur.

CAPUT XX.

De Eccleſia S. Mariae in Catharina.

PRaeſens haec Eccleſia nuncupatur *S. Catarina della Rota* in Regione Arenulae poſita in Platea S. Hieronymi de Charitate, & hoc aſſerere fas eſt ex teſtimonio, quod perhibet Martinellus (*h*). Hujus quoque Eccleſiae meminit taxa Leonis X.; corrupto vocabulo nuncupata pariter fuit S. Maria in Catemeri, atque Catemiri, & in Catinara.

Hujuſmodi denominationem *della Rota* Petrus Martyr (*i*) opinatur fuiſſe huic Eccleſiae impoſitam, ut aliquod inter reliquas glorioſae Virgini Catharinae dicatas Eccleſias diſcrimen intereſſet; hocque eveniſſe, poſtquam Senenſes novam excitarunt Eccleſiam ſub nuncupatione S. Catharinae Senenſis, ut teſtatur Pancirolus (*k*). In Archivis etenim Vaticanae Baſilicae in teſtimonium a praefato Auctore allegatis praenominatur S. Maria in Catharina, quaſi denominationem deſumpſiſſet a fundatrice, quae forſan Catharina vocabatur; ad inſtar noſtrae Baſilicae, & S. Laurentii in Lucina, a S. Pontifice Damaſo, & Lucina fundatoribus nuncupatarum: ſeu quia primus titulus in erectione inditus fuerit S. Catharinae, quod ut plurimum evenit, quando alicui Eccleſiae novus ſuperadditur titulus, etiamſi denominationem, ut antea, praeſeferat, S. Mariae in S. Catharina. Verum parvi admodum intereſt hujuſmodi denominationis S. Catharinae rationem perquirere; aſſumtum namque noſtrum filiales Eccleſias Baſilicae S. Laurentii in Damaſo

(h) *Martinell. Roma ſacra pag.* 87, & 371. (i) *Felin. delle coſe maravigl. di Roma pag.* 125. (k) *Pancirol. Teſori naſcoſti Rione* 11. *Chieſa* 25.

maso in Bulla Urbani III. recensitas describendi totum est in perscrutando earumdem situm, Titulum, atque praesentem denominationem; vetustis vero curiosius perscrutandis consulto parcimus, utpote variatis, & fere oblivione sepultis sex saeculorum ambitu, in quibus tot vicissitudines, mutationesque non solum in sacra, sed in profana etiam aedificia hujus almae Urbis irrepserunt.

Unicam haec Ecclesia habet navim, & hinc inde Altaria, estque adhuc Parochialis. At pluribus ab hinc annis Reverendissimum Capitulum S. Petri in Vaticano ostendere fategit hanc S. Laurentii in Damaso filialem Ecclesiam sibi unitam esse; quam ob caussam multis retro annis orta controversia inter idem Capitulum S. Petri, & Capitulum S. Laurentii in Damaso; Primum enim contendit hanc Ecclesiam sibi in omnibus vigore unionis esse subditam, unde illius Rector die Sabbathi majoris haebdomadae, ac in Vigilia Pentecostes ad Ecclesiam S. Laurentii accedere recusat, & aquam benedictam, sacrumque oleum sumere, debitamque reverentiam, & obedientiam exhibere; Capitulum vero Laurentianum sibi in iis subjectam esse pro viribus instat, tam vigore relatae Constitutionis Urbani III., quam specificae Decretalis Honorii III. in capitulo: *His quae de majoritate, & obedientia*, de quo sermo fuit, ubi de Titulis. Praesidio cujus validissimo fulcitur; declarantur etenim ibi omnes filiales hujus Matricis Ecclesiae, ut Cardinali Titulari, & Capitulo manualem obedientiam, reverentiam, ac honorificentiam omnem exhibeant, eorumque correctiones, & mandata recipiant, & inviolabiliter observent.

Hinc introducta lite coram Praesule deputato, resolutio emanavit firmans Ecclesiam S. Laurentii in Damaso esse Matricem ejusdemmet Paraeciae, illique concedendam manutentionem; at habito recursu, commissaque Caussa, Sacra Rota sub die 16. Junii 1679 coram R. P. D. Rondinino ad favorem ejusdem Matricis pronunciavit. Cui decisioni idem Reverendissimum Capitulum S. Petri acquiescere noluit, ideo denuo excussa, alteram idem R. P. D. Rondininus die 15. Junii 1681.

san-

ſanxit deciſionem, qua auctoritatem, ac firmamentum priori deciſioni adjungit, corroborantem jus, & ſuperioritatem eidem Baſilicae S. Laurentii in Damaſo in praefata Eccleſia S. Catharinae *della Rota*: ab iis judicatis rurſus provocatum, in hoc ſtatu controverſia pendet.

C A P U T XXI.

De Eccleſia S. Thomae de Hiſpanis.

HAnc S. Thomae de Hiſpanis Eccleſiam Ciampinus, atque Laurentiani Archivi Manuſcripta, & privatim illa quae nobis benigniſſime impertitus eſt Clemens XI. prorſus evincunt extitiſſe, ubi hodie nomine S. Johannis Evangeliſtae Nationis Bononienſis deſignatur Eccleſia. Martinellus quoque in veterum Eccleſiarum Catalogo obſoletarum, affirmat hanc S. Thomae de Hiſpanis fuiſſe in Regione Areolae, & de ea meminit taxa Leonis X. Praeterea diviſim ſermonem habens de Templo S. Thomae de Catena, dicit: (*l*) *Nunc S. Johannes Nationis Bononienſis, erat Parochialis ſub titulo S. Laurentii in Damaſo.* Et alibi loquens de S. Johanne Bononienſium haec habet: *Olim S. Thomas de Catena apud Farneſiorum Palatium eſt Confraternitatis Nationis Bononienſium.* Idem aperte comprobatur, ex Viſitationibus Urbani VIII., ubi ſcriptum reperimus: *(m) Eccleſia S. Johannis Evangeliſtae, alias S. Petronii Nationis Bononienſis, quae olim erat Parochialis ſub nomine S. Thomae de Catena in Regione Arenulae ſita.* Denominationem vero de Catena ab Societate ibi exiſtente, cujus Confratres ferreis flagris ſe caedebant, deſumtam eſſe, teſtatur Pancirolus (*n*).

Bononienſium Natio anno Jubilei 1575, ut ſuam inſtitueret Confraternitatem ſub titulo S. Johannis Apoſtoli, & Evangeliſtae, Eccleſiam cum Monaſterio S. Johannis Calybitae nuncu-

(l) *Martinellus Roma ſacra pag.* 404. (m) *Cod. Viſit. Urban. VIII. tom.* 2. *fol.* 773. *ſub die* 2. *Martii* 1626. (n) *Pancirol. Teſori naſcoſti Rione II. Chieſa* 15.

pato apud Insulam Tyberinam obtinuit. In quo Claustro refert Fanuccius (*o*) antea habitasse Moniales S. Clarae, quae exinde ad Monasterium S. Annae translatae fuerunt. Praefata Insula inter duos Pontes Caestium, & Fabritium sita, (*p*) Licaonia antiquitus propter Jovis Licaonii Templum ibi erectum appellabatur. Caeterum in hac Insula fuisse Aesculapii, ac Fauni Templa, Eusebius testatur (*q*), & Julii Caesaris, Simonisque Magi statuas; quamquam hoc postremum Critici recentiores inficientur. Postea vero inanium Deorum, quos coeca Gentilitas recolebat, simulacris eversis, veroque Numini cultu excitato, a S. Adalberto Martyre primum nuncupationem accepit. Erecto demum in illa magnifico in honorem D. Bartholomaei Apostoli Templo, ejusque Corpore, ut Romae fertur, ex Benevento per Othonem II. in illud translato ab eodem Apostolo nomen effert, prout plura veterum, & recentiorum monumenta testantur.

In praefato S. Johannis Calybitae Monasterio Bononiensium Societas ob loci distantiam non diu permansit; sed substitutis Eremitis sub Regula S Johannis Dei, vulgo *Fate ben Fratelli*, ubi nunc extat Xenodochium, in ejus locum hanc Ecclesiam, de qua agimus, S. Laurentii in Damaso filialem, a Gregorio XIII. obtinuit. Animarum vero cura suppressa ad finitimas Paraecias anno 1576. Kal. Aprilis translata est, ut clarius ex praefatis Urbani VIII. Visitationibus apparet. Natio Bononiensis renovare, & prolixius efferre instituit memoriam Templi S. Johannis ante Portam Latinam, quod utpote non parum ab Urbe remotum pietatem adeuntium difficultate itineris remorabatur, ut testatur Pancirolus (*r*). Insignia ejusdem S. Johannis Martyrii, impressa humeris, idem gestat sacrum sodalitium. Ecclesiae S. Johannis ante Portam Latinam Abbas Johannes Marius Crescimbenus insigni eruditione edidit Historiam.

CA-

(o) *Fanucc. dell' opere pie di Rom. lib. 4. cap. 17.* (p) *Blond. Rom. inst. lib. 2. cap. 78.*
(q) *Euseb. histor. Eccles. lib. 2. cap. 12.* (r) *Pancir. Tesori nasc. Rione 11. Chiesa 15.*

CAPUT XXII.

De Ecclesia S. Andreae de Hispanis.

AUctoritates omnes, ac documenta pluribus ab Auctoribus excerpta, seduloque perpensa ad hanc compendiariam filialium Ecclesiarum nostrae Basilicae pertractationem contexendam, evincunt hanc Ecclesiam, de qua modo sermo faciendus occurrit, quae prius denominabatur S. Andreae de Hispanis, hodie S. Mariae de Quercu nuncupari. Ab Universitate Laniorum, vulgo *Macellari* anno 1532, Clemente VII. tunc regnante, denuo excitata est, ut Camillus Fanuccius testatur *(s)*: eadem Universitas instituit Confraternitatem sub invocatione S. Mariae de Quercu, tuncque antiquus S. Andreae titulus obsolevit, quia Ecclesiam hanc vetustate fere collapsam a fundamentis hujusmodi Confraternitas denuo excitavit, ac in eam formam, qua nunc conspicitur, redegit, ut Inscriptio supra Ecclesiae ostium insculpta confirmat.

Beatae Mariae de Quercu Templum
Ab Universitate Macellariorum instauratum.

Ciampinus (*t*) idem de hac Ecclesia arbitratur, auctoritatemque Martinelli refert (*u*), qui asserit S. Mariae de Quercu Ecclesiam antiquitus insuper nuncupatam fuisse *S. Andreae de Custo carcere, aut de Imperio carcere, vel in Unda, & erat prope Familiae Capitis Ferrei domum.*

Quae domus prope hanc Ecclesiam S. Mariae de Quercu spectabat olim ad nobilem Romanam gentem Capitis Ferrei, sic nuncupatam a Cardinali *di Capo di Ferro*, qui eam, Paulo III. Summo Pontifice, aedificavit; postea ad gentem de Mignanellis pervenit; nunc vero est Palatium nobilis Familiae de Spada, cujus magnificentiae debet praesentem ornatum. Alibi Templa in Urbe obsoleta Martinellus referens ait de hac S. An-

(s) *Fanuc. dell' opere pie di Roma lib. 4. cap. 31.* (t) *Ciampin. de Vicecancel. pag. 160.*
(u) *Martinell. Roma sacra pag. 337.*

S. Andreae Ecclesia: *prope domum de Capite Ferreo, sub Paraecia S. Thomae de Catena Regionis Areolae concessum die 30. Aug. 1532. a Clemente VII. Confraternitati Laicorum, & bodie dicitur S. Maria de Quercu.* In Codice Visitationum (x) ab Urbano VIII. praeceptarum dicitur olim fuisse Regularium Ordinis S. Dominici, sita in Regione Arenulae, & filialis S. Laurentii in Damaso, postea a Clemente VII., ut ex ejus concessione per literas Apostolicas expeditas die 30. Augusti 1532. universitati Macellariorum fuit concessa, cujus homines inter se Confraternitatem erexerunt sub invocatione S. Mariae de Quercu, sicque Ecclesia cum hac denominatione nuncupari coepit. Erat hujusmodi Ecclesia juxta probabiliorem sensum Nationi Hispanae addicta, ideoque in Bulla Urbani III. S. Andreae de Hispanis nuncupabatur: hoc cognomen amisit tempore, quo Alphonsus Paradina anno nempe 1450. nobiliorem pro Natione Hispana Ecclesiam in Circo Agonali excitavit sub invocatione S. Jacobi, quam deinde Ecclesiam constat amplificatam, & magis ornatam fuisse ab Alexandro VI. Tunc, ut existimat Ciampinus (y), ac afferunt plura M.S., quae ad rem nostram percurrimus, Hispanorum Natio, tam ab hac Ecclesia, quam a superius relata S. Thomae discessit, quae postea Confraternitatibus, ut diximus, fuerunt concessae.

Rationi maxime consonum videtur caussam hic referre, cur sacra haec Aedes Deiparae Virgini dicata de Quercu nuncupata fuerit. Haud longe a Civitate Viterbiensi, Provinciae Patrimonii S. Petri Metropoli, Johannes Baptista Clavarus praefatae incola Urbis vineam possidebat. Hic ob pietatem, & singularem devotionem, quam Beatae Virgini profitebatur, in tegula quadra Iconem Sanctissimae Virginis pingi curavit, & quercui in sua Vinea suspensam affixit, ubi per sexaginta annorum spatium remansit, nec ulla unquam temporum injuria fuit laesa. Anno 1467. ob crebra miracula, ac prodigia, quae ex

(x) *Visit. Urb. VIII. 9. Martii 1624.* (y) *Ciampin. de Vicecancell. pag. 160.*

ex ea Deus ad Virginis Matris intercessionem patrabat, & gloriam, ut Pancirolus affirmat (z), Fidelium cultus, ac pietas erga ipsam adeo coepit augeri, ut ex votis, & eleemosynis ab Affricae usque, & Bizantii Regionibus profusissime emissis, illustre Templum cum Coenobio Regularibus postea Ordinis Praedicatorum a Paulo Papa II. concesso, fuerit aedificatum. Ob cujus venerationem aliud in Urbe Templum, ut superius diximus, Laniorum Confraternitas erexit.

Super Aram maximam collocata cernitur inter ramos Quercus argenteae Imago Beatissimae Virginis gestantis filium, sculpta in ligno, cum aureis coronis dono datis a Reverendissimo Capitulo S Petri, a quo coronata fuit anno 1700. Solemnioribus tantum festivitatibus visitur haec Sacra Imago.

Navis Ecclesiae, quae est ante Altare majus habet lacunar picturis ornatum; quae vero protenditur ad Sacella, in lateribus posita, est fornicata. Hujus Ecclesiae festivitas Dominica post Nativitatem Gloriosae Virginis celebratur, quia licet hujus miraculosae Imaginis apparitio fuerit die 8. Julii 1467, translatio tamen a Quercu ad Ecclesiam pro majori Sacrosanctae Iconis cultu, & veneratione constructam, illo die Dominico occurrit.

CA-

(z) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 11. Chiesa 28.*

CAPUT XXIII.

De Ecclesia S. Salvatoris de Unda.

PRimis Orthodoxae Fidei saeculis Santissimo Salvatori Nostro ut plurimum sacrae consecrabantur Aedes, nullo supperaddito Sanctorum Titulo, quibus exinde maxima pars sacrata fuit; & hujusmodi quidem usus diu in Ecclesia invaluit; ut revera demonstrat Ecclesia Lateranensis, quae prima in Urbe solemniter Salvatori dicata est: quod non solum ex auctoritatibus, quae apud sacros Scriptores passim leguntur, quas, brevitati consulendo, ommittimus, convincitur; verum etiam ex quo in Urbani III. Pontificatu inter hujus nostrae Basilicae filiales Ecclesias adhuc decem Sanctissimo Salvatori dicatae superfuerint, de quibus singulis peculiariter in sua sede pertractabimus. Sumimus nunc exordium ab Ecclesia S. Salvatoris de Unda, quae a Sixti Ponte ad Sanctissimae Peregrinorum Trinitatis Ecclesiam, recta via eundo, a sinistris occurrit. Ab uno ex nobili Caesarinorum Prosapia, teste Pancirolo (a), excitata anno 1260, pluribusque redditibus dotata, & locupletata, ac Sanctissimi Salvatoris titulo fuit decorata; sed ut discrimen aliquod alias inter Salvatori in Urbe dicatas Ecclesias intercederet; illi denominatio de Unda, vel in Unda, quia nimis prope Tyberim posita est, ejusque alluvionibus obnoxia, apposite fuit adjecta, sicque denominata legitur in quodam Brevi Clementis Papae VII. ab anno usque 1525. exarato, ex quo in ea Regulares S Pauli primi Eremitae antiquitus permansisse resultat, cujus institutum initium sumpsit eodem fere aevo, quo haec Ecclesia erecta fuit. Praenominatis Patribus Eremitis Clemens Papa hujus nominis V. anno 1308. regulas constituere juxta S. Augustini institutum indulsit. Johannes subinde Papa XXI. anno 1317. hujus Sacri Ordinis Constitutiones confirmavit. Demum ab hac Ecclesia jussu Eugenii IV. anno 1474. prae-

(a) *Pancir. Tesori nascosti Rione* 11. *Chiesa* 13.

praefati Patres ſeceſſerunt, quam cum adjacentibus ſimul Domibus Generali adminiſtratori Ordinis Minorum conceſſit, Patribuſque Eremitis Eccleſia S. Stephani Rotundi poſtmodum aſſignata, ac donata fuit; quae Eccleſia antiquitus Templum a Gentilibus Fauno dicatum Famianus Nardinus (*b*) extitiſſe arbitratur.

Perſeverat haec Eccleſia S. Salvatoris in filiatione, & dependentia noſtrae Baſilicae, eſtque Parochiali inſignita titulo, atque in ea degunt uſque nunc Patres Minores Conventuales S. Franciſci, ad quorum Religionem Eccleſia ipſa cum Aedibus contiguis ſpectat. Plures Conſtitutiones Pontificum Romanorum agentes de hac Eccleſia S. Salvatoris de Unda edidit Fr. Lucas Wadingus (*c*).

Ara maxima habet pro Icone Imaginem Sanctiſſimae Virginis, appoſitam intus fornicem concavum. Navis media duodecim columnis in duobus ordinibus fulcitur. Saepe tranſeundo ante Eccleſiam hanc, & Domum Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Conventualium, ſequentes verſus perlegi, ſupra interiorem portam exaratos.

Parva licet Domus, nec non pauperrima Summos
Pontifices Xiſtos edidit iſta duos.

Ex quibus habemus Sixtos IV., & V. dum in minoribus eſſent hic habitaſſe.

(b) *Nardin. Rom. ant. lib.* 3. *cap.* 7. *reg.* 2. (c) *Wading. in Annal. Minor. tom.* 5.

CAPUT XXIV.

De Ecclesia S. Caesarii.

HAec Ecclesia S. Caesarii demolita fuit, ac Templo Divi Pauli in Arenula unita, ut Martinellus his verbis affirmat: *(d) SS. Caesarii, & Pauli in Regione Areolae meminit taxa Leonis X. Castallus Metallinus scribit fuisse aedificatum quoddam Templum S. Caesario prope Undam, ex quo facile inferri potest, fuisse, quod nunc dicitur S. Pauli Arenulae.* Vocatur a Mazochio prope Tyberim. Cujus Ecclesiae unio evidenter apparet ex antiquo marmore in Templo ejusdem Divi Pauli Arenulae in pariete prope Aram maximam a cornu Epistolae existente, ubi de hoc S. Caesario ita commemoratur: *Tibi Christi Laevitae Caesari.* De quo palma Martyrii, ac Diaconatus munere illustri refert Martyrologium: *(e) Tarracinae in Campania Natalis S. Caesarii Diaconi, qui diebus multis in Custodia maceratus, postea cum S. Juliano Presbytero in saccum missus in mare praecipitatus est.*

Enunciatam inscriptionem quamvis pluribus solaecismis redundantem per extensum referimus, admiratione tamen dignam propter rudem dicendi modum, qui undecima aetate in latinum idioma irrepserat, ita prorsus in Urbani II. Pontificatu neglectum enormium caussa schismatum, quae duorum circiter saeculorum intervallo Romanam Ecclesiam perturbarunt.

In nomine Domini Anno Milleno Domini nonagesimo sexto quarta nunc currente non utique, indictio semper vacua, qui e sede non certus sessor haberet mensis, quis intercalaris Februarius. Ultimus ad Aras Martyrum sit, qui decus tibi Christi Levitae Caesari retinens Sanctorum nota Beatarum Virginum, & Virorum nomina, quorum scilicet Reliquiae omnium Apostolorum, nec non de Vestimentis Domini Nostri Jesu Christi, & de ejus Sandaliis, & de Ligno almificae Crucis; item de Velo Virginis Mariae,

(d) *Martinell. Rom. sac. pag.* 351. (e) *Martyrol. Rom. die* 1. *Novemb.*

riae, & de Caro, & Sanguine Leonis IV. Papae, nec non digitum, & dentem S. Andreae Apostoli. Insuper Reliquiae Sanctorum Sergii, & Bacchi, Vincentii, & Anastasii, Reliquiae Beatorum Pontificum Clementis, Urbani, atque Foelicis, Reliquiae Martyrum Cosmae, & Damiani. Reliquiae S. Laurentii, Marci, Eugenii. Reliquiae S. Joachini, & Annae Prophetissae, Sanctarumque Virginum Petronillae, Eugeniae, atque Agathae. Reliquiae SS. quadraginta Martyrum. Reliquiae Nerei, Achillei, atque Alexandri Papae, Marci, & Marcelliani, Abundi, & Abundantii. Reliquiae S. Papae Stephani. Reliquiae Tranquillini, & S. Caeciliae Virginis, Chrisanti, & Dariae, S. Foelicitatis, cum Filiis ejus. Reliquiae Tiburtii, & Valeriani, & de Crure S. Ciriaci, similiter & de Crure S. Secundiani, & Brachio S. Marciani, & Euticiani.

S. Caesarii Beda, Usuardus, Ado, Baronius, & alii recentiores acta referunt, omnesque conveniunt, eum in Affrica ortum habuisse, unde Tarracinam se contulit, ubi Diaconus consecratus, pro Fide Catholica plurimum laboravit. Quapropter a Praefecto Lussurio in durum carcerem conjectus, in sacco demum inclusus, una cum S. Juliano Presbytero in mare demersus est. Quorum Corpora a Christifidelibus inventa, Tarracinae honorifice condita sunt. De hoc S. Caesario plura leguntur in Actis SS. Nerei, & Achillei apud Surium *(f)*. Ejus postea Corpus in Urbem translatum in Ecclesia ejus nomini dicata in via Appia collocatum fuit. Haec via ita dicta est ab Appio Claudio Censore, qui eam ad Capuam Urbem usque stravit, & munivit; aliique deinde montibus aequatis, vallibusque erectis, ut facilius iter redderetur, Brundusium usque in Calabria extenderunt. Singulis mille passibus, milliariorum numerus in columella caelatus inter longum marmoreorum sedilium ambitum legebatur. Quae licet ad nostrum susceptum opus non attinere videantur, ut plerumque nobis accidit, porro extra rem non est, egregias aliquando laudes, & ma-

(f) *Surius tom. 3. die 12. Maii.*

magnificentias Urbis nostrae triumphantis commemorare.

Existimat Martinellus S. Caesarii in Palatio fuisse antiquum sodalitium juxta Palatium Lateranense, de quo Anastasius loquitur, dum in Vita Leonis IV. inquit: (g) *Et in Monasterio S. Caesarei, quod ponitur in Palatio, fecit &c.* Ex quo erronee hujus cognomen deductum opinatur. En verba praefati Martinelli: (h) *S. Caesarei Oratorium, quod ponitur in Monasterio ad Corsas esse idem cum S. Caesareo apud S. Xistum viae Appiae constat ex Bibliothecarii verbis in Leone IV. Monasterium Corsarum, quod juxta Basilicam B. Xisti Martyris, atque Pontificis situm est &c. Restauravit S. Caesarei in Palatio Templum., diversum a S. Caesareo apud S. Xistum cognominatum improprie in Palatio.*

Ex quo apparet Martinellum arbitrari duas extitisse Ecclesias S. Caesarii, unam via Appia ad Corsas, alteram S. Caesarii in Palatio cum Coenobio, in quo, ut narrat Panciroltus (i), plures degebant Monachi, qui, cum anno 687. Orientis Imperatores a Catholicae Religionis Fide ad pestiferas Haereses se contulissent, ab illo Imperio expulsi, exteras adire regiones fuerint coacti. Quapropter a Romanis Pontificibus benigne recepti, Ecclesiam cum Palatio ad Coenobium aedificandum satis apto obtinuerunt. Quod uberioribus redditibus affluens, unum ex viginti privilegiatis Monasteriis constitutum est: ejusque Abbates Summo Pontifici sacrum solemniter peragenti adstabant, ut distincte Onuphrius Panvinius testatur (k).

Diversimode tamen a Martinello Nardinus opinatur (l), validisque rationibus, brevitatis gratia praetereundis, asserit, unum tantum fuisse Templum S. Caesarii; antiqua enim denominatio in Palatio proximitati Caracallae Palatii tribuenda illi videtur propter rudis antiquitatis errorem, quae superborum aedificiorum reliquias Palatia nuncupabat.

In hoc proinde S. Caesarii Templo, ubi ejus Corpus jacebat

(g) *Anastasius in Vita Sergii I., & Leon. IV.* (h) *Martinell. Roma sacra pag. 350.* (i) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 9. Chiesa 22.* (k) *Panvin. de sept. Ecclesf. ubi de S. Johanne Later.* (l) *Nardin. Rom. ant. lib. 7. cap. 6. reg. 12.*

bat, apud Baronium (*m*) reperimus Moniales Graecas ejusdem Sancti brachio Divum Annonem Coloniensem Episcopum, tunc in Urbe anno circiter 1070. commorantem decorasse, quod postea Coloniam detulit, ut in actis ejusdem Annonis habetur expressum (*n*). Deinde octoginta post annos, cum D. Bernardus hoc Coenobium inviseret, ei Moniales Martyris dentem impertire cupiebant, cumque avelli non posset: petendus humiliter, inquit Sanctus Abbas, a S. Martyre, ideoque multis ad eum precibus effusis, vix tactus a D. Bernardo ex maxilla facile amotus est. Coenobio vero a Monialibus postea relicto, locus ille ita desolatus remansit, ut nullum nec Monasterii, nec Palatii vestigium appareret. Exinde Ecclesia diruta, Corpus hujus Sancti Martyris translatum est in Basilicam Helenianam, (*o*) dictam alio nomine S. Crucis ad Hyerusalem in agro Sessoriano, ubi hactenus religiosissime asservatur.

Ut idem tamen Templum facilius restauraretur Leo X. inter Cardinalium titulos illud annumeravit, teste Pancirolo (*p*). Hoc vero executioni non demandato, nec in pristinum decorem Ecclesia redacta, Sixtus V. titulos praefinite reducens, illum inter caeteros abolevit, ut in ejus Constitutione (*q*). Clemens tandem VIII. antiqui hujus monumenti misertus, gloriosique S. Caesarii memoriam cupiens renovare, eamdem antiquissimam hujus Sancti Ecclesiam jam vetustate collapsam, & inter vineta, vepribus, situque obductam jacentem, foeliciter a fundamentis restauravit, ornavitque. De qua etiam Cardinalis Baronius (*r*) in suis Annalibus in Vita Sergii I. sermonem habet.

Idem Clemens VIII. rursus eam titulo, quo Sixtus V. orbaverat, insignivit, eo, quo S. Vitalis Ecclesia pene collapsa decorabatur, sublato. Quamobrem licet nostra filialis S. Caesarii Ecclesia in

---

(m) *Baron. in not. ad Martyrol. 1. Novemb.* (n) *Acta S. Annonis Episc. Colon. lib. 1. cap. 34.* (o) *Severan. delle sette Chiese part. 1. pag. 468. edit. Rom. 1630.* (p) *Pancirol. Tract. de Titol.* (q) *Constit. 55. Bullar. 2. impress. , & Constit. 50. Bullar. ejusd. edit.* (r) *Baron. in not. ad Martyrol. 1. Novemb. Annal. tom. 8.*

in Regione Areolae, vel prope Undam, ut superius dictum, suppressa fuerit, ac Templo Divi Pauli in Arenula unita, illustris tamen gloriosi hujus S. Martyris Caesarii memoria in alma Urbe perseverat.

C A P U T XXV.

De Ecclesia S. Benedicti de Arenula.

SI monumenta reliqua titulorum veterum Ecclesiarum, ubi eorum crebra mutatio incidit, perinde asservata fuissent, ac retentae sunt memoriae hujus Ecclesiae S. Benedicti de Arenula, facili negotio praedicti tituli invenirentur, atque digererentur; nec nobis tanti esset laboris hanc pertexere tractationem filialium Ecclesiarum Basilicae S. Laurentii in Damaso. Et quidem apud Scriptores omnes Urbanarum Ecclesiarum expresse traditum habemus anno 1548., Paulo III. Pontificiam Sedem obtinente, erectum fuisse sodalitium ad excipiendos peregre advenientes, & invalidos. Cum vero augeretur in dies hujus sacrae institutionis publica utilitas, & existimatio, Auctore Crescentio Silva Sacerdote Senensi, quemadmodum testatur Camillus Fanuccius (s) praedicto sodalitio attributa fuit Ecclesia S. Benedicti de Arenula, quae tunc temporis insignita fuit Augustissimae Trinitatis nomine, dicta a Ponte Sixti, ut ab aliis in Urbe Ecclesiis Sanctissimae Triadi dicatis discriminaretur, ac propter ejusdem Pontis propinquitatem, cum antea Janiculensis vocaretur, quoniam aditum sterneret ad ascensum Janiculi Montis, qui hodie Montorius nuncupatur. Vocatus item fuit Aurelius ab Aurelia porta, cui hodie a S. Pancratio nomen. Constructus quidem antiquitus ille Pons fuit ex quadrato marmore ab Antonino Pio. Sed civilium bellorum occasione multis partibus fatiscens, per aliquot saecula dirutus, effractusque, refectus demum a

Si-

(s) *Fanucci dell' opere pie lib. 3. cap. 27.*

Sixto IV. appetente anno Jubilaei 1475., ab eodem Pontifice Sixti nomen accepit.

In facris Vifitationibus Urbani VIII. fequens documentum reperimus: (*t*) *Ecclefiam Sanctiffimae Trinitatis Peregrinorum, alias etiam hofpitalis Sanctiffimae Trinitatis Convalefcentium, in Regione Arenulae. Olim erat Parochialis fub invocatione S. Benedicti, dependens a Collegiata S. Laurentii in Damafo, Clericis faecularibus conferri folita, fed Paulus PP. IV. Curam fuppreffit, & finitimis Parochialibus S. Salvatoris in Campo, & SS. Vincentii, & Anaftafii de Arenula, ac S. Salvatoris in Unda diftribuit, atque Ven. Archiconfraternitati fub Myfterio Sanctiffimae Trinitatis militanti conceffit, ut per ejus literas anno* 1558.

Arenulae nomen huic olim Ecclefiae impofitum ab Urbana regione ejufdem nominis, ubi eft condita, affirmat Petrus Martyr (*u*) propter arenulas, & fabulum circa ea loca ftagnantis Tyberis, & ad ejufdem ripas relictum, atque depofitum; & commune quidem eft hoc nomen aliis item Ecclefiis, quae locatae funt in eadem Urbana regione. Fuit alias haec eadem Ecclefia appellata a S. Benedicto Scotorum, ut traditur a Martinello (*x*) ex auctoritate Grimaldi a Familia Scotta; Scotti enim erant Barones Romani. Fuit etiam antiqua Urbis Abbatia relata a Panvinio.

Confirmatum fuit hoc fodalitium a Pontifice Pio IV. anno 1560., auctumque titulo Archiconfraternitatis, ut eidem conjungi poffent alia fodalitia, quae forte erigerentur extra Urbem. In ejufdem Pontificis Bulla legitur, annuos proventus hujus fodalitii non exceffiffe tunc temporis quindecim nummos aureos, poftea vero piorum hominum largitionibus facro aere collatis admirabiles fumtus ad pia opera exhibuit: ex quo licet agnofcere divinae Providentiae opera, quae ab exiguis initiis ad immenfam amplitudinem multa perduxit, ut nimirum eidem accepta referantur eorumdem operum incrementa omnia.

Hoc

(t) *Codex Vifitat. Urb. VIII. fub die* 11. *Julii* 1628. (u) *Felini dell' opere maravigl. di Rom. pag.* 129. (x) *Martinell. Rom. facr. pag.* 313, & *pag.* 347.

Hoc idem sodalitium, ubi olim vetus Ecclesia S. Benedicti de Arenula colebatur, a fundamentis erexit Ecclesiam aliam multo ampliorem; & elegantioris formae, cujus structuram absolvit anno 1614.

Ara maxima est sub invocatione Sanctissimae Trinitatis, cujus Mysterium ampla coronide, ac quatuor columnis marmoreis circumdatum ibi veneratur; opus eximium graphice a Guido Rheno coloratum. In Sacello ad latus dextrum recolitur Imago B. Mariae Virginis, olim existens in pariete Domus Gentis de Capranica, ut testantur Martinellus, (y) & Pancirolus. Auctoritate Sixti Papae IV. huc translata die 11. Julii 1562. Camillus Fanuccius (z) testis est hanc effigiem locatam olim fuisse in muro posterius adjecto aedibus Gentis *della Valle*, & quidem profano in loco, eamdemque multis, clarisque miraculis excelluisse.

Fuit consecrata haec Ecclesia anno 1616. per Cardinalem Mutum Episcopum Viterbiensem. Celebrant in ea quotidie Cappellani plusquam quadraginta amovibiles ad nutum, menstrua mercede conducti, quorum pars apud Ecclesiam degit, reliqui vero extra, & ex commorantibus in ea plures onus habent audiendi Confessiones Convalescentium, & Peregrinorum.

In signum obsequii, & dependentiae erga nostram Basilicam veluti Matricem Archiconfraternitas haec, die festo SS. Laurentii, & Damasi, Sacerdotem mittere tenetur, qui divinis Officiis, Ecclesiaeque Ritibus intervenit. Coemit insuper hoc sodalitium, ut traditur a Pancirolo, plurima aedificia eidem Ecclesiae adjuncta ad usum Nosocomii Peregrinorum, & Invalidorum, sive Convalescentium, quod hodie ad praeclari aedificii formam est redactum; continet enim diversa ampla, ac oblonga dormitoria, in quibus Peregrini masculi a foeminis seorsim recipiuntur, & diversa coenacula. Mulieres nobiles gubernio praepositae mulieribus inserviunt, quae ibi per tres

dies

(y) *Martinell. Roma sacra pag.* 313. *Pancirol. Tesori nascosti Rione* 11. *Chiesa* 29.
(z) *Fanucci dell' opere pie lib.* 3. *cap.* 27.

dies hospitantur, quibus elapsis, dimittuntur cum eleemosyna. Divina quidem Providentia adeo se propitiam praestitit huic sodalitio, ut quemadmodum testatur Camillus Fanuccius (a) anno Jubilaei 1575. idem Nosocomium hospitium, & cibarium exhibuerit plusquam centum millibus omnis nationis, sexus, & qualitatis mortalium; anno vero 1600. millibus etiam trecentis, quin & quandoque acciderit ibi quatuor, & quinque hominum millia in dies singulos excipi. Iis vero omnibus e sacro ritu abluti pedes, collata cibaria, atque alia ad sustentandam vitam necessaria, ministerium hoc exhibentibus Viris praecipua Urbis hujus nobilitate fulgentibus. Hoc in Nosocomio sequentes visuntur Epigraphes:

S. Philippo Nerio
Cujus consilio, atque opera
Archiconfraternitas Sanctissimae
Trinitatis instituta est.

Clementi VIII. Pont. Max.
Quod Xenodochium paterna charitate inviserit, singularique liberalitate sustentaverit Sodalitas opportuna ejus ope conservata Pos. MDXCVII.

Urbano VIII. Pont. Max.
Caelestis humanaeque rei distributori liberalissimo, quod anno Jubilaei 1625. apertis utriusque munificentiae Valvis Xenodochium hoc aere plurimo juvit, nova supellectile auxit, praesentia saepius illustravit, Sodalitas grati animi monumentum posuit.

Innocentio X. Pont. Max. Quod insigni
ejus liberalitate difficillimis Xenodochii
temporibus vetus in excipiendis Peregrinis mos, & laus
retineri, atque florere potuerit Beneficii
monumentum Sodalitas posuit anno Jubilaei 1650.

Alexandro Peretto S. R. E. Card. Montalto Vicecancellario hujus Xenodochii Patrono, cujus interea inopiam ingenti suppe-

(a) *Fanucci dell' opere pie lib. 3. cap. 27.*

ditato aere, saepe ac subinde levavit, ut suae fructum munificentiae communi Peregrinorum hospitio largiter impartitum, cum toto terrarum Orbe communicaret, Sodalitas ad grati animi testificationem posuit anno 1624.

C A P U T XXVI.

De Ecclesia S. Pauli de Arenula.

ETsi antiquissima Ecclesia haec habeatur, a multis quippe retro saeculis excitata, sub eodem tamen titulo perseverat, nec aliis obnoxia fuit mutationibus, quam Dominiis diversorum sacrorum Ordinum, quorum Religiosi Viri successive in ea commorati sunt, ut inferius constabit.

Ad ripam Tyberis sita est in via Coriariorum; & de hac meminit Martinellus, dicens: (*b*) *Fama fert nuncupatam fuisse Sancti Pauli Scholarum, erat autem Parochialis sub titulo S. Laurentii in Damaso, & intra ejus fines extructa erat Ecclesia S. Caesarii, quae anno 1572. in Cappellam redacta fuit, super quam Laici habitabant.*

Communis sacrarum antiquitatum Scriptorum de Urbe opinio est, in locum ubi haec Ecclesia visitur, Divum Paulum venisse ad instruendos quos Christianae Religioni identidem initiaret, utpote in partem valde remotam Urbis, semperque exigui incolatus: exinde Regio haec Divi Pauli Schola est vocata, ut constat ex M.S. antiquis hujus Ecclesiae, quamobrem situs eidem Apostolo dicatus, Templumque hoc sub ejus invocatione fuit erectum.

Hujus Ecclesiae Paraeciam Clemens Papa VIII. suppressit; cum enim providentissimus hic Pontifex, occasione Apostolicae Visitationis Ecclesiarum Urbis compertum habuerit, nonnullas filiales Ecclesias Basilicae S. Laurentii in Damaso non tantum restauratione, sed & renovatione indigere, aliasque adeo tenues, propter imminutiones, quas passae fuerant,

(b) *Martinell. Roma sacra pag. 270.*

rant, habere redditus, ut ob earum inopiam ad ſeſe in priſtinum decorem reſtituendas vires non ſufficerent, alias vero male ſe habentes ob adiacentium aedificiorum ſtructuram quodammodo obrutas, & compreſſas fuiſſe, ut ad decentem formam reddi nequirent: his, aliiſque de cauſſis ſua perpetua, ut inquiunt, in forma Brevis Conſtitutione, ſub datum Romae ſub Annulo Piſcatoris die 15. Septembris 1594. Pontificatus anno III. octo ex S. Laurentii in Damaſo filialibus Eccleſiis ſuppreſſit, harumque curam Animarum ad proximas Eccleſias tranſtulit, ut infra agendo de reliquis ſeptem oſtendemus.

Conceſſa, deinde fuit Eccleſia haec PP. Reformatis Ordinis Diſcalceatorum S. Auguſtini die 17. Novembris anno 1594. a R.P.D. Morra Vicario dictae Baſilicae, ſpecialiter ad hoc a Cardinali Montalto ejuſdem Baſilicae titulari electo; ut in Inſtrumento per acta Antonii Mainardi Notarii Capitolini die, annoque praedictis. Hi autem Religioſi jura ſua poſtmodum ceſſerunt Fratribus Tertii Ordinis S. Franciſci pro Natione Sicula, Apoſtolica Auctoritate interpoſita, ut per acta Tullii Notarii Capitolini die 28. Februarii 1619., qui hujus Eccleſiae, atque Domuum, aedificiorumque illi adiacentium poſſeſſionem adepti ſunt. Pro qua conceſſione iidem Fratres Tertii Ordinis ſolvere ſpoponderunt Fratribus Reformatis, ut ſupra, ſcuta quatuor millia, & octingenta, quae fuerunt vere ſoluta die 10. Januarii 1630.

Ara maxima Divo Paulo eſt dicata, hujuſque Apoſtoli in praecipuam feſtivitatem Converſio celebratur, quae in ſublimi Tholo depicta cernitur. A latere Evangelii eſt Altare B. Virgini Mariae dicatum, in quo repoſita eſt Imago ejuſdem Sanctiſſimae Virginis in muro depicta, quaeque antiquitus erat poſt ingreſſum Eccleſiae a parte dextera, illuc translata occaſione miraculorum, quae huic Imagini accepta referuntur. Feſtivitas recolitur ſecunda die Dominica menſis Maii, ea quippe die coepit miraculis coruſcare, ut antiqua hujus Eccleſiae monumenta teſtantur.

C A P U T XXVII.

De Ecclesia S. Anastasii de Arenula.

UNico Divi Anastasii titulo Ecclesia haec in Urbani Papae III. Bulla nuncupatur; duobus vero in praesentiarum insignitur, nempe Sanctorum Vincentii, & Anastasii, multisque ab hinc saeculis hoc accidisse videtur: cum apud omnes etiam vetustiores Romanarum Ecclesiarum Scriptores, Sanctorum Vincentii, & Anastasii Arenulae, vel Coquorum nomine donetur; eo vel maxime, quia hi Sancti communiter (c) ab Ecclesia simul venerationem sortiuntur, eorumque festivitas eodem die celebratur, atque in Urbe aliae duae insignes admodum extant Ecclesiae nominibus istorum Sanctorum pariter decoratae, altera ad Aquas Salvias, alia in Trivio, quamvis inter utriusque Martyrium plusquam tercentum fluxerint anni; siquidem testante Baronio (d) Divus Vincentius Oscae in Hispania ortus, sub Daciano Praeside anno 303. Valentiae passus est; Sanctus vero Anastasius Natione Persa Caesareae Palestinae sub Rege Cosroa anno 617.

Sita est haec Ecclesia in Regione Arenulae supra Tyberim anno 1513., regnante Leone X. Vetustate labens, Societati Coquorum concessa fuit, qui, ut ait Camillus Fanuccius (e). prius in Ecclesia S. Ludovici Gallorum convenerant, ubi Sacellum habebant sub invocatione Sanctissimae Annunciationis Beatae Virginis, ex quo ad hanc in perpetuum obtentam transmigrarunt Ecclesiam, ipsamque reaedificarunt, ac instaurarunt, ut supra ejusdem ostium posita testantur sequentia verba:

Hoc Templum vetustate collapsum
Coquorum Urbis Societas restauravit.

Ecclesia ipsa est adhuc Parochialis, & filialis Basilicae S. Laurentii

(c) *Lect. Breviar. Roman. & Martyrol. 22. Januarii.* (d) *Baron. in Annal. ad ann.* 303. (e) *Fanucci dell' opere pie di Rom. lib. 4. cap. 29.*

rentii in Damaso. Intuitu vero Beneficiorum, quae ut diximus eidem Ecclesiae Coquorum Societas praestitit, concessa ideo fuit Societati praedictae singularis facultas providendi de hujus Paraeciae Presbytero Curato a Paulo III. per literas Apostolicas signatas Romae duodecimo Kalendas Maii anno 1537. Reservata tamen confirmatione Eminentissimo Cardinali Vicecancellario pro tempore, veluti nostrae Basilicae titulari praevia approbatione Curiae Eminentissimi Cardinalis Vicarii, ut mos est.

Maximam haec Ecclesia redolet antiquitatem, tribus enim discriminatur interioribus porticibus seu, ut inquiunt, navibus, cum columnis lapideis, quae concameratum fastigium fulciunt. Nunc Ecclesiae Facies non eadem est, quam praeteritis saeculis ostentabat; in restauratione illi siquidem immutatae unicum ostium superest, nec in medio interioris porticus vestibulo, sed in sinistrae latere.

Ara maxima habet pro Icone Imaginem Sanctissimae Virginis Annuntiatae in muro depictam cum coronide, marmoreis columnis suffulta, & Imaginibus hinc inde Sanctorum Vincentii, & Anastasii. Altare est sub emyciclo, sive Tribuna, opere fornicato, & picturis ornato.

In capite navis lateralis ad portam dexteram conspicitur Altare sub invocatione Sanctissimi Crucifixi, cujus Imago in Cruce sculpta, ac decenter ornata pro Icone inservit. In capite porro alterius navis ad sinistram est Altare sub invocatione Sanctissimi Salvatoris, cujus Imago in parva tabula graphice colorata, ut tradunt, opus est praestantis Opificis Raphaelis de Urbino. Confratres recurrentem diem festum Deiparae ab Angelo salutatae colunt eximia pompa, nec impari Religione.

CA-

CAPUT XXVIII.

De Ecclesia S. Bartholomaei a Domo Johannis Gagetani.

CUm haec Ecclesia S. Bartholomaei describatur in Bulla Urbani III. post expositas Ecclesias Regionis de Arenula, atque nunc primum ante illas numeretur, quae sitae sunt in Foro Judaico, ita dicto, ex adiacente Judeorum Statione; hujusmodi positio Ciampino (*f*), caeterisque manuscriptorum Auctoribus, fundamentum praebuit putandi, quod longo temporum ambitu hujus Ecclesiae titulus fuerit permutatus, ipsi imposito titulo S. Leonardi, quae postea, cum jam vetustate fatisceret, destructa fuit. Animarum cura, ipsi alias annexa, partim ad Parochialem Ecclesiam S. Mariae in Publicolis, partim ad alteram Parochialem S. Mariae de Planctu translata juxta mandatum superius enunciatum Clementis Papae VIII. Ex Codicibus Visitationum Eminentissimi Urbis Vicarii anno 1560., constat, Ecclesiam hanc S. Leonardi, Pauli Papae V. aevo, solo aequatam fuisse.

Martinellus Templa in Urbe obsoleta referens, haec habet: (*g*) *S. Leonardi prope Aedes de Sanctacruce existimamus fuisse Templum, quod Lapicidae possidebant, quodque fuit solo aequatum pro Fabrica Palatii Patritiorum, nunc de Costagutis tempore Pauli V.*

Refert Fanuccius (*h*) anno 1596. die 8. Septembris institutam fuisse Romae Confraternitatem Statuariorum, & Lapicidarum hosque obtinuisse a Clericis Minoribus Regularibus Ecclesiam nuncupatam S. Leonardi prope Forum Judaicum dependentem ab Ecclesia Parochiali S. Agnetis Fori Agonalis, cum onere solvendi singulis annis cereum librae pondo, in proprietatis, & dominii recognitionem; ex quo recte deducitur hanc S. Leonardi Ecclesiam fuisse filialem, & dependentem Basi-

(f) *Ciampin. de Vicecancel. pag. 163.* (g) *Martinell. Roma sacra pag. 366.*
(h) *Fanucci dell' opere pie di Rom. lib. 4. cap. 21.*

Basilicae S. Laurentii in Damaso, concessam eisdem Clericis Regularibus, quando iidem aliam S. Agnetis pariter nostram filialem obtinuerunt, cui veluti digniori subjiciebatur S. Leonardi Ecclesia. Quamobrem cum hanc non reperiamus inter praefatae Basilicae filiales commemoratas, admodum facile judicatu est, etiam ex congruitate situs, ipsam fuisse, quae in Bulla Urbani III. dicitur S. Bartholomaei a Domo Johannis Gagetani; cum enim dependeret Ecclesia S. Leonardi ab alia pariter filiali, proximum veritati ducimus, ipsam quoque antecedenter fuisse S. Laurentii in Damaso filialem. Caeterum ex pluribus documentis, praesertim, ut ajunt, Instrumentis, apparet Ecclesiam S. Leonardi fuisse filialem dictae Basilicae. At in Bulla Urbani III. nulla legitur Ecclesia ejusdem tituli: exinde videtur ex proximitate aliarum filialium, hanc S. Bartholomaei Ecclesiam temporum ambitu nuncupatam esse S. Leonardi; & haec quidem solummodo documenta ex fide dignis Scriptoribus eruere nobis licuit. Non arrisit alias adjicere conjectationes incertae, dubiaeque fidei, ne eruditionis ostentandae obtentu, aditum aperiamus erroribus, qui facili negotio solent irrepere, ubi certa rerum monumenta perierunt.

CAPUT XXIX.

De Ecclesia S. Stephani de Cacabariis.

DEnominationem de Cacabariis huic Ecclesiae impositam colligimus ex Visitationibus Urbani VIII. (*i*). Ita appellatam reor vel ex ejusdem situ, in quo nempe nonnullae aliae Ecclesiae existentes hac eadem voce de Cacabariis designantur; sive ex aliqua nobili Familia cognominis hujus, quae ipsam condiderit, uti censet Martinellus (*k*); vel tandem, ab illis, qui Cacabos conficiebant, quique Cacabarii nuncupantur, in hac Urbis Regione simul commorantibus. Sic nostra hac tempestate conspicimus viam, quam vocant Peregrini, aurifices, & globulos praecarios, quos Coronas appellant, conficientes, incolere: quod quidem multis aliis artibus antiquitus in more positum erat, quae nunc non amplius in unica via collectae, sed sparsae per Urbem reperiuntur. Ecclesia haec nuncupata quoque est in Silice, ut ex Pancirolo dignoscitur (*l*), propterea quod super altum ripae Tyberis scopulum fundata sit, ad quam nunquam suis inundationibus pertingit. Adeo erat redditibus exigua, ut cum ad Parochi congruam alimoniam non sufficeret, ejus Animarum cura ad Ecclesiam Sanctae Mariae in Monticellis sit translata: prout ex literis Cardinalis Alexandri Farnesii juxta motum proprium (*m*) sanctae memoriae Pii Papae V. sub datum idibus Aprilis anno quinto. Ex alio vero motu proprio (*n*), ut inquiunt, Gregorii XIII. sub datum Kalendis Februarii anno Pontificatus secundo, apparet consensus ejusdem Cardinalis Farnesii pro applicatione hujus Ecclesiae: ea tamen lege, ut duae Cappellaniae ad Altare majus erigerentur, una scilicet sub invocatione Sanctae Mariae de Candelabro, alte-

(i) *Cod. Visitat. Urban. VIII. sub die 16. Februar. 1626.* (k) *Martinell. Roma sacra pag.* 80. (l) *Pancirol. Tesori nascosti Rione* 11. *Chiesa* 8. (m) *Registr. lib.* 10. *fol.* 60. (n) *Registr.* 19. *fol.* 106.

altera vero S. Stephani, quarum collatio ad Cardinalem Vicecancellarium Basilicae S. Laurentii in Damaso titularem spectaret. Concessa postea fuit Ecclesia haec S. Stephani a S. Pio V. anno 1570. Universitati Vaccinariorum, & a Gregorio XIII. anno 1572. 8. Kal. Junii, ut ex ejusdem Pontificis Constitutionibus constat. Huic Confraternitati indulgetur quemcumque, seu quoscumque Presbyteros idoneos eligere pro servitio in divinis Ecclesiae, dummodo a Vicario Urbis approbentur, atque ad nutum amovere.

At quia Vaccinarii sunt, qui animalium pelles perficiunt, illasque redigunt in corium ad hominum usus destinatum; isti, qui consulatum, ac universitatem habent, veterem S. Stephani titulum mutarunt, & Ecclesiae huic denominationem a S. Bartholomaeo Apostolo imposuerunt, ea nempe ratione ducti, quia hic Sanctus Apostolus deglubitus fuit, & ideo ipsum in Patronum, & suae artis Protectorem elegerunt. Ab iis Vaccinariis ingenti sumtu denuo excitata fuit Ecclesia haec cum inscriptione sequenti, ut refert Camillus Fanuccius super ostium incisa: (o) *Ecclesia Sancti Bartholomaei Vaccinariorum, ac Sancti Stephani in Silice MDLXX.*

In Ara maxima hujus Ecclesiae visitur effigies S. Bartholomaei, exprimens Martyrium ejusdem Apostoli, decenter colorata a Johanne de Vecchi, cum columnis, & coronide deauratis. Ad asservandam vero antiqui tituli memoriam a latere dextero est Sacellum D. Stephano dicatum, ubi conspicitur Imago, quae Martyrium ejusdem Sancti, lapidationem scilicet exprimit. Ad sinistrum vero aliud est Altare B. Francisco Franchi dicatum. Extenditur lacunar supra totam Ecclesiam deauratum, ac variis Imaginibus Sanctorum, qui hoc in Templo excoluntur, ornatum, ab eadem Universitate, quae ulterius, dum haec scriberemus, non exiguis sumtibus Ecclesiam istam denuo excitavit.

(o) *Fanucci dell' opere pie di Roma lib. 4. pag. 40.*

CAPUT XXX.

De Ecclesia S. Thomae in Capite Molarum.

IN Capite Molarum antiquitus dicta, ut in Urbani III. (*p*) Bulla, nunc S. Thomae Cinciorum, vel de Cinciis appellatur haec Ecclesia. Sita est in Regione Arenulae in Clivo vulgo nuncupato *Monte Cenci*. Filialem hactenus Basilicae S. Laurentii in Damaso agnoscimus, sicque sentiunt cum Martinello (*q*), fere omnes Urbis Ecclesiarum Scriptores.

De prima hujus Ecclesiae fundatione nihil nobis adest dicendum, quia de hac apud Scriptores nullam reperire potuimus notionem. Ex inscriptione in hoc Templo existente collegimus dumtaxat anno 1571. per Franciscum Cencium reaedificatam esse, dotemque ei assignatam.

Occasione vero restaurationis hujus Ecclesiae tunc forsan eidem concessae fuerunt Reliquiae, quae in ipsa asservantur, ac sub Ara maxima sunt collocatae. Inter quas insignis est illa S. Foelicis Papae, Sanctique similiter Gordiani Episcopi, & Martyris, ac S. Vincentii Diaconi. Erecta est haec Ecclesia super montem vulgo nuncupatum Cinciorum prope Aedes Gentium de Cinciis, quae ibi tria Palatia habent pro distinctis tribus Familiae Capitibus. Hic porro mons inter septem illustriores, quos Urbis moenia circumdant, minime numeratur; sed inter alios sex arte constructos pro loci, aut temporis opportunitate, cujusmodi esse perhibetur praefatus mons, erectus scilicet, velut antemurale adversus Tyberis immoderatam alluviem.

Consentaneum arbitramur praeclaram stirpem Gentium de Cinciis, quae a prisca nobilitate genus clarum trahit, prorsus sub silentio hic non praeterire; hoc equidem juvat ad comprobandam pervetustam hujus Ecclesiae fundationem a Cintia in Cen-

(p) *Cod. Visit. Urb. VIII. sub die 21. Febr. 1626.* (q) *Martinel. Rom. sac. pag.* 404.

Cenci nomen Familiae hujus mutatum non pauci affirmant, ex qua ortum duxisse Johannem Papam X. asserit Ciacconius (r), a Sede Archiepiscopali Ravennae ad Summi Pontificatus apicem evectum anno 914. Ingenita hujus Pontificis in rem militarem propensio admodum Ecclesiae profuit. Universam enim Italiam ab omni labe Sarracenorum, qui prius omnem Apuliam, & Calabriam devastarunt, penitus liberavit, Rege Berengario suppetias dante (s), quem postea Imperatorem coronavit anno 915.

Ex his clare apparet quot retro saeculis Familia haec potuit excitare Ecclesiam hanc S. Thomae, cujus fundationem, dum nihil non incertum de ea reperire licet, valde utique pervetustam esse colligitur. In Ara maxima visitur Icon Sanctissimi Salvatoris, & S. Thomae, cui est dicata. Exprimitur in picturae tabula mysterium illud Sancti hujus Apostoli latus Christi Domini propria manu tangentis, ad comprobationem nostrae Fidei. Unicum habet Ecclesia porticum interiorem sub fornice. Baptisterio caret, quantumvis sit Parochialis; infantuli quippe baptizandi ad Matricem Ecclesiam S. Laurentii in Damaso deferuntur. Supra ostium legitur inscriptio exprimens esse de Jurepatronatus Gentis Ciinciae.

C A P U T XXXI.

De Ecclesia S. Mariae in Capite Molarum.

Attenta proximitate antecedentis Ecclesiae, a qua perinde suam habet denominationem Ecclesia S. Mariae de Capite Molarum; Ciampinus cum aliis, qui accurate filiales S. Laurentii in Damaso investigarunt, opinatur eam fuisse, cui nomen extiterit a S. Maria in Candelabro, vulgo *Candelora*. Quae redacta fuit in usus profanos ex vi Bullae motu proprio, ut ajunt, Gregorii XIII., de qua locuti sumus

(r) *Ciaccon. de Vit. Pont., & Card. In Johan. X. tom. 1. col. 597.* (s) *Petavii. Rationar. Tempor. lib. 8. part. 1. ad ann. 900. & ad ann. 966.*

mus Cap. XXIX., ubi de Ecclesia S. Stephani de Cacabariis, quae una cum hac, de qua loquimur, associata fuit Ecclesiae S. Mariae dictae a Monticello. In enunciata Bulla Gregorii XIII. exprimitur, quod tam ipsa Ecclesia S. Mariae in Candelabro a Capite Molarum, quam alia S. Stephani ita ruinam minabantur, ut ibidem divina Officia rite peragi non valerent, nec earumdem redditus ad illas instaurandas sufficerent: iis de caussis animarum ad eas pertinentium curam ad Ecclesiam S. Mariae in Monticello transtulit, erigendo ibi duas Cappellanias ex redditibus suppressarum Ecclesiarum, ut in praememorato motu proprio latius omnia referuntur. Asserit Ciampinus (*t*) hanc Ecclesiam olim extitisse in medio Regionis Haebreorum. At vero videtur ea fuisse diruta, & conversa in profanos usus propter proximam Regionem Judaeorum. Cum enim Paulus IV. occurrere voluisset abusui ejusdem Haebraicae nationis cum Christianis permixtae, & familiarius cum Christifidelibus agentis, quam pudor, & honesta vivendi ratio exigeret, nec solum nulla peculiari habitus nota ab iisdem distinctae, verum etiam prope eorumdem Ecclesias stationem suam locantis, agros item Christianorum coementis, famulisque, & nutricibus Orthodoxis utentis, tametsi id fieret honesto nomine eosdem adducendi ad veri Numinis cultum, ut constat ex ejusdem Pontificis Constitutione; nihilominus praefatus Paulus IV. (*u*) clementius cum eisdem Haebreis agere maluit, nec illos ab Ecclesiastica ditione repellere, exemplo Regum Galliae, & Hispaniae: verum sanxit, ut in tesseram Haebraicae originis lutei coloris tegumento Galerum contegerent, utque attributa eisdem privatim regione, tamquam exitioso morbo afflati, concluderentur, ubi unicam dumtaxat haberent Synagogam, dirutis aliis, distractis etiam, si quae haberent, bonis stabilibus, ejusdem nationis foeminis luteo item velo discriminatis. Praecipit praeterea omnibus, & singulis Christifidelibus, ne cum iisdem familiarius agant, eosque com-

(t) *Ciampin. de Vicecancell. pag.* 174. (u) *Bullar.* 2. *edit. Constit.* 3.

commeſſatores habeant, ludi ſocios, & liberorum nutricios. Ammianus Marcellinus (x) eoſdem grave olentes appellat, quod cum vulgus perſuaſum habeat, fortaſſis ea etiam ratione permotus idem Pontifex, ut eam graveolentiam ab Urbe procul exigeret, eoſdem privata, ut dixi, urbana regione Tyberi adſita adſtrinxit. Ad hujus vero regionis firmiorem ſtructuram, diruta fuit haec Eccleſia S. Mariae in Candelabro a Capite Molarum, ut ſuperius eſt notatum. Ex quo moti ſumus, ut digrederemur ad nationem nomini Chriſtiano infeſtiſſimam redarguendam, cujus olim conſtat ſanguine noſtri Divini Reparatoris tinctas impias manus.

CAPUT XXXII.

De Eccleſia S. Caeciliae a Domo.

Apud nullum Romanarum Eccleſiarum Scriptorem hujus Eccleſiae S. Caeciliae a Domo nobis conceſſum fuit aliquam invenire notionem. Ciampinus de hac agens, ſola haec protulit verba: (y) *Forſan ea, quae nunc eſt Oratorium Societatis S. Mariae de Planctu, in antiquis notis Eccleſia haec appellabatur apud plateam Judaeorum.* Ex M.S. antiquis Archivi Laurentiani colligitur fuiſſe, ut inquit allegatus Ciampinus, apud plateam Judaeorum Eccleſiam filialem Baſilicae S. Laurentii in Damaſo ſub hac denominatione S. Caeciliae a Domo.

Anno 1546. Societas haec Planctus erecta fuit, ut videbimus agendo de Eccleſia S. Salvatoris de Cacabariis; ac tum Oratorium hoc S Mariae de Planctu ſic appellari coepit, quod proximum eſſet Eccleſiae S. Mariae de Planctu. De hac pervetuſta Baſilicae Laurentianae filiali Eccleſia, ut ex Urbani III. Conſtitutione compertum eſt, diſtinctiores notitias, quamvis ſummo labore, & ſtudio conquiſitas, nobis reperire non licuit.

CA-

(x) *Marcellin. hiſtoriar. lib. 22.* (y) *Ciampin. de Viceeancel. cap. 47. pag. 169.*

CAPUT XXXIII.

De Ecclesia S. Pantaleonis.

INter filiales Basilicae S. Laurentii in Damaso tres legimus in saepe enunciata Bulla Urbani III. S. Pantaleonis titulo insignitas esse Ecclesias. Attamen unica tantummodo remanet S. Pantaleonis Scholarum piarum nuncupata, de qua sua sede agendum erit. In summa perinde versamur difficultate circa praecisi loci assignationem Ecclesiae, de qua in praesentiarum sumus acturi: cum neque ex Manuscriptis nobis a Clemente foelicis recordationis Papa XI. datis, nec ab aliquo Auctore, qui de priscis Romanis scripserit Ecclesiis aliquam hujus concessum fuerit habere notionem. Quamobrem ob veterum memoriarum inopiam, nullus nobis de hac disserendi aditus aperitur, quemadmodum in non dispari priscarum filialium praedictae Basilicae perquisitione accidit Ciampino, cujus en verba: (z) *Ego autem puto unam e numero illarum fuisse, quae olim Ecclesiae S. Laurentii in Damaso tamquam Matri suberant, avulsa a Matre, & concessa praefatae Ecclesiae SS. Celsi, & Juliani, quando in Collegiatam ipsa erecta fuit: praestat id credere de ista, quemadmodum de nunnullis aliis illi proximis contigit.*

CAPUT XXXIV.

De Ecclesia S. Patermiverii, seu Patermuthi.

CUm a Martyrologio Romano (*a*) de nullo S. Patermiverio mentio fiat acta tamen S. Patermuthii commemorantur; hinc jure merito credidit Ciampinus (*b*), quod in exaratione Bullae Urbani III. in errore versatus fuerit Amanuensis, nomen scilicet Patermiverii scribens pro Patermuthii nomine: hoc equidem nobis aperte contigisse videtur, dum in notis, quae asservantur in Archivo S. Lau-

(z) *Ciampin. de Vicecancell. pag.* 187. (a) *Martyrol. Rom.* 9. *Julii.* (b) *Ciampin. de Vicecancell. pag.* 788.

S. Laurentii in Damaso reperimus sub hoc nomine Patermuthii fuisse Ecclesiam in ingressu Regionis Haebreorum prope portam vergentem ad plateam Judaeorum, quae erat Parochialis, & filialis ejusdem Basilicae, ut ex notulis praefati Archivi depromimus. Id porro comprobatur auctoritate Martinelli (c), qui de Sanctorum Mutii, & Cupi Ecclesia differens, asserit denominandam esse Sanctorum Patermuthii, & Copretis: En eadem hujus Scriptoris verba: *Templum SS. Muti, & Cupi, scilicet Patermuthii, & Copretis, de quibus in Martyrologio die 9. Julii in Regione S. Angeli meminit taxa Leonis X., erat intra septum Haebreorum, & solo aequato, seu profanato fuerunt translata jura ad S. Angelum Fori Piscarii, erecta ibi Cappella, quae taxatur a dicto Leone in scutis decem. Erat Parochiale, ut in libro Anniversariorum Sanctissimi Salvatoris.*

Hujus abolitae Ecclesiae redditus ad erigendam, ut asserit Ciampinus, perpetuam Cappellaniam, seu simplex Beneficium appplicati fuerunt; primitus collatum asseritur hoc Beneficium Antonio Gallonio Presbytero Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, postmodum a Clemente Papa hujus nominis VIII. Congregationi eidem concessum, ac unitum. Hinc est, quod eadem Congregatio usque ad praesens nonnullas possidet domos, quae ad istam spectabant Ecclesiam.

Cardinalis Baronius (d) hujus S. Martyris acta se legisse testatur in veteri Codice Basilicae S. Petri in Vaticano; Johannes Baptista Mari acta Martyrii hujus Sancti, & SS. Copretis, & Alexandri fuse descripsit cum notis, editaque sunt Romae 1645.

CA-

(c) *Martinell. Rom. sac. pag.* 377. (d) *Barom. in not. ad Martyrol. 9. Junii lit. E.*

CAPUT XXXV.

De Ecclesia S. Salvatoris de Barunchin.

SAnctissimi haec Salvatoris Ecclesia olim de Barunchin, fuit postea denominata S. Salvatoris in platea Judaeorum, apud Salsamentarios, vulgo *Pizzicaroli*. Ejusdem situs cum descriptis jam aliis filialibus Ecclesiis convenit; propinquitatis ordine unius ad aliam in Urbani III. Bulla relata, servato.

In Codicibus Visitationum omnium Urbis Ecclesiarum (e) ab Urbano VIII. praeceptarum constat visitatam fuisse hanc Ecclesiam die 1. Februarii 1627., eamdemque olim fuisse Parochialem, & filialem S. Laurentii in Damaso.

A Sixto Papa hujus nominis V. Cura translata fuit ad Ecclesiam S. Mariae de Planctu, ob quam caussam haec S. Salvatoris Ecclesia remansit in statu simplicis Beneficii. Ecclesia erat valde exigua cum unico Altari lapideo; pro Icone Imago Sanctissimi Salvatoris in muro depicta conspiciebatur.

Profanata postmodum tempore Pontificatus Alexandri VII.; quia nimis erat proxima portae Regionis Judaeorum, & ante fontem, pro cujus constructione demolita fuit, vigore motus proprii, ut ajunt, ejusdem Pontificis Alexandri VII. sub datum die 23. Novembris 1657. Ciampinus (f) hanc Ecclesiam, dum adhuc subsisteret, a se conspectam esse testatur.

CA-

(e) *Codex Visit. Urban. VIII. sub die 1. Febr. 1627. pag. 925.* (f) *Ciampin. de Vicecancell. pag. 192.*

CAPUT XXXVI.

De Ecclesia S. Salvatoris de Cacabariis.

TAmetsi haec Ecclesia diversum titulum, diversamque sibi comparaverit denominationem, est adhuc Parochialis, & filialis dependens a Basilica S. Laurentii in Damaso, quam in Matricem, & baptismalem agnoscit. Nunc vero S. Maria de Planctu appellatur, de qua ait Martinellus: (g) *In Regione Arenulae, in platea Judaeorum apud DD. de Cinciis, olim S. Salvatoris*. Quod ad denominationem spectat obsoleti hujus Ecclesiae de Cacabariis tituli, nihil a nobis modo dicendum superest, cum satis ea super re, ac de Cacabis fuerit observatum, ubi de Ecclesia S. Stephani de Cacabariis. Nec proinde abstinere possumus a commemoratione temporis, quo haec Ecclesia, antiquato veteri titulo, vocari coeperit S. Maria de Planctu.

Cum in via hujus vetustae Sanctissimi Salvatoris Ecclesiae duo hostes, ut inquit Pancirolus (*h*), obviam sibi invicem irent, alter ab alio viam postulavit, cumque neglectum se vidisset, furore captus adversario pertinaci mortem intulit: hinc propter impatientiam, & iram unius, nec non perfidiam, aeternamque alterius damnationem Deiparae Virginis Imago in pariete ibi depicta lacrymas effudisse fertur, quae postea non modica veneratione ad propinquam Ecclesiam Parochialem Sanctissimo Salvatori, ut diximus, jam dicatam, translata fuit; hac siquidem occasione relinquens titulum Sanctissimi Salvatoris, coepit denominari S. Maria de Planctu. Cum autem magna esset erga hanc sacram Imaginem populi devotio, & parva esset Ecclesia, nec non rudi forma extructa, ex eleemosynis funditus, ut modo apparet, reaedificata fuit; quem sacrum in locum solemni processione die 1. Maii pietas Fidelium dictam detulit Imaginem, sub qua in marmore sequens legitur inscriptio:

(g) *Martinell. Rom. sac. pag. 233.* (h) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 11. Chiesa 5.*

Hanc Dei Genitricis Imaginem lacrymantem die decima Januarii 1546. Paulo III. Pont. Max. Nicolaus Acciajolus Florentinus, Romanusque Patritius in hunc locum proprio sumptu transferendam, ornandamque curavit.

De prisci tituli hujus Ecclesiae mutatione idem affirmat Camillus Fanuccius (*i*), ac etiam nobis valde probatur ex Codice Visitationum ab Urbano VIII. praeceptarum ubi habetur in Visitatione habita die secunda Novembris 1624. sacram Deiparae Virginis Imaginem in vicina porticu fuisse lacrymantem repertam, atque ea de caussa in hanc Ecclesiam translatam; exinde mutato titulo Sanctissimi Salvatoris coepit denominari S. Maria de Planctu.

Petrus Martyr (*k*), quae sequuntur, de eadem Ecclesia scripsit: *Vocata etiam est in Cacabariis, ut eodem traditur insignita cognomine familia hujus appellationis, quae eamdem Ecclesiam condiderit, ac postea nuncupationem a Planctu sortita est, quoniam quae in ipsa Ecclesia nunc Imago visitur, antea in ipsa publica cernebatur via, ubi ad multos dies lacrymas effundere visa est.*

Non habet ostium haec Ecclesia juxta aliarum usum e conspectu Arae maximae, sed in lateribus. Pro Icone eadem Sanctissimae Dei Genitricis Imago in ipso Altari majori conspicitur. Reliqua Ecclesiae Altaria sunt duo in lateribus posita.

CA-

(i) *Fanucci dell' opere pie di Roma lib. 3. cap. 26. Codex Visit. Urban. VIII. sub die 2. Novemb. 1624. p. 288.* (k) *Pietro Martire Fellini delle cose maravigl. di Roma p. 130.*

CAPUT XXXVII.

De Ecclesia S. Mariae de Cacabariis.

EGimus supra de aliis duabus Ecclesiis, quae de Cacabariis appellationem sortitae sunt; & praeter ea, quae ad cognitionem hujus denominationis attulimus in capite de Ecclesia S Stephani de Cacabariis, addimus hic originem ejusdem significationis aliam allatam a Nardino (*l*), ut nempe ea fiat appellatio a Cacabo vase noto, ex quo Cacabarii dicuntur hujusmodi vasorum artifices, qui olim juxta hanc Ecclesiam suas officinas habuerint, quemadmodum hodie easdem habere cernimus in Foro Agonali, & in aliis Romae Regionibus. Longo annorum ambitu antiquata deinde est, & subinde commutatus etiam titulus S. Mariae in titulum S. Blasii; sic enim appellata fuit, quando eadem Ecclesia fuit concessa Propolis anno 1594., ut refert Pancirolus (*m*). Translata autem fuit eo tempore procuratio Animarum, & sacra administratio ad usum populi ab hac Ecclesia ad proximas alias Parochiales. Instituerunt ibi commemorati Propolae sodalitium distinctum a Societate Regatteriorum [ut verbo utar Martinelli], & quoniam Patronum habent S. Blasium, idem nomen Ecclesiae indiderunt, ibique ejusdem festivitatem concelebrant. Asservatur tamen titulus antiquior S. Mariae, cujus Immaculatae Conceptionis dies ibidem celebratur, testante Pancirolo, quod confirmatur a Petro Martyre Fellino, & Martinello, cujus verba ressero (*n*): *Templum S. Blasii de Cacabariis, quod a Familia Romana sic dictum aliqui arbitrantur; credimus dicendum de Casa Marii. Fuit Divae. Mariae dicatum, licet Societas Regatteriorum illud S. Blasii appellet.*

(l) *Nardin. Rom. ant. lib. 6. cap. 3. reg. 9.* (m) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 11. Chiesa 4.* (n) *Fellini delle cose maeavigl. di Rom. pag. 130. Martinel. Rom. sac. pag. 80.*

CAPUT XXXVIII.

De Ecclesia S. Benedicti de Clausura.

DIruta haec Ecclesia fuit tempore Alexandri Papae hujus nominis VII. ad amplificandam plateam e conspectu, & ante Ecclesiam S. Caroli de Catinariis, cui unita fuit cura Animarum hujus Paraeciae ad usus profanos redactae, & cui, ut Pancirolus testatur, adjuncta pariter fuerat cura Animarum Paraeciae S. Martini de Panarella. Martinellus de Templis Romae obsoletis differens haec habet: *(o) Sanctus Benedictus in Clausura, vel in Clausula reperitur in Bonifatii IX. Bulla: At in Leonis X. taxa in Regione Areolae, sive Arenulae; In libris Sacrae Visitationis constat esse Parochialem sub titulo S. Laurentii in Damaso. Credimus esse quod colimus apud S. Carolum Barnabitarum.*

Nuncupata pariter fuit haec Ecclesia S. Benedicti ad Catinarios; cujus denominationis originem inferius pertractabimus, dum nobis erit sermo de Ecclesia S. Blasii Arcariorum, nunc S. Caroli de Catinariis.

CAPUT XXXIX.

De Ecclesia S. Martini de Panarella.

NUllibi reperitur ratio denominationis de Panarella huic Ecclesiae impositae, nec ullus perscrutator Templorum in Urbe obsoletorum eam commemorat. Attento tamen ordine, & situ videtur nunc esse Ecclesia, quae dicitur S. Martinelli in Platea Montis Pietatis, in Regione Arenulae posita; hoc nimirum aperte constat: praeter enim auctoritatem Ciampini (*p*), & M.S. Archivi Laurentiani,

---

(o) *Martinell. Rom. sac. pag.* 347. (p) *Ciampin. de Vicecancell. pag.* 182.

ni, & a Clemente XI. fan. mem. nobis tradita, legimus etiam in faepe allegatis Codicibus facrae Vifitationis (q) hanc olim Ecclefiam fuiffe Parochialem, & filialem S. Laurentii in Damafo. Clemens hujus nominis Papa VIII. Animarum curam eidem Ecclefiae abftulit, ut per Conftitutionem fuperius citatam apparet in Cap. XXXVII. agendo de Templo S. Pauli de Arenula; poftremo tempore Pauli V. Summi Pontificis Archiconfraternitati Doctrinae Chriftianae conceffa fuit, conceffumque privilegium aggregandi Confraternitates ex omnibus Orbis Regionibus, ac typis mandandi libellos Doctrinae Chriftianae, quos olim Cardinalis Bellarminus promulgavit per Bibliopolam fibi bene vifum cum privatione, quoad alios omnes, ne audeant illos typis excudere, ut patet ex literis fignanter ejufdem Pauli V., & diverforum Pontificum in actu praecitatae Vifitationis exhibitis. In hoc Templo conveniunt Confratres nuncupati Operarii, eo quia hoc pietatis opus exercent, pueros quippe Doctrinam Chriftianam docent, auxiliumque fere omnibus Urbis Paraeciis praebent: finguli item funt per diverfas Urbis Parochiales Ecclefias diftributi, & diebus feftis in anno ftatutis fimul in hac Ecclefia folent convenire, ut ftatum operis, prout in univerfa Urbe exercetur, referant. Habent in Protectorem almae Urbis Cardinalem Vicarium pro tempore, ac etiam Praelatum fub nomine Praefidis a Congregatione Generali electi, cujus Officium ad libitum Congregationis manet.

Ex facri Montis Pietatis Palatio huic Ecclefiae denominatio impofita eft; alteram a vulgo obtinet eam ut valde parvam S. Martinelli nuncupante; dicta etiam fuit S. Martinelli in Arenula, quia in illa Regione exiftebat, nec non ad Catinarios ex vafis, quae ibi conficiebantur.

De prima hujus Templi fundatione teftatur Pancirolus (r) hanc haberi mentionem, quod anno 1598., cum in eo fodere-

tur,

(q) *Cod. Vifit. Urban. VIII. fub die 13. Martii 1624. pag. 789.* (r) *Pancirol. de' Tefori nafcofti di Roma Rione 11. Chiefa 31.*

tur, tot Sanctorum Martyrum Corpora reperta fuerint, ut decem amplissimas Urnas replerent. In eis adhuc erant instrumenta Martyrii, & praecipue mucro unum ex illis sacris Capitibus transverberans, diurturna ita saeculorum serie a ferrugine confectus, ut pene in fragmenta reduceretur. Refert Pancirolus hujus rei fuisse spectatorem Matthiam Clarum ibi tunc Rectorem, ex quo se haec audivisse commemorat. Haec Ecclesia postea, cum ejus Animarum cura ad proximam S Benedicti Parochiam translata fuisset, Archiconfraternitati Doctrinae Christianae concessa est, cujus cum esset Protector Cardinalis de Medicis, qui postea Leo Papa hujus nominis XI. fuit, eam cum laqueari restauravit, ac Imagine supra Aram maximam decoravit. En verba Martinelli: (s) *Templum S. Martini Montis Pietatis in ejus videlicet Platea antiquum, & parvum in Regione Arenulae. Auctores antiquitatum Romanarum a centum fere annis impressarum ajunt Gualterum Monachum S. Salvatoris Reatini tempore Honorii Papae III. a fundamentis reaedificasse Templum istud.*

In Ara maxima visitur pro Icone effigies S. Martini Episcopi exhibens miraculum illud, nempe cum partem clamydis Christo Domino in speciem pauperis eleemosynam postulanti praebuit; porro res gestae Sancti hujus Viri a plerisque Latinorum, Grecorumque sunt celebratae, videlicet Sozomeno, Nicephoro, Sulpitio Severo, Beda, Baronio, aliisque (t).

CA-

(s) *Martinell. Rom. sac. pag.* 257. (t) *Sozomen. lib.* 3. *cap.* 13. *Nicephor. lib.* 6. *cap.* 16. *Sulpit. Sever. Comment. Vitae S. Martini. Baron. in notis ad Martyrol. die* 11. *Novembris.*

CAPUT XL.

De Ecclesia S. Salvatoris de Campo.

VUlgaris omnium Scriptorum opinio est, demolitam fuisse hanc Ecclesiam ad ampliandum aedificium sacri Montis Pietatis anno 1639. Posita erat in Regione Arenulae e conspectu Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis Peregrinorum, & Convalescentium: eratque Ecclesia Parochialis, ut testatur Martinellus (u). Tribus distincta, ut ajunt, navibus, pluribusque antiquis suffulta columnis; solo aequata sub Pontificatu Urbani VIII. pro dilatandis aedibus Montis Pietatis. Epitaphia quaedam alias in hoc Templo apposita refert Fr. Suvertius inter delicias Orbis Christiani. In Codicibus Visitationum Urbani VIII. (x) antequam haec Ecclesia S. Salvatoris solo aequaretur, asseritur Monachos Congregationis S. Salvatoris Majoris de Farfa Ordinis S. Benedicti Curam Ecclesiae, & totius Paraeciae gerere; redditus percipiebantur ab iisdem Monachis, exceptis illis, quibus ad congruam alimoniam Curatus, & ipsa Ecclesia indigent, ibique exprimitur non obtenere baptisterium, eo quod sit filialis Ecclesia S. Laurentii in Damaso, ad cujus Ecclesiam Parochus accedit pro Oleo sancto, & benedictione Fontis baptismalis. Prope hanc Ecclesiam S. Salvatoris in Campo sub ejusdem titulo alia fuit condita ad servandam, & renovandam memoriam hujus antiquae filialis Ecclesiae. Dum fundamenta ejusdem foderentur, Cardinalis Franciscus Barberinus tum Basilicae S. Laurentii in Damaso titularis, & S. R. E. Vicecancellarius primum lapidem jecit, & in impositione lapidis primarii, Stemmate Gentilitio Gentis Barbarinae ornati, in marmorea capsula inclusa fuit lamina plumbea in eisdem fundamentis posita, in qua descripta fuit caussa profanationis, & demolitionis pervetustae Ecclesiae, atque in ea notatum dirutam Ecclesiam extitisse filialem S. Laurentii in

(u) *Martinell. Rom. sac. pag.* 388. (x) *Cod. Visit. Urban. VIII. 9. Martii 1626.*

in Damaso, atque in illius locum succedere praesentem, tunc excitandam, quae item filialis nomen adhuc retinet; & supradictam Basilicam in Matricem agnoscit. Testis est Ciampinus (y) temporis sui aevo, nempe anno 1690, dum in via, quae a platea Montis Pietatis ad praefatam Ecclesiam Sanctissimae Trinitatis ducit, foderetur, occasione instaurationis cujusdam aquaeductus aliqua veteris Ecclesiae aedificii vestigia cum sparsis humanis ossibus detecta fuisse; ex quibus evidentius firmatur inibi dirutam Ecclesiam extitisse.

C A P U T XLI.

De Ecclesia S. Barbarae.

Sita est praesens Ecclesia in via Centonariorum vulgo *Giupponari* in Regione Parionis; olim erat Parochialis, & filialis S. Laurentii in Damaso, ut apparet ex Codice Visitationum ab Urbano VIII. (z) ordinatarum: nunc vocatur S. Thomas de Aquino in S. Barbara, eo quod anno 1601. a Clemente Papa VIII. concessa fuerit Societati Bibliopolarum Urbis, qui tunc temporis in Patronum suum eumdem D. Thomam Aquinatem vocarunt, ejusque nomini Ecclesiam ipsam nuncuparunt. Porro in recognitionem Dominii Laurentianae Basilicae, uti Matricis super hanc Ecclesiam tenetur Universitas praedicta Librariorum cereum unius librae illi offerre singulis annis in festivitate S. Laurentii. De fundatione hujus Ecclesiae nulla remanet memoria. Antiquior enim, quae superfit, cognitio habetur de consecratione habita, teste Pancirolo (a), anno 1306. Leo X. inter Cardinalium titulos adscripsit forsan, ut ab aliquo restauraretur, sed effectu non secuto, similem titulum ab ea ad aliam transtulit Ecclesiam Sixtus V. Exinde ad exiguum numerum redactis animabus hujus Ecclesiae curae sub-

(y) *Ciampin. de Vicecancell. pag.* 194. (z) *Codex Visit. Urban. VIII.* 7. *Febr.* 1626.
(a) *Pancirolo Tesori nascosti Rione* 12. *Chiesa* 1.

ſubjectis Clemens VIII. ſua perpetua in forma Brevis, ut ajunt; Conſtitutione ſub datum Romae ſub Annulo Piſcatoris die 15. Septembris 1594. Paraeciam ſuppreſſit, ejuſque animas proximae Eccleſiae curae commiſit, quae reformatio contigit una cum ſimili aliarum ſeptem filialium S. Laurentii in Damaſo, ut ſupra relatum eſt, cum de Eccleſia S. Pauli de Arenula ſermo eſſet.

Quamvis ſuperadditus ſit Eccleſiae huic titulus S. Thomae; adhuc tamen in cultu S. Barbarae tamquam ejuſdem Eccleſiae Patronae Librariorum Univerſitas perſeverat, cujus proinde celebrant feſtivitatem. Baſilicae S. Laurentii in Damaſo permiſſum eſt a Sacra Rituum Congregatione recitare Officium S. Barbarae ſub ritu duplici cum lectionibus propriis pro toto ejuſdem Clero die quarta Decembris, in qua ejus occurrit feſtivitas, eo quod inſignem poſſideat Reliquiarum partem glorioſae hujus Virginis, quae Martyrium ſubjit Nicomediae ſub Maximino, videns inter proprios Carnifices etiam Patrem ſuum, cujus ex fulminis ictu ſceleſta anima ad inferos tranſmiſſa, quando invictae Martyris anima ad Superos evolabat. Extant ejus acta, quae feruntur nomine S. Johannis Damaſceni, & Arſenii a Metaphraſte edita, quae omnia Surius retulit.

Societas haec Librariorum erat unita cum Impreſſoribus; ſed poſtmodum diviſa anno 1609, ut conſtat per Decretum R. P. D. tunc Viceſgerentis per acta Spadae Notarii ſub die 23. Junii. Confratres vigore ſtatutorum ejuſdem Societatis adſtricti ſunt quaſdam pro Eccleſiae adminiſtratione ſolvere contributiones, nempe julium unum pro qualibet, ut vocant, *balla* librorum in Urbem introducta, quatuor julios pro quolibet centenario Librorum veterum emptorum, & ſingulorum operum, quae in Urbe typis mandantur, duo volumina exhibere.

CAPUT XLII.

De Ecclesia S. Mariae in Crypta Picta.

Ecclesia S. Mariae in Crypta Picta posita est in Regione Parionis vulgo nuncupata *di Grotta Pinta*. Traditur a nonnullis Imaginem hanc Deiparae repertam fuisse sub acie Campi Florae in quadam Crypta tempore, quo Ecclesia haec excitata fuit in situ ipso, ubi jam (*b*) Circus Florae, seu Campus Florae extabat; cui hodierna etiam die Campi Florae, uti & alteri Martii Campi nomen tribuitur. Sed videtur magis consonum veritati praedictam Imaginem, cum reperta sit ubi nunc ea est Ecclesia, delineatam fuisse in aliquo cubiculo sub spectatorum sedilibus Theatri Pompejani, minime vero fuisse effossam in acie, seu foro a Dea Flora nuncupato, hodie corrupto vocabulo *Campo di Fiore*, cum nomen ipsum locum indicet vacuum sine aedificiis.

Campi Florae etymologia secundum Fulvium a loci praestantia desumta, & celebritate, quasi a Florum amenitate, ac propterea non Florae, sed Floreo nuncupando, quamvis eam alii cum Marliano trahant a Flora Pompei Amasia, ut asserit Plutarchus (*c*). Tot enim fuerunt opes, quas sibi a Romanis, & praecipue a Magno Pompejo comparaverat haec Flora, ut in postremo ejus vitae elogio populum Romanum haeredem sibi adscripserit, eumdemque legato adstrinxerit ad hujus Campi dedicationem, in quo propriae impudentiae infamis remaneret memoria ex quibusdam inhonestis ludis relatione indignis; at populus Romanus ad occultandam ignominiam persolvendi similis legati, hunc Campum ipsi dicando, Veris Deam denominavit, eam mense Majo Floralibus ludis venerans. Quidam tamen putant populo Romano donatum hunc Campum a Tar-

(b) *Pietro Martire Fellin. pag.* 134. (c) *Plutarchus in Vit. Pompeji.*

Tarſia illa, cujus fuſe ſcribit Macrobius hiſtoriam (*d*), ſive fabulam , appellatam volens Accam Laurentiam Meretricem , cujus Anci Martii IV. Romanorum Regis aevo amore captus Taruſius ditiſſimus homo , bonorum omnium ſuorum haeredem eam dixit, quae poſtea varios Campos populo Romano donavit. Idem fere ajunt Plutarchus (*e*), & Divus Auguſtinus, qui ipſam ſibi divinos honores uſurpaſſe teſtatur. Haec ſecundum eumdem Plutarchum Flavia, ſecundum Verium a Lactantio citatum (*f*), Faula vocatur, a Flaminio Nardino (*g*), & quampluribus Romanarum antiquitatum Scriptoribus creditur illa Flora, quae ad tollendam memoriam tam indecorae Floralium ludorum ab ipſa inſtitutorum originis a Romano populo Florum Dea conſtituta fuit. Brevem hanc narrationem Campi Florae egimus, antiquum hujus Eccleſiae ſitum repraeſentandi cauſſa, ubi de vanis Gentilium pompis, & erroribus ſancta Fides triumphat, quam confirmare juvat iiſdem Lactantii verbis: (*h*) *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quaeſiviſſet, populum Romanum ſcripſit haeredem: certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo foenore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia: quod quia Senatui flagitioſum videbatur ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendae rei quaedam dignitas adderetur, Deam finxerunt eſſe, quae Floribus praeſit.*

Incarnata vero Sapientia, quae eſt flos campi, & lilium convallium, per quam mille, & mille Virgines glorioſe triumphant, dignata eſt Campum hunc, ſacrum reddere per ibi erectam Eccleſiam, & Glorioſiſſimae ſemper Virginis Genitricis ſuae Imaginem, quae in quadam, ut diximus, Crypta Picta reperta eſt. Ignotum eſt, quam ob cauſſam a Gentilibus conſtructa fuerit ſub hoc campo Crypta illa, quae poſtea Fidelium receptaculum fuit, quando per trecentos immaniſſimae perſecutionis annos omni ſuper terram deſtituto habitaculo ad ſimiles

(d) *Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 10.* (e) *Plutarch. in Problemat. S. Auguſtin. de Civit. Dei lib. 6. cap. 7.* (f) *Lactant. Inſtitut. cap. 1.* (g) *Nardin. Rom. ant. lib. 6. cap. 8. reg. 9.* (h) *Lactant. Inſtit. cap. 20. edit. Rom. ann. 1468.*

les Cryptas confugiebant, ubi non usque adeo morabantur ignoti, ut a Christiani sanguinis avidis persecutoribus non reperirentur, & post innumeros cruciatus crudelissime non necarentur. Praedicta Imago Deiparae Virginis inventa in hac Crypta, quae a Fidelibus Oratorii formam obtinuit nonnullarum picturarum ornatu, ad hanc Ecclesiam, cui S. Mariae in Crypta Picta cognomen attulit, translata fuit. Fundationis monumentum non superest; putat tamen Pancirolus (*i*) tunc accidisse, quando Ecclesiae pacem restituit Constantinus Magnus, ideoque Salvatori ab initio fuisse dicatam. Anno 1599. sub Ara maxima reperta est inscriptio innuens ipsam anno 1343. consecratam fuisse die octava Decembris, dicatamque Immaculatae Beatae Virginis Conceptioni.

In Codice Visitationum ab Urbano VIII. (*k*) praeceptarum nuncupatur haec Ecclesia Parochialis, & filialis S. Laurentii in Damaso, ac asseritur esse de Jurepatronatus DD. de Ursinis de Brachiano. Supra ostium majus Ecclesiae adest chorus, ad quem accedebatur e Palatio contiguo DD. de Ursinis eo tempore, quo Gens haec nobilissima ibi commorabatur.

Placet confirmare ea, quae de hac habuimus verbis ipsis Martinelli: (*l*) *Templum S. Mariae Cryptae Pinctae prope Palatium Ursinorum, sic dictum a devotissima, & antiquissima Imagine B. Mariae Virginis in Crypta picturis ornata, & miraculis clara existente, illique Conceptae dicatum ante Christi annum 1343. olim S. Salvatoris nuncupatum. Verum anno 1468. Imago translata fuit ad Basilicam S. Laurentii in Damaso. Estque de Jurepatronatus Ursinorum cum Paraecia.*

De hujus sacrae Imaginis translatione ad praefatam Basilicam fuse egimus ubi de Sanctissimae Conceptionis sodalitio.

CA-

(i) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 12. Chiesa 9.* (k) *Codex Visit. Urban. VIII. sub die 7. Februar. 1626.* (l) *Martinell. Rom. sac. pag. 214.*

CAPUT XLIII.

De Ecclesia S. Salvatoris de Praefecto.

VEtustissima est haec Ecclesia, & probabiliter ex primis Sanctissimo Salvatori Romae dicatis. Temporum ambitu immutatus illi fuit titulus, Divique Nicolai appellata est, retenta tamen denominatione de Praefecto, vel de Praefectis usque in hodiernum diem ex antiqua familia similis cognominis prope ipsam jam commorante, uti putat Petrus Martyr Fellini (*m*): nuncupatur etiam de Medicis à propinquo Magnorum Florentiae Ducum Palatio. Concessa fuit haec Ecclesia, testante Pancirolo (*n*), a S. Zaccharia Pontifice anno 730. Monialibus huc ex Graecia properantibus, cum subortam fugerent Leonis Isauri contra sacras Imagines persecutionem. Anno postea 1568. eam obtinuerunt una cum cura Animarum PP. Ordinis Praedicatorum Congregationis Lombardiae apud S. Sabinam degentes a S. Pio V. ejusdem Ordinis, & nationis. Quod comprobatur ex Visitationibus ab Urbano VIII. indictis (*o*), ubi habetur; Ecclesiam S. Nicolai de Praefectis esse filialem S. Laurentii in Lucina [quoniam ut pluries dictum est ex una Matrice ad alteram translatae sunt] sitam in Regione Campi Martii juxta limites aliarum filialium Laurentianae Basilicae, olimque fuisse Monasterium Monialium sub Regula S. Basilii, nunc vero Parochialem a Monasterio Fratrum Ordinis Praedicatorum S. Sabinae dependentem. Habet Ecclesia unicam navem, & tria Altaria, quorum majus in abside positum S. Nicolao Episcopo est dicatum.

(m) *Fellini delle cose maravigl. di Rom. pag. 71.* (n) *Pancirolo de' Tesori nascosti Rione 5. Chiesa 5.* (o) *Cod. Visit. Urban. VIII. sub die 1. Decemb. 1628. pag. 357.*

C A P U T XLIV.

De Eccleſia S. Pantaleonis de Pretecarolis.

OBſcura, & prorſus ignota eſt origo denominationis hujus Eccleſiae de Pretecarolis, ſic enim appellatam reperimus in Bulla Urbani III. Situs tamen, nec non propinquitas noſtrae Baſilicae, & titulus, quem adhuc ſervat nobis plane ſuadent, ipſam eamdem eſſe, quae hodie nuncupatur S. Pantaleonis ad Paſquinum, ex ſimulacro marmoreo in angulo Palatii Urſinorum adſtantis poſito, de quo Romanarum nullus antiquitatum Scriptor innuit ubi nam repertum, aut a quonam ibi locatum fuerit. Vel Martis, vel Alexandri Macedonum Ducis, ſive alicujus gladiatoris reputatur imaginem repraeſentaſſe; memorabile inprimis hoc ſimulacrum, tum propter opificii praeſtantiam, tum quia ad pedes ejus affigi ſolebant Satyrae, famoſique libelli, qui propterea Romae *Paſquinate* appellari conſueverunt, cujuſcumque ingenioſi maledicti nuncupato auctore Paſquino.

Sed ut reditum faciamus ad hanc Eccleſiam S. Pantaleonis, quae hodierna die communiter dicitur Scholarum piarum, fuit ea conceſſa a Gregorio XV. Religioni pauperum Matris Dei Scholarum piarum, & tunc videtur tranſlata fuiſſe cura Animarum hujus Paraeciae in Eccleſiam S. Euſtachii; atque ablata pariter a noſtra Baſilica Matrice fuit filiatio, ac praedictae Eccleſiae S. Euſtachii conceſſa.

Ait Pancirolus (*p*) anno 1216. Eccleſiam hanc fuiſſe Collegiatam Presbyterorum Anglorum, quod porro inſcriptio Campanae anno 1243. conſtructae demonſtrat. Vetuſtate jam labentem ipſam reaedificarunt Alexander Savellus, & ejus uxor Catharina Muti Vitelleſchi. Apud ipſam olim aperuerunt ſcholas ad docendum pauperes primas literas, & grammaticam aliqui pii Clerici, quos Paulus V. approbavit ſub nomine Scholarum

larum

(p) *Pancirolo Teſori naſcoſti Rione 12. Chieſa 8.*

larum piarum, anno vero 1617. redacti in Congregationem, prout in Brevi sub datum Romae 7. Martii anni supradicti. Gregorius subinde XV. anno 1621. hanc Congregationem in Religionem trium votorum substantialium redegit, illiusque Constitutiones confirmavit. Praeterea anno sequenti eidem Religioni omnes exemptiones, & privilegia Ordinum Religiosorum Mendicantium indulsit, uti ex tribus Brevibus desuper expeditis anno 1622. patet. Haud equidem tria vota substantialia tantum emittunt praedicti Patres, sed & quartum de docendo pueros, praesertim pauperes, superaddunt. Institutum quippe ipsorum est incumbere in educationem, ac eruditionem puerorum, incipiendo a primis literarum elementis, docere nempe legere, scribere, & calculare. Iis, qui pauperes nimis sunt ipsi Patres chartam, calamos, & atramentum exhibent, atque ut Doctrinam Christianam, bonos mores, confitendi, & orandi modum ediscant, specialiter curant. Tam de mane, quam de sero Patres ad proprias usque domos eosdem comitantur.

Ecclesia, quae ab his Patribus in vetustiorem formam a fundamentis denuo fuit excitata, unicam habet navem. Altare majus Beatissimae Virgini dicatum est, ejusque Imago supra Aram maximam in muro clauso cum crystallo circumcirca picturis decoratur. Concameratum fastigium picturis, auroque est instructum: ostium majus habet ingressum per plateam nuncupatam S. Pantaleonis; duo alia habet ostia lateralia; unum versus Forum Agonale, alterum juxta Domum DD. de Maximis, in qua primo sub Nicolao V. anno nempe 1455. Typorum artem admirata est Roma: Petrus enim, & Franciscus de Maximis ambo huic operi optatam contribuere aedem.

CA-

CAPUT XLV.

De Ecclesia S. Sebastiani in Via Papae.

Demolitum hoc Templum fuit, ut in ampliorem formam, qua hodie conspicitur, alio quamvis nomine de Valle, magnificentius resurgeret. Omnes fere Urbis antiquitatum Auctores consentiunt Pompeji Theatrum sese usque ad hanc Ecclesiam extendisse, dumque hujus Templi fundamenta effoderentur, illius ruinas fuisse detectas. Quamplures moderni Scriptores, & praecipue Octavius Pancirolus (q), cujus sensum sequti sumus agendo de Ecclesiis S. Laurentii in Damaso filialibus, existimant in eo loco, ubi aedificata erat haec Ecclesia S. Sebastiani extitisse Cloacam maximam, in qua S. Martyris Corpus a Lucina Matrona Romana inventum apud catacumbas honorifice tumulatum fuit. Divus enim Sebastianus, ut aliqui affirmant, cum in Campo Florae non hinc valde distanti inter verbera, jussu impiissimi Diocletiani constanter tolerata, Deo animam reddidisset, in hanc Cloacam projectus est. Alii vero in Monte Palatino (r), in Imperatorii Palatii, ibi extantis, Hippodromo, S. Sebastianum sagittis confossum, fustibusque caesum opinantur. In hujus rei memoriam a Fidelibus (s) excitatum fuit Templum S. Sebastiani in Palladio nuncupatum, & in Pallaria corrupto vocabulo, ubi Gelasius II. electus fuit in Pontificem. Martinellus (t) agens de Templis in Urbe obsoletis refellit opinionem eorum, qui dixerunt Cloacam maximam extitisse ubi erectum est hoc Templum S. Sebastiani in Via Papae, insistitque sententiae Flaminii Nardini (u) una cum Plauto in Curculione, qui affirmant Cloacam maximam fuisse in medio Fori, ejusque ostium

in

(q) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 13. Chiesa 5.* (r) *Sur. tom. 1. die 20. Januar.*
(s) *Severano delle sette Chiese part. 1. pag. 448.* (t) *Martinell. Roma sacra pag. 393.*
(u) *Nardin. Rom. ant. lib. 5. cap. 7. reg. 8. Plaut. in Curculion. act. 4. scen. 1.*

in ejusdem Fori centro apud Lacum Curtium. Ad conciliandas itaque varias horum Auctorum opiniones, diversa loca, quae Cloaca maxima permeabat, describemus.

Tarquinius Priscus primus omnium in Urbe Cloacas instituit, teste Livio (x): Perspiciens enim hic Rex intra septem Colles, quos Urbis circuitus continebat, in vallibus, ac inferioribus locis aquam stagnantem, & ex immunditiis, quas secum trahebat, aerem facile corrumpi, ad evitandum imposterum tam grave discrimen, montium viscera excavari, ut ait Blondus, perfodique praecepit; tantamque amplitudinem cavis fecisse proditur, ut juxta Plinium (y), aliosque Scriptores vehem foeni large onustam transmitteret; & ne fatiscens solum limosa colluvie, & ferreo aggestu oppleretur solidis marmoribus ita latera utrimque firmata sunt, ut nullum juncturae signum appareret; quamobrem facili cursu aquae in Tyberim effluebant.

Hujus molitionis initium coeptum in Foro Romano, ubi Lacus Curtius extabat, indeque per tres ductus Cloaca divisa. Primus ductus per Montes Palatinum, Coelium, & Aventinum excurrens flumen juxta ripam magnam ingrediebatur. Secundus per Capitolii concava effluens, non longe a Tyberina Insula prosiliebat. Tertius per subterranea Exquilini, Viminalis, & Quirinalis permeans in Pontem Aelium desinebat. Ita Dionysius (z) a Tarquinio Superbo completas, quamvis a Tullio inceptas commemorat, inquiens: *Conatus est ut Opera ab Avo imperfecta relicta complerentur, nempe Cloacarum ductus, atque per omnes aqua sine mora diffueret.* Marcus Agrippa, Imperante Augusto, Aedilis, septem fontibus a variis horum collium locis derivantibus, aditum patefecit. Quae omnia Plinio (a) caussam de hac Urbe dicendi dedere: *Cloacam omnium dictu maximam, suffossis montibus, Urbe pensili, subterque navigata a Marco Agrippa in aedilitate sua*

(x) *Liv. lib. 1. & 5.* (y) *Plin. histor. lib. 36. cap. 15.* (z) *Dionysius Halicarnass. antiqit. Roman. lib. 4. edition. Oxoniae 1704.* (a) *Plinius histor. lib. 36. edition. Harduini Parisiis 1723.*

per meatus corrivati septem amnes cursuque praecipiti Torrentium modo rapere , atque auferre omnia coacti .

Magna quidem in admiratione ab omnibus habentur hae Cloacae, & praecipue ab eodem Plinio *(b)*, qui eas consueta scribendi elegantia ita prosequitur : *Insuper mole imbrium concitati, vada, ac latera quatiunt, aliquando Tyberis retro fusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus, & tamen obnixa firmitas restitit. Trahuntur moles internae tantae non succumbentibus caveis operis; pulsant ruinae sponte praecipites, aut impactae incendiis, quatitur solum terrae motibus, durant tamen a Tarquinio Prisco annis DCCC. prope inexpugnabiles.*

Nec minoribus encomiis tanti operis magnificentiam exaltat Dionysius his verbis (*c*): *Mihi sane tria magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani Imperii, Aquae ductus, Viae stratae, & hae Cloacae, reputanti non solum utilitatem operum, verum etiam impensarum magnitudinem, quam vel hinc licet coniicere, quod ut affirmat C. Aquilius neglectas aliquando Cloacas, & non transmittentes aquas, Censores mille talentis purgandas locaverint.* Pretium quidem considerabile, ac vere mirandum sexcentum nempe millium aureorum, juxta Flaminii Nardini sensum (*d*), quod ex earum pinguedine ab Olitoribus conducta, uti existimat Pancirolus (*e*), exigebatur. *Non omittendo memorabili exemplo*, sunt eademmet Plinii verba (*f*), *vel eo magis, quoniam celeberrimis rerum conditoribus omissum est, cum id opus Tarquinius Priscus plebis manibus faceret, essetque labor incertus, longior, ac periculosior, passim conscita nece, Quiritibus taedium fugientibus. Novum, & inexcogitatum antea, posteaque remedium invenit ille Rex, ut omnium ita defunctorum figeret Crucibus Corpora spectanda Civibus, simul & feris, volucribusque laceranda* : hactenus Plinius.

Cum vero nullum sit opus in terris perpetuo duraturum, hoc quoque quod quamdiu Roma, Orbisque terrarum existeret, videbatur mansurum, demolitum est, referente Rosino (*g*): *Post Urbem a Gallis captam, & incensam, dum sibi quisque domicilium reaedi-*

(b) *Plin. ubi supra* (c) *Dionys. Halicarn. lib. 3.* (d.) *Nardin. Rom. antic. trattat. delle Chiaviche* (e) *Pancirolo Tesor. nascost. Rion. X. Chiesa 3.* (*f*) *Plin. histor. lib. 36. cap. 15.* (g) *Rosin. antiquit. Roman. lib. 7. cap. 32.*

dificare qua parte primum potuit, festinat; vicorum nulla, ut ante fuit ratio observata, neque Civitas, ut prius in certas Regiones divisa, neque Cloacae, quae olim per publicum ducebantur animadversae ubi essent, postea privata subintrarunt tecta, unde factum, ut quaeque Domus suam fere baberet Cloacam.

His de Cloacis breviter relatis digressionem persolvemus Theodorici Regis elogio (*b*): *Quae tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum Civitatum possit miracula superare. Videas illic Fluvios quasi montibus concavis clausos per ingentia stagna decurrere. Videas structis navibus per aquas rapidas cum minima sollicitudine navigari, ne praecipitato torrenti marina possint naufragia sustinere. Hinc Roma singularis quanta in te sit, potest colligi magnitudo. Quae enim Urbs audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem reperire?*

Praefata traditio, affirmans hoc Templum excitatum, ubi Corpus D. Sebastiani a Lucina Matrona extractum fuit, initium habuit anno 1625. in secunda editione operis de Thesauris occultis Octavii Panciroli. Hoc enim nulla prius aliorum Scriptorum auctoritate, nec opinione firmatur. Quapropter ne hac traditione erroris notam tanto Auctori inferamus, varias historicorum assertiones aequum referre duximus, judicandi facultatem lectoribus relinquentes. Johannes Baptista del Tufo Scriptor Religionis Theatinae affirmat hoc Templum D. Andrae peranguſtum antea, ac D. Sebastiano dicatum, parvam Paraeciam fuisse, quae una cum Sacellis, Domibus, atque redditibus in excitandum S. Sebastiani Templum per speciale Diploma sub die 18. Augusti 1590. a Sixto V. translata fuit; quo quidem Diplomate cautum insuper est, ut eadem Ecclesia in profanos usus conversa, ex veteris Arae maximae, & utrimque positorum Altarium Sanctorum Andreae, & Sebastiani situ novae Ecclesiae spatium compleretur, reliqua vero demoliendae Ecclesiae pars ad novi Templi sternendos gradus, ac plateae amplitudinem relinqueretur. Praecitatus Auctor fusiorem

(h) *Cassiodor. Epist. 30. lib. 3.*

habet sermonem de praesentis Ecclesiae S. Sebastiani concessione, ac demolitione, nullum vero de Cloaca; neque locum, ex quo praedicti Martyris Corpus fuit extractum, commemorat. In ejusdem tamen S. Martyris Actibus legitur: *Tunc B. Sebastianus apparuit in somno S. Lucinae cuidam Matronae religiosissimae dicens: In Cloaca illa, quae est juxta Circum invenies Corpus meum pendens in unco*. Locum projectionis in Cloacam ex Actis passionis ejusdem S. Martyris relatis a Surio habemus apud Circum maximum his verbis: *Tulerunt autem Corpus ejus noctu, & in Cloacam maximam miserunt dicentes, ne forte Christiani eum sibi Martyrem faciant*.

Eadem acta refert Bosius, seu Severanus in sua Roma subterranea. Aliqui vero appellatione Circi intelligi posse Circum, seu Theatrum Pompeji existimant; sed Tacitus, aliique Scriptores antiquitatum Romanarum Circi appellatione maximum subintelligunt, etsi nihil aliud addatur, ut Fori appellatione Romanum accipimus, & Campi vocabulo Martium. In Codicibus Bibliothecae Vaticanae legitur: *Clivus Scauri, qui est inter Amphiteatrum, & stadium ante Septisolium, ubi est Cloaca, ubi jactatus fuit S. Sebastianus, qui revelavit Corpus suum Lucinae dicens; invenies Corpus meum pendens in unco*.

Ex quibus evincitur Clivum Scauri fuisse inter Amphiteatrum, & stadium, idest Circum maximum, locumque, ubi jacuit Corpus S. Sebastiani, dum proiiceretur in Cloacam fuisse in Velabro; quomodo vero penderet in unco, explicant extremam scilicet unci partem firmiter adhaerentem superiori Cloacae parti, ipsum in meatu pendens servasse, quominus in sordes rueret, unde illius transfluxio ad Pompeji Theatrum, aut ad Circum Agonalem fieri haud potuit, quia cursus praeceps aquarum, qui torrentium more modoque omnia rapere, atque auferre solebat, ut Plinius a Lipsio (*i*) relatus testatur, exinde infra Velabrum, ubi Cloaca sese in Tyberim exonerabat, sacrum Martyris Corpus unco fixum cum sordibus, & Urbis quisquiliis potius evomuisset. Hanc

(i) *Lips. de magnit. Rom. lib. 3. cap. 12.*

Hanc digressionem absolvemus verbis Martyrologii Romani: (*k*) *Romae ad Catacumbas Natalis S. Sebastiani Martyris, qui Diocletiano Imperatore, cum haberet principatum primae Cohortis, sub titulo Christianitatis, jussus est ligari in medio Campo, & sagittari a militibus, atque ad ultimum fustibus caedi, donec deficeret.*

Non praetereundum videtur hic paucis refferre quid esse consuevisset titulus Christianitatis. Mos erat, omnes morti damnatos, cum ad supplicium ducerentur, criminis notam in tabula inscriptam, vel ante pectus, vel in ipso patibulo deferre. Quae etiam Christianis mortis caussam propter fidem indicans apponebatur. Ideo Scriptores Sanctorum Martyrum inscriptionem hanc titulum Christianitatis appellant. Praecedere enim consuevisse hujusmodi titulos affirmat Suetonius, cujus en verba: (*l*) *Manibus abscissis, atque ante pectus a collo pendentibus praecedente titulo, qui caussam poenae indicaret per caetus epulantium circumduceretur.* Eusebius refert aliud exemplum in Epistola Ecclesiae Lugdunensis, quam ipse recenset his verbis: *Cum undique per Amphiteatrum circumduceretur Attalus Martyr, Tabula in qua latinis literis haec erat inscriptio, praecedente: Hic est Attalus Christianus.* Sunt etiam de his alia in aliis actis Martyrum exempla; redeamus modo ad Ecclesiam S. Sebastiani in Via Papae, nunc S. Andreae de Valle.

Proximum Ecclesiae antiquitus S. Sebastiani nuncupatae; pulcherrimum erat, ac amplissimum Palatium a Piccolomineorum Familia aedificatum, nobilissima quidem non tam claritate, qua praefulget, quam propter Pontifices, scilicet Pium II., & Pium III. Nepotem, & Avum, qui eam decorarunt. Quae Gens Piccolominea, quae ab Urbe Senarum in Hetruria originem duxit, Plateae quoque ante dictum Palatium existenti Senensis nomen imposuit. Hujus vero postea Palatii relicta haeres Constantia Piccolominea Ducissa Amalphis in Principatu citeriore Regni Neapolitani, quae summopere gloriosum Apostolum D. Andream colebat, illud Patribus Clericis Regularibus, S. Syl-

(l) *Sueton. in Vit. Caii Imp. cap. 32.*

S. Sylvestro in Monte Quirinali degentibus, ad Templum in ejus honorem aedificandum donavit. Priora ejus fundamenta jecit Alphonsus Cardinalis Gesualdus Neapolitanus, qui etiam Templum ad aliquam altitudinem perduxit, sed cum morte praeventus esset, Alexander Cardinalis Montaltus Vicecancellarius, ac S. Laurentii in Damaso Basilicae titularis, ne tam pium opus interiret, pari religionis fervore illud est prosecutus. Cujus munificentia, atque pietate Ecclesia in eam, quam hodie conspicimus, elegantissimam, egregiamque formam est redacta. Nec solum vivens amorem, pietatemque erga Ecclesiam hanc, sed etiam moriens ostendit. Sex enim millia aureorum, quae singulis annis in ea erogabat, per decennium quoque post obitum de suarum Praebendarum redditibus persolvi a Gregorio XV. obtinuit. Cumque in eo Templo, Palatium antea Pii II., & III. Pontificum extitisset, eorum quoque Corpora ex Vaticana Basilica transferri a Paulo V. impetravit. Quae ibi summa magnificentia supra laterales januas collocata fuerunt, & merito, nam sicut illi Pontifices ibi dum viverent domicilium habuerunt, ita quoque post mortem servarent: atque sequens inscriptio apposita est:

Alexander Perettus S. R. E. Vicecancellarius Cardinalis
Montaltus in Piccolomineorum Domo a Constantia Amalphis Duce Clericis Regularibus dono data, B. Andreae
Templum aedificavit, Pio II., & Pio III. Pont.
Max. monumentum restituit, & ornavit Anno
Salutis MDCXIV.

Oblita postea posteritas nominis Plateae Senensis, Plateae illi ante hoc Templum Vallis nomen dedit, quod Ecclesiae quoque communicavit, ideo adhuc S. Andreae de Valle nuncupatur, quia prope Domum Familiae Vallensis.

Unicam hoc Templum habet navem: Caelum concamerata testudine tegitur: fornix ab excellenti Domenichino Bononiensi est coloratus, Ara maxima est sub abside posita, tota marmore, lapidibusque multicoloribus eleganter confecta, retro a late-

latere in pariete facrae eaedemque elegantiffimae picturae confpiciuntur, quae Martyrium S. Andreae exhibent, opus Equitis vulgo nuncupati *Calabrefe*. Inter Sacella hujus Ecclefiae emicat illud olim a Mapheo Cardinali Barberino, qui poftea Summus Pontifex renunciatus eft nomine Urbani Papae VIII. Deiparae Virgini in Caelum affumptae dicatum, columnarum, variaque marmorum commiffura praefulgens, cujus concamerata Teftudo in fuis loculamentis, & fignis quatuor Prophetarum imagines in emifpherio, quatuor Virtutes Cardinales in projecturis vifendas praebet, opus egregium Equitis Dominici Paffignani. Ara eft ab eodem Urbano VIII. adhuc Cardinali, anno nempe 1616., confecrata; tunc arcula marmorea appofita eft in eodem Sacello, in qua pars fpatulae S. Sebaftiani Martyris, ut traditione accepimus, cuftoditur. Infra Arcam in marmore nigri coloris incifa eft haec infcriptio:

Sanctus Sebaftianus Miles Chrifti fortis.
Sagittis Diocletiani juffu configitur,
Virgis caeditur, in Cloacam deiicitur,
Inde a Lucina Matrona Romana
Ejus in fomnis monitu eximitur,
Et in Callixti Coemeterio conditur.
Facti indicem plebs olim venerabunda
Aediculam excitavit.
Cujus hic nuper Altare majus cum abfide ftetit.
Hanc Sixtus V. Pont. Max. ea lege aequari folo permifit,
Ut illius pars nova Aedis ambitu includeretur
Ad retinendam loci Religionem, reique memoriam
Mapheus S. R. E. Presbyter Cardinalis Barberinus
Signaturae Juftitiae Praefectus
Hoc voluit extare monumentum
Anno Salutis MDCXVI.

Petrus Paulus Oliverius pulchrum hujus Templi aedificium delineavit, tantoque operi dedit initium, fed morte praeventus, confumare non potuit. Quapropter Carolus Madernus non im-

impari artificio, ac ingenio perfecit. Prospectus est opus aequitis Rainaldi, ac inter clariores Urbis recensetur. Pulcherrimum Coenobii aedificium, ejusque ostium a Maruscello insigni Architecto delineatum fuit; in quo degunt PP. Clerici Regulares, nuncupati *Teatini*. Venerabilis Theatinorum Ordo hac appellatione fruitur a Paulo IV. Caraffae Gentis, qui Episcopus fuit Theatinus, Urbis nempe Theatis, quae Archiepiscopalis est, & Metropolis Civitas apud Samnites.

CAPUT XLVI.

De Ecclesia S. Nicolai de Mellinis.

PUtat Ciampinus (*m*) Ecclesiam hanc jamdiu dirutam fuisse, atque a tergo, & e conspectu Ecclesiae S. Agnetis in Agone fuisse sitam ipso in loco, sive in contiguo ad ipsum, ubi sitae erant Domus Mellinae Gentis Romanae, quae possidebat antiquitus ibi regiunculam Domorum, vel parvam Insulam, & usque nunc ibi cernitur Turris nobilis aedificii signum, in cujus summitate legitur inscriptum majoribus caracteribus *Mellina*. At parum fundamenti habet hujusmodi opinio, apud enim nullum antiquarum Urbis Ecclesiarum Scriptorem reperitur memoria de existentia Ecclesiae S Nicolai de Mellinis: nec Martinellus, etsi uberem texuerit Catalogum Templorum amplius non existentium, meminit hujus, quod nobis ansam afferendi praebet in voce de *Mellinis* irrepsisse errorem Amanuensis, & loco verbi de Molinis scriptum fuisse de Mellinis. De S. Nicolao de Molinis, seu Molendinorum extat mentio apud Martinellum (*n*), & alios agentes de Templis Romae. In antiquis notis, ac in Manuscriptis a foelicis recordationis Clemente Papa XI. traditis reperitur Ecclesia S. Nicolai de Molinis inter filiales S. Laurentii in Damaso. Camillus Fanuccius (*o*) testis est, quod anno 1557. sedente

(m) *Ciampin. de Vicecancell. cap. 40. pag. 186.* (n) *Martinell. Roma sacra pag. 387.*
(o) *Fanucci dell' opere pie di Roma lib. 4. cap. 41.*

dente Paulo IV. Summo Pontifice Confraternitas, ut vocatur, Credentiariorum orta ſub invocatione S. Helenae Matris Conſtantini Magni, & piiſſimi Imperatoris, poſtquam variis in Eccleſiis ſe congregaſſet, tandem hanc, de qua loquimur, Eccleſiam S. Nicolai de Molendinis, quae Parochialis erat, obtinuerit: & quia jam jam vetuſtate corruebat, inde fuit ablata cura Animarum, ac proximis Parochialibus Eccleſiis aſſignata; eamque Credentiarii iidem tam diligenti ſtudio, & opera reſtaurarunt, ut recens conſtructa videatur, eam vocantes ex proprio nomine S. Helenae Credentiariorum; idemque a Pancirolo (*p*) comprobatur, quamobrem addendo relatis maximam hujus Eccleſiae ad Templum S. Andreae de Valle propinquitatem, ejuſque immediatam ante hanc Eccleſiam mentionem in Urbani III. Bulla, in qua ut alias dictum eſt, in nominandis Eccleſiis ordo propinquitatis ſemper ſervatur apertus eſt error Amanuenſis ſcribentis de Mellinis, loco de Molinis, ac liquido patet aliam non eſſe eam Eccleſiam, quam hanc, quae nuncupatur hodie S. Helena Credentiariorum, cujus feſtivitas celebratur 15. Kal. Septembris, nempe die 18. Auguſti; a Graecis vero 12 Kal. Julias. Hujus S. Imperatricis res geſtas literis tradidere Euſebius (*q*), Ruffinus, Socrates, Sozomenus, aliique recentiores. Quod haec Sancta fuerit Brittanni generis, non Graeci, adverſus Graecorum aſſertiones plura refert Cardinalis Baronius in Annalibus (*r*). Ipſam Romae obiiſſe, ibique inſigni ſepulchro conditam fuiſſe tradit Nicephorus (*s*).

Addendum videtur, quod ſicuti Sanctis, qua fruuntur in Caelis, gloria non demitur, ubi peccata, ſi quae ab ipſis, dum in humanis agerent, commiſſa referuntur, tunc enim poenitentia potius, ac divina miſericordia exaltantur; ita etiam ſi culpae ipſis immerito imputentur, maxima iiſdem Sanctis irrogatur injuria. Hanc autem temere offenſionem S. Helenae

(p) *Pancirol. Teſori naſcoſti Rione 13. Chieſa 2.* (q) *Euſeb. in Vit. Conſtant. lib. 3. cap. 43., & duobus ſequent. Ruffin. hiſtor. lib. 1. cap. 12. & 13. Sozomen. lib. 2. cap. 4.* (r) *Baron. Annal. tom. 3. ad ann. 306. pag. 3, & 4. edit. Rom.* (s) *Nicephor. lib. 8. c. 31.*

intulerunt Gentiles aliqui odio perciti, quo ejus filium Constantinum, utpote Idololatriae destructorem, prosequebantur, dicentes ipsum natum de Concubina, ac S. Helenam non legitimam, & veram Constantii Clori uxorem, quamvis constet huic ipsam vere nupsisse, quando in Brittannia Romanae praeerat militiae, & antequam ei a Maximiano traderetur Imperium, in quo postea successit Constantinus ejus filius ad foelicissimam Catholicae Ecclesiae sortem. De hoc piissimo Imperatore dicitur in Martyrologio. (t) *Primus Ecclesiae tuendae, atque amplificandae exemplum caeteris Principibus praebuit.* Viget illustris memoria S. Helenae Romae in agro Sessoriano in Basilica nuncupata S. Crucis in Jerusalem, quam constat olim dictam fuisse Basilicam Helenianam.

CAPUT XLVII.

De Ecclesia S. Salvatoris.

DIfficile admodum est indicare quaenam sit haec Ecclesia tempore Urbani III. Sanctissimo Salvatori dicata, nulla extante de ipsa denominatione, sequentem tantum habet additionem, quam praedictus Pontifex in sua Bulla profert: *Ecclesia S. Salvatoris, & Jus Parochiale, quod habetis in Ecclesia S. Mariae Juliae*, de qua Ecclesia S. Mariae Juliae in sequenti Capite sermo erit, utpote descripta in Bulla eadem Urbani III immediate post hanc S. Salvatoris, quam proinde eidem valde propinquam fuisse probabile videtur. His itaque praejactis cum apud Pancirolum (u) habeamus ad extendendum Monasterium Monialium Ordinis S. Benedicti, olim S. Mariae Juliae nuncupatum, modo vero S. Annae Funariorum, demolitam fuisse Ecclesiam quamdam S. Salvatoris anno 1538, seu eidem Monasterio tunc maxima ex parte restaurato inclusam; similique Ecclesiae nullam apponi

(t) *Martyrol. Rom. die 18. Aug.* (u) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 11. Chiesa 1.*

ni denominationem. Hinc clare conſtat praedictam Eccleſiam pro Monaſterii ampliatione dirutam fuiſſe, quae tempore Urbani III. inter filiales Baſilicae S. Laurentii in Damaſo enumerabatur, & de qua modo agimus. Haec omnia etiam Martinellus confirmat, cujus en verba: *(x) Sanctae Mariae Juliae Monaſterium, nunc S. Annae Monialium Ordinis S. Benedicti, in quarum Monaſterio anno 1538. erat aedes S. Salvatoris*, quod adhuc magis roborant manuſcripta tradita a Clemente XI. ſanctae glorioſaeque memoriae. Quapropter circa hanc filialem Eccleſiam erraſſe videtur Ciampinus (*y*) eam putans, quae S. Salvatoris de Pietate denominatur, nunc vulgo Cupellarum, ſeu Coppellarum dictam, de qua Cap. LXIII. erit ſermo.

C A P U T XLVIII.

De Eccleſia S. Mariae Juliae.

NEc titulum, nec denominationem veterem amplius haec ſervat Eccleſia, quippe quae hodie S. Anna Monialium appellatur. A Pancirolo (*z*), & Martinello dicitur etiam S. Anna ad Funarios. Sita eſt in Regione Arenulae, ſive Areolae. Ad milites Templarios olim ſpectabat, qui eam anno 1297. cuidam Dei famulae nomine Santuccia Terrebotti ab Eugubio, largiti ſunt, quae praeſentis Monaſterii fuit fundatrix, vivebatque in tanta ſanctitatis, regulariſque diſciplinae fama, ut eam Summi Pontifices Romam vocaverint ad reformandas Moniales S. Benedicti (*a*), ut ex Brevibus Apoſtolicis adhuc in hoc Monaſterio aſſervatis, eam generalem Abbatiſſam creaverint, auctoritate conceſſa viſitandi aliqua Monaſteria, quae ipſa variis in Italiae locis fundaverat ſub Regula ejuſdem S. Patriarchae Benedicti. Obiit haec Sancta mulier anno 1305, & in hac Eccleſia ſepulta eſt. Cum Equitum,

(x) *Martinell. Rom. ſac. pag. 60, & pag. 372.* (y) *Ciampin. de Vicecancell. pag. 190.*
(z) *Pancirol. Teſori naſcoſti Rione 11. Chieſa 1. Martinellus Rom. ſac. pag. 60, & 376.*
(a) *Ex M. S. Monaſterii S. Annae.*

seu militum Templariorum meminerimus, qui praesentem Ecclesiam possedere cum omnibus bonis ejus, & Juribus, videtur extra rem non esse, nec injucundum de eorum ordine, origine, ac instituto pauca referre. Coepit Ordo Templariorum Jerosolymis anno 1118, fuitque eorum Institutum praecipuum defendere eos, qui ex devotione ad visitationem Sepulchri Domini Nostri pergebant. Dicti sunt Templarii ex prima eorum statione prope Jerosolymorum Templum; virtuti, & strenuitati, vitae sanctitatem copulantes, ingentes obtinuerunt divitias, quae postmodum tamen in eorum ruinam versae sunt. A prima enim institutione recedentes, sedente in Apostolica Sede Clemente V. omnino sublati, & extincti fuerunt a Concilio Viennensi anno 1312.

C A P U T XLIX.

De Ecclesia S. Mariae de Publico.

NOn aliam passa est haec Ecclesia mutationem, quam cujusdam additionis priscae ejus denominationi: ea porro in Urbani III. Constitutione appellatur S. Maria de Publico, nunc vero S. Maria in, vel de Publicolis; estque filialis Basilicae S. Laurentii in Damaso, quam in Baptismalem, & Matricem agnoscit. Fellinus (*b*) affirmat melius in eam nomen de Publico cadere, nec ita alienum esse, ut nomen de Publicolis; porro rationem ducit a situ, ubi jacet Ecclesia, antiquitus nuncupato Clivus publicus, quod nihil aliud sonat, nec aliam habet notionem, quam publici ascensus, vel collis; oppositae est sententiae Pancirolus (*c*) existimans denominationem de Publicolis accepisse a fundatoribus, atque haec opinio communior est inter Ecclesiarum Romae Scriptores.

Pu-

(b) *Fellini delle cose maravigl. di Roma pag.* 131. (c) *Pancirolo Tesori nascosti Rione* 10. *Chiesa* 5.

Publicola enim Gens erat Patritia apud priſcos Romanos. Valerii etiam dicti, ut teſtatur Quintilianus (*d*). Horum multi celebres viri fuerunt, quorum primus cognomento Publius Valerius Publicola, ſive Poplicola, qui expulſis Regibus, Junii Bruti in primo Conſulatu collega (*e*), in Collatini locum à populo Comitiis Centuriatis ſuffectus eſt. Ejus quidem nominis originem multis narrat Roſinus (*f*). Monet Manutius rectius nuncupari Poplicolam, quam Publicolam (*g*), idem ſentit Terentius Scaurus (*h*), ſubditque hoc ei nomen ita datum. Cum domum in Velia tutiſſimo loco haberet, in ſuſpicionem Principatus venit, quo cognito miſit qui domum ſuam ſternerent, eodemque tempore apud populum conqueſtus eſt, quod de ſe hoc timuiſſent. Faſces item populo ad concilium vocato ſubmiſit, tulitque legem de provocatione adverſus Magiſtratus ad populum, quamobrem tam impenſe cultor, & obſervator populi, ab eodem cognomen Publicolae, ſeu Poplicolae accepit, quod & poſteris commune fuit.

Plurimorum eſt Scriptorum opinio, hanc Eccleſiam ab aliquo ejuſdem ſtirpis Valeriae ſucceſſore fuiſſe conditam, eamdemque poſtmodum ceſſiſſe in Juſpatronatus Familiae praenobilis, & vetuſtiſſimae, quae a S. Cruce nuncupatur; cujus inſignia cum inſcriptione in fronte Eccleſiae, & in duobus ſepulchris exiſtentibus in Presbyterio ad latera Arae maximae ſpectantur. Eccleſia habet unicam navem, ad quam per aliquot gradus lapideos aſcenditur, concamerato faſtigio tectam. In ea ſolemni ritu celebratur feſtum Nativitatis Deiparae Virginis.

(d) *Quintilian. lib. 1. cap. 4.* (e) *Tit. Liv. lib. 2.* (f) *Roſin. antiqut. Roman. lib. 5. cap. 21.* (g) *Manut. in Orthograph. ex veter. monum.* (h) *Terent. Scaur. de Orthograph.*

CAPUT L.

De Ecclesia S. Mariae in Formosa.

VUlgata est omnium Scriptorum Urbis Ecclesiarum sententia, in situ, ubi condita videtur praesens Ecclesia, modo nuncupata S. Ambrosii, olim extitisse paternam domum ejusdem Sancti, etsi in ea ortum non duxerit, ejus enim Genitor cum Galliarum Praefecturam obtinuisset, illuc comite uxore se contulit, ibique in lucem prodiit eximius hic Sanctus Doctor, cum altero majoris aetatis Fratre, ac Sorore. E vivis sublato Praefecto, omnes cum Matre ad hanc incolendam domum rediere. Accidit autem, ut Valentinianus Imperator, instante Anicio Probo Praetorii Praefecto ad regimen Urbis Mediolanensis Ambrosium designaret, ubi ex morte Auxentii Ariani Haeretici vacante Episcopali Sede, idem Ambrosius licet renuens totius populi consensu, ac voluntate in ejus locum suffectus fuit, & in Episcopum proclamatus. Electio ad Valentinianum (*i*) delata, illius siquidem requiri videbatur assensus, nam Imperatoriis sanctionibus vetitum erat, ne Decuriones, vel publicis adstricti Officiis adsciscerentur in Clerum. Imperator (*k*) summopere laetatus est, ac libentissimo inquit animo tales a se constitutos Magistratus esse, qui in Episcopos eligantur. Remansit Romae S. Marcellina ejus Soror cum Matre, qua orbata, una cum aliis Virginibus Candida scilicet, & Indicia in hac domo a S. Liberio Papa sacro velamine fuit donata. In Operibus S. Ambrosii (*l*) ejusdem Liberii sermo reperitur, eo solemni die, quo sacrum velum illis imposuit, habitus. Idem Ambrosius (*m*) in Epistola ad Siagrium meminit domus paternae non longe a Capitolio prope Forum Piscarium, in qua S. Marcellina degebat, una cum aliis Virginibus, quae quidem domus semel usui Virginum Deo obla-

(i) *In Cronic. anno 11. Valentin. Imper.* (k) *C. Theodos. l. 3. & 9. de Episc. & Cler. Baron. Annal. tom. 4. pag. 313.* (l) *S. Ambros. de Virgin. lib. 3.* (m) *Idem Epist. 47. lib. 6. edit. Rom. in fin.*

oblatarum dicata hactenus perseverat. Testatur Pancirolus contiguam domui S. Ambrosii, in qua aliquo tempore vixerunt Sacrae Virgines adjunctae Sanctis Marcellinae, Candidae, & Anniciae absque voto vitam exigendi intra Coenobii Claustra, extitisse Ecclesiam S. Stephano dicatam, qua hae Virgines usae fuerint, quae postmodum Ecclesia intra septa Monasterii clausa fuit. Hic tamen extremum vitae diem non clausit S. Marcellina, sed Mediolani, ut ex Martyrologio colligimus (*n*), & ante ipsam S. Satyrus ejus Frater, cujus pariter idem meminit Martyrologium (*o*), in cujus funere luculentam orationem habuisse S. Ambrosium testatur Baronius (*p*). Hoc autem Monasterium exordium, & incrementum, nec non Constitutiones creditur debere Sanctis Virginibus sociis S. Marcellinae, quae hic remanserunt. Postea anno 432. Ecclesiae Dei imperante S. Caelestino primo, damnato in Ephesina tertia generali Synodo impio Nestorio, qui negabat Mariam appellandam Deiparam, hominemque Sanctum, non Deum ex ea natum, cui divinitatem collatam esse pro merito asserebat: praedictus Pontifex ad suam erga Virginem Dei Genitricem devotionem explicandam, in ejus honorem plures Romae erexit Ecclesias, inter quas tunc condita fuit haec, cui nomen inditum S. Mariae in Formosa, uti & in Bulla Urbani III. nuncupatur. Torrigius (*q*) asserit vocatam esse S. Mariam de Maxima, Anastasius (*r*) vero Bibliothecarius eam nuncupat S. Mariam Ambrosii, aitque S. Leonem Papam hujus nominis III. multa ei dona obtulisse. Sed ex quo vero tempore Titulus antiquus S. Mariae conversus sit in hodiernum S. Ambrosii de Maxima, incassum exploravimus, amissi quippe fuerunt occasione Bellorum, ac direptionum, quas Urbs passa est, ab his Monialibus non veteres tantum Codices, ac memoriae, at etiam, ut testatur Pancirolus (*s*), quamplura temporalia bona

na

(n) *Martyrol. die 17. Julii.* (o) *Idem Martyr. die 17. Septemb.* (p) *Baron. in not. ad Martyrol. ead. die.* (q) *Torrig. in histor. Martyr. S. Theodor. cap. 5.* (r) *Anastas. in Vit. Leon. III.* (s) *Pancirol. Tesor. nasc. Rione 10. Chiesa 3.*

na a S. Marcellina ipsis opulenter elargita. Ignotum pariter est, quasnam observarent Constitutiones priores illae Virgines centum ante S. Benedictum annis, cum nunc Moniales istae hujus S. Patriarchae instituto, & regulis obtemperent. Animarum curam habuisse hanc Ecclesiam, his verbis affirmat Martinellus : (t) *Templum S. Ambrosii de Maxima in Regione S. Angeli, prope Mathejorum Palatium, & Forum Piscarium, idemque existimamus quod alibi dicitur S. Maria de Maxima, olim erat Parochiale.*

Quando autem fuerit haec Ecclesia ab Animarum cura exempta, ejusque Paraecia suppressa, uti in optatis fuit, non licuit reperire; quamobrem silere cogimur qua occasione a filiatione Laurentianae Basilicae disjuncta fuerit, cui suberat tempore Pontificatus Urbani III., ut ex ejus Bulla dignoscitur. Denominationem fert haec Ecclesia de Maxima a Cloaca maxima, quae hinc non longe fluebat, & de qua fuse sermo nobis fuit agendo de Ecclesia S. Sebastiani de Via Papae; ruinam demum vetustate minitans haec Ecclesia, a fundamentis denuo excitata a nobili muliere Beatrice Torres ibi monasticam vitam ducente anno 1606. ipsi ad hoc pium opus suppetias praebente Cardinali Ludovico ejus Fratre Archiepiscopo Montis Regalis.

In Ara maxima conspicitur Imago S. Ambrosii liberantis infirmam: opus egregium, & ab omnibus celebratum, coloribus expressum a Ciro Ferro. In primo latere dextero Altaris visitur Icon S. Stephani a Petro de Cortona depicta; in altero latere adest Sacellum Mariae Virgini dicatum, cujus Imaginem fama fert fuisse coloratam ab Equite de Arpino. In memoriam antiquae hujus Ecclesiae denominationis S. Mariae quotannis ex antiquissimo instituto solemniter celebratur festum B. Virginis, nec non S. Stephani, quia ut superius notatum est huic Sancto Protomartyri dicata erat olim Ecclesia inter hujus Monasterii septa clausa, praeter quas festivitates adhuc festum S. Mar-

(t) *Martinell. Roma sacra pag. 54.*

S. Marcellinae colitur die 17. Julii, ac S. Ambrofii duobus fcilicet diebus quarta nempe Aprilis, in qua feliciffima ejus mors contigit, & feptima Decembris pro ejus Cathedra Mediolani.

CAPUT LI.

De Ecclefia S. Valentini.

IN Platea Mathejorum, ea parte, quae vulgo nuncupatur *all' Olmo* fita eft haec Ecclefia in Regione S. Angeli. Olim unicum nomen S. Valentini praeferebat, ad praefens etiam S. Sebaftiani potitur titulo, & vocatur Templum SS. Sebaftiani, & Valentini; erat pariter Parochialis, Bafilicae S. Laurentii in Damafo dependens, & filialis, ut teftantur Codices Vifitationum Urbani VIII. *(u)*. Cura fuppreffa, & applicata Parochiali Ecclefiae S. Nicolai ad Caefarinos, Laurentianae Bafilicae item filiali, & conceffa Univerfitati variarum Mercium Inftitorum, vulgo dictae *de' Merciari*, fcilicet Sericariorum, a Çardinali Montalto titulari, vigore ut ajunt Inftrumenti celebrati fub die 17. Novembris anni 1594. per acta Mainardi Notarii Auditoris Camerae, auctoritate Apoftolica confirmati vigore literarum in forma Brevis Clementis Papae VIII. fub datum 8. Septembris 1595.

Tutam non contigit fundationis hujus Templi reperire notitiam; putat Pancirolus (x) tunc fuiffe conftructam, cum a S. Pafchali primo fublato S. Valentini Corpore ab Ecclefia ipfi extra Portam Flaminiam dicata, in Templo S Praxedis collocatum fuit, ne collapfo, ac penitus everfo praedicto Templo extra Portam Flaminiam, memoria pariter, & cultus huic Sancto Martyri, & Presbytero Valentino periret (y), qui fuftibus caefus, & capite minutus fub Claudio Caefare Romae in Via Flaminia,

(u) *Cod. Vifit. Urban. VIII. fub die* 24. *Januar.* 1630. (x) *Pancirol. Tefor. nafcoft. Rion.* 10. *Chief.* 6. (y) *Martyrol. Rom.* 14. *Februar.*

minia Martyrium subiit, [prout asserit (z) Petrus Martyr Fellini] ubi eadem diruta extabat Ecclesia, cujus aliqua etiam ejus aevo apparebant vestigia.,, Cardinalis Baronius ait antiquam illam Ecclesiam a Theodoro hujus nominis primo fuisse conditam, cujus en verba: (a) *In hujus Martyris honorem Theodorus Papa erexit Ecclesiam Via Flaminia.*

C A P U T LII.

De Ecclesia S. Salvatoris de Gallia,

Omnino sibi consonant manuscripta, quae circa S. Laurentii in Damaso filiales Ecclesias perscrutati sumus, pari consensu asserentia Ecclesiam in Bulla Urbani III. nuncupatam S. Salvatoris de Gallia, eamdem esse, quae hodie juxta S. Ludovicum Gallorum conspicitur, retento eodem pariter titulo Sanctissimi Salvatoris. Magni Ducis Etruriae aedibus adjacet prope Forum vulgo *Madama* appellatum. In Visitationibus Urbani Papae VIII (b) reperimus Animarum curam huic Ecclesiae prius concessam, postmodum suppressam fuisse, ut S Ludovici Gallicae Nationis Ecclesiae adderetur. At quia antiquitus Neronis Thermae hic aderant, adeo venustae, & commodae, ut de his lepide cecinerit Martialis (c)

Quid Nerone pejus?
Quid Thermis melius Neronianis?

Quod postea in proverbium transiit; ideo Ecclesia haec in erectione denominationem a Thermis accepit, & nuncupata fuit S. Silvatoris in Thermis.

Alexandrum Severum postea ubi fuerunt Thermae Neronianae suas aedificasse testatur Helius Spartianus (d). Blondus refert (e) ubi positae erant hae Alexandri Thermae, quarum ingen-

(z) *Fellini delle cose maravigl. di Roma pag.136.* (a) *Baron. in not. ad Martyrol. dicta die 14. Februar.* (b) *Cod. Visit. sub die 28. Januar. 1627.* (c) *Martial. lib. 7. Epigram. 33.* (d) *Spartianus in vit. Alexand. Sever.* (e) *Blondus Rom. instaurat. lib. 2. cap. 7.*

gentes ruinas ab Ecclesia S. Eustachii, & Aedibus Johannis Baroncelli Jurisconsulti, & a Campo S. Mariae Rotundae hinc ad Aenobarborum, sive ut vulgus appellat Longobardorum Plateam, & Circum Flamineum, nunc Agonem, variis in locis videmus attolli; idem colligitur ex Sexto Ruffo in descriptione nonae Urbis Regionis. Erat pariter eo in loco, ubi nunc haec visitur Ecclesia Templum Gentilium Pietatis (*f*) dictum ob mirum eventum in tabella parieti ibidem affixa descriptum, a S. Sylvestro Christo Salvatori Nostro postmodum dicatum, quod postea S. Gregorius sacris initiavit, uti Martinellus testatur, cujus verba referimus: (*g*) *Templum S. Salvatoris in Thermis non procul ab Agonis Campo, & Platea Madamae e Regione S. Ludovici Gallorum, olim, ut asserunt, Pietatis, a S. Sylvestro dicatum Salvatori, & a Gregorio consecratum.*

Cur in Bulla Urbani III. de Gallia, & non in Thermis appelletur haec Ecclesia, cum omnes Romanarum Ecclesiarum Scriptores eam in Thermis dicant, aliam reperire non contigit caussam, quam concessionis Gallicae Nationi; quae postea una cum aliis Ecclesiis solo aequata, pro Templi erectione S Ludovici in ea elegantiori forma, qua hodie conspicitur, ut distincte referemus Cap. LV., dum nobis erit sermo de Ecclesia S. Benedicti in Thermis, tunc enim forsan veterem denominationem in Thermis reliquit, & sortita est in Gallia.

Prope hanc Ecclesiam extabat etiam Xenodochium sub invocatione S. Jacobi in Thermis, quod hodie inservit infirmis, ac peregrinis Gallicae Nationis. Antiqui Xenodochii S. Jacobi meminit Nardinus (*h*), aitque vocatum fuisse in Thermis, quia adhaerebat Thermis Neronianis, quarum antiqua rudera in aedibus Magni Ducis Etruriae e conspectu Palatii nobilissimae Romanae Gentis de Justinianis adhuc remanent. Ejusdem sensus est Ciampinus (*i*) circa hanc Ecclesiam S. Salvatoris, ac se vidisse testatur, Alexandro Papa hujus nominis

(f) *Fellini delle cose maravigl. di Roma pag.* 105. (g) *Martinell. Rom. sac. pag.* 300.
(h) *Nardin. Rom. ant. lib.* 6. *cap.* 5. *reg.* 9. (i) *Ciamp. de Vicecancell. pag.* 194.

minis VII. regnante, prope Ecclesiam hanc magnarum columnarum eruta fuisse fragmenta e lapide Insulae Ilvae, quae in locum duarum deficientium in Porticu Panthaeon subrogatae fuerunt.

Ex quo bis incendium fuerit passa haec Ecclesia, ut Pancirolus testatur (*k*), ex magnae molis in parvam praesentem formam redacta fuit, potiusque Sacellum, quam Ecclesia Sanctissimi Salvatoris nuncupatur, ad quam fit frequens populi concursus, praesertim quadragesimali tempore; cum artifices, senes, mulieres, inopes, seu quivis impeditus quominus insignes stationis Basilicas adire ob earum distantiam valeat, hanc sacram Aediculam in Urbis centro sitam, devote visitantes Thesaurum stationalium Indulgentiarum lucrifacere ex Apostolica antiqua traditione compertum sit. Quoniam vero, unica tantum janua existente, ingens numerus ingredientium, eodemque tempore egredi nitentium, sese invicem necessario magna vi propulsabat, & repellebat, non sine strepitu, ac tumultu, ex quo aliquando contentiones, aliaque indecora sequebantur, provide ideo aliud ostium ibidem confectum est, ut per unum pateat aditus ingredientibus, altero vero egredientibus sit ultro apertum, quae quidem janua fere haeret inferiori Ecclesiae parti, ubi est parvum Sacellum cum Altari marmoreo integre consecrato, & supra ipsum adest sculpta Imago Beatissimae Virginis de Gratiis nuncupata. In Ara maxima visitur Imago valde veneranda ipsius Sanctissimi Salvatoris: pendent undique tabellae votivae pro gratiis acceptis. Altare est totum marmoreum. In pariete a cornu Evangelii depicta est Imago S. Dionysii, ab alio latere est Imago S. Ludovici.

Est parieti infixa columna marmorea, ad quam ex antiqua traditione creditur fuisse alligatos quamplures Martyres, quamobrem devotionis caussa, Cappellam invisentes, eam devote tangunt, & osculantur.

CA-

(k) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 13. Chiesa 7.*

CAPUT LIII.

De Ecclesia S. Nicolai de Calcalariis, sive in Calcariis.

Errorem quidem in Urbani III. Bullam irrepsisse censemus, quem nec Ciampinus (*l*) adnotavit in suo de filialibus Ecclesiis hujus Basilicae tractatu. Denominatio enim de Calcalariis, quam huic Ecclesiae praefata Pontificis Constitutio attribuit, apud nullos ex Scriptoribus tum veteribus, tum recentioribus reperitur, sed ab ipsis Ecclesia S. Nicolai de Calcariis appellatur. In M. S. humanissime nobis a san. mem. Clementis XI. communicatis, aperta praedicti erroris documenta afferuntur, qui vel Amanuensis, vel Typographorum fortasse excidit incuria, ut alibi etiam pluries contigisse adnotavimus. Quoad hujusmodi nuncupationis de Calcariis originem diversimode Scriptores opinantur; alii namque ita hanc Ecclesiam denominari putant a verbo graeco *Chalkos*, quod latine aes significat; sita enim erat haec Ecclesia prope Cn. Octavii Consulis porticum, quam Consul ipse, insigni de Perseo (*m*) postremo Macedoniae Rege reportata victoria, inter Circum Flaminium, & Pompeji Theatrum excitavit, columnasque ad porticus fulcimentum elevatas aereis corinthiae structurae decoravit capitulis, quapropter corinthiam porticum Plinius appellat: (*n*) *Invenio & a Cn. Octavio, qui de Perseo Rege navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad Circum Flaminium, quae Corinthia sit appellata a capitulis aereis columnarum*. Ab aere itaque capitulorum praefati Scriptores locum illum in Calcariis dictum fuisse deducunt.

Hujusmodi tamen adjunctionem, utpote nimis longe petitam Nardinus (*o*), aliique Scriptores reiiciunt, solidiorique fundamento existimant denominationem huic Ecclesiae impositam a calcaria fornace, in quam comburendi lapides, ac in calcem dedu-

(l) *Ciampin. de Vicecancell. pag.* 183. (m) *Valer. Max. lib.* 2. (n) *Plin. histor. lib.* 34. *cap.* 3. (o) *Nardin. Rom. ant. lib.* 6. *cap.* 3. *reg.* 9.

deducendi conjiciuntur, eidem antiquitus conjuncta juxta testimonium Fulvii a Nardino relati asserentis id nomen a coquenda calce inditum.

In Urbani VIII. Visitationibus (*p*) reperimus hanc Ecclesiam S. Nicolai ad Calcarias olim fuisse nuncupatam, deinde vero ex aedium nobilis Familiae de Caesarinis propinquitate ad Caesarinos, prout hodie, appellatam. Est haec Ecclesia adhuc Parochialis, nostraeque obnoxia Basilicae, eique altera fuit Parochialis S. Valentini nostra pariter filialis vigore Brevis Clementis Papae VIII. de anno 1603. unita, ad cujus unionis memoriam servandam habentur adhuc in Ara maxima pro Icone SS. Nicolai, & Valentini Imagines. De prima hujus Ecclesiae fundatione Pancirolus (*q*), & alii nullam asserunt reperiri notitiam, sed tantummodo restauratam, ac pene denuo restitutam a pia Magni Pernei Anagnini liberalitate fuisse, his verbis tradit Martinellus: *(r) Templum S. Nicolai ad Caesarinos juxta Palatium Familiae de Caesarinis in Regione Pineae, alias dicitur in Calcaria in praesentem formam ab ejus Rectore Magno Perneo Anagnino redactam*. Haec autem Ecclesia est modo sub cura, & administratione Patrum de Somascha, qui ibidem morantur.

CAPUT LIV.

De Ecclesia S. Mariae de Monterone.

IN Regione Pineae sita est haec Ecclesia Parochialis adhuc, & Basilicae S. Laurentii in Damaso filialis: perantiquam ejus esse fundationem ex eo praecipue deprehendimus, ex quo de anno 1574, ut testatur Ciampinus *(s)*, esset subterranea, proindeque per septem palmos elevandam esse in Visitatione *(t)* praefato anno habita, fuerit demandatum. Ex Epigraphe pariter, quam idem refert Ciampinus usque a die Do-

(p) *Cod. Visit. Urb. VIII. sub die 3. Apr. 1628. pag. 278.* (q) *Pancir. Tes. nasc. Rione 13. Chiesa 15.* (r) *Martinell. Rom. sac. pag. 261.* (s) *Ciampin. de Vicecancel. pag. 178.* (t) *Cod. Visit. Card. Vicarii ad ann. 1574.*

Dominico Passionis anni 1051. ejusdem Ecclesiae habita colligitur consecratio.

Prope Aram maximam item de anno 1241. restauratam, & anno 1352. ob alteram instaurationem sacris denuo initiatam, & tandem anno 1592. in elegantiorem, novissimamque formam legitur fuisse redactam. Quoad denominationem in Monterone, ita appellatam esse tradit Pancirolus (u), ex quo a nobili Senensi Familia de Monterone fundata sit, quod etiam Petrus Martyr Fellini confirmat (x). Alii putant ita nuncupatam, utpote apud aedes dictae Familae constructam. Unicam habet interiorem Porticum, quam navim appellant, & tria Altaria, quorum majus in abside, & sub fornice positum pro Icone Sanctissimae Virginis praefert Imaginem, cujus gloriosissima in Caelum assumptio praecipua est hujus Ecclesiae festivitas. Quam denique Ecclesiam ad praesens Patres Reformati Ordinis S. Mariae de Mercede administrant.

CAPUT LV.

De Ecclesia S. Benedicti de Thermis.

NOvo Templi, Domus, ac Xenodochii S. Ludovici Gallorum excitando aedificio haec cessit Ecclesia, tunc enim solo remansit aequata. Nuncupabatur olim de Thermis, cum apud Neronis, & Alexandri Thermas extructa fuerit, hodie vero in S. Eustachii Regione adnumeratur. Dum de Ecclesia S. Salvatoris de Gallia supra nobis sermo fuit, eam quoque de Thermis vocatam, Nationique Gallicae concessam fuisse adnotavimus; situs enim quem non Templum tantummodo, verum etiam eximia domus, & statio pro hujus Nationis Presbyteris eidem Templo praestanti numero ministrantibus complectuntur, utpote in vasto se extendens circuitu ex plurimarum aedium, Ecclesiarumque S. Mariae de Cellis, &

(u) *Pancir. Tesor. nasc. Rion. 13. Chiesa 19.* (x) *Fellini delle cose maravigl. di Rom. p. 135.*

& S. Dionysii demolitione est comparatus, prout his verbis memorat Martinellus: *(y) Templum S. Ludovici, olim S. Mariae de Cellis a Sede Apostolica Gallis concessum cum proximis Templis S. Benedicti, & S. Dionysii solo aequatis, & S. Salvatoris sub Gregorio XIII.*

Ex quo autem tempore Gallica Natio aliquod Templum Romae obtinuerit, etsi nullus Auctorum certo tradat haud tamen recens videtur eorum Confraternitatis origo; satis etenim superque omnibus innotescit quanta semper haec Natio Sanctae Romanae Ecclesiae cultrix pietate floruerit, quantaque Galliae Reges erga Pontifices contulerint beneficae devotionis obsequia, cum tutior Petri Naviculae Portus nusquam fuerit, quam in Galliae sinu, quoties crebrescentibus schismatum, & hostilium incursionum tempestatibus jactaretur. Hoc fortasse contigisse putat Pancirolus, aut cum anno 740. S. Pontifex Gregorius III. legatione missa ad Carolum Martellum Francorum Principem, ejus adversus Luitprandum Longobardorum Regem Romanae Urbis moenia obsidione praementem, nec non adversus Leonem Isaurum Imagines sacras, ubique profligantem auxilium imploravit, ut in ejusdem Pontificis Epistola, qua ipsum Carolum bis Christianissimum filium denominat: sive cum anno 800. Carolus Magnus de Romana Ecclesia optime meritus a Pontifice Leone III. die Natali Domini feria sexta in Basilica S Petri toto acclamante Senatu, Populoque, Romanorum Imperator fuit coronatus, receptaque ab eodem Pontifice sacri Olei unctione, se ad Romanae Ecclesiae defensionem juramento adstrinxit. Id tamen pro certo habemus, quod nempe Gallica Natio Romae apud Turrim Argentinam sub titulo S. Ludovici Galliarum Regis Ecclesiam habuerit, & Xenodochium; Camillus enim Fanuccius (z) supra ejusdem parvae Ecclesiae exteriorem januam praefati S. Regis Imaginem, Coronam, & Regni Galliarum Insignia se vidisse testatur.

De anno 1478. Sixto IV. approbante permutata fuit haec parva Ecclesia cum situ nunc ab hac Natione ad Thermas Neronis

(y) *Martinell. Rom. sac. pag. 167.* (z) *Fanucci dell' opere pie di Roma lib. 4. cap. 8.*

ronis possesso, cujus olim dominium ad Farfense Monasterium spectabat. A praefato insuper Sixto IV., sicut & a Julio III. aliae adjunctae fuerunt Ecclesiae, quibus suppressis huic S. Ludovici Animarum cura delata est, quae omnia Pancirolus, Martinellus, & Camillus Fanuccius testantur, idque ab Urbani VIII. Visitationibus excepimus (*a*).

Ex piis potissimum legatis tantum opus perfectum est, quae inter legata illud praecipue magni momenti fuit Catharinae Medices Galliarum Reginae, cujus sequens illustris memoria hoc in Templo, marmori tradita, apposita est:

Catharina Regina Franciae Henrici II. Uxor, Francisci II., Caroli IX., Henrici III. Regum Christianiss. Mater. Huic Templo, ejusque Hospitali vicinas omnes a dextra Domos, areas, & officinas, quae suo Palatio adjacentes Insulam efficiunt, donavit, trium Missarum in perpetuum celebrandarum onere Rectoribus imposito, hoc ordine Anniversaria una solemniter fiat sexto idus Quintilis, quo die ejus Henricus obierat, deinde ut quotidianae privatim duae, una pro sua, & Henrici filii quamdiu viverent, ac deinceps successorum incolumitate, altera pro Animae suae salute post excessum e Corpore, eaque donatio extat in publicis monumentis.

Cardinalis etiam Matthaeus Contarellus quamplurimum hujus Templi ornatui ingentibus sumtibus contulit; aedificato siquidem in honorem S. Matthaei Sacello, plures quoque pecuniarum summas ad totius Ecclesiae complendum aedificium est elargitus, tunc maxime cum Gregorii XIII. Datarii munus expleret, a quo postea Pontifice sub anno 1583. Cardinalitia Purpura, & titulo S. Stephani Rotundi in Monte Caelio donatus, supremis testamentariis tabulis eidem Ecclesiae tantum aeris legavit, ut ex eo non modice ornata, sacris initiari potuerit die 8. Octobris anno 1585., qua etiam die quotannis ejusdem Consecrationis anniversaria solemnitas celebratur.

Tres habet Ecclesia naves, ad quas per totidem ostia in frontispicio posita aperitur ingressus. Ara maxima in abside sub

 for-

(a) *Cod. Visit. Urban. VIII. sub die 16. Novemb. 1626. fol. 227.*

fornice concamerato elevatur sedilibus in amplo Presbyterio undequaque dispositis circumsepta, ac insignibus Galliarum Regum ubique praefulgens. B. Virgini in Caelum assumptae, ac Sanctis Dionysio, & Ludovico est dicata, proindeque tres elegantissima forma depictas habet Icones. Decem insuper sub lateralibus navibus fornicatis assurgunt Cappellae, in quibus ornatissima Bassani, Caravagii, Josephi Arpinatis, Guidonis Rheni, Dominici Zamperii, ac Julii Romani illustrium Pictorum opera conspiciuntur. Parochialis est haec Ecclesia, fontemque habet baptismalem, nec non Presbyterorum Nationalium Collegium, qui in amplissima Domo, ad instar Palatii recenter extructa, una cum aliis ejusdem Nationis Sacerdotibus diversantur.

Cum autem mos nobis fuerit in praemissarum filialium descriptione aliqua etiam de earum titulari Sancto referre, praeterire proinde nequimus de S Ludovico hic aliquid pariter attingere. A primaeva aetate se divino cultui totum addixit, ac annum vitae agens vigesimum Saracenis bellum indixit, & licet luctuosissima suorum passa Clade, ipse etiam una cum militum quampluribus in hostium manus devenerit; obses ipse, ut omnes a captivitate liberarentur, tamdiu subsistere voluit, donec comparata pecunia pro redemptione mitteretur. Iterum vero expeditionem sacram suscipiens exitioso vulgatae pestis morbo aggressus, anno 1270. summa cumulatus gloria obdormivit in Domino, quem exinde anno 1297. Bonifacius VIII. ob miraculorum praestantiam tertio idus Augusti apud Urbem veterem in SS. Confessorum numerum retulit. Hic Sanctus inter Galliarum ejusdem nominis Reges nonus est numerandus, & non quintus, prout perperam alicubi Typographorum fortasse errore describitur: in Regum vero Francorum numero quadragesimus tertius.

CA-

CAPUT LVI.

De Ecclesia S. Nicolai de Domo Cincii de Gregorio.

PUtat Ciampinus (*b*) in suo tractatu de Vicecancellario, cum de filialibus Ecclesiis nostrae Basilicae differit, hanc S. Nicolai a Domo Cincii de Gregorio illam esse, quae hodie S. Helenae Credentiariorum nuncupatur, & olim S. Nicolai de Molinis appellabatur. Verum ab hac sententia recedendum esse arbitramur, agendo enim Cap. XLVII. de Ecclesia S. Nicolai de Molinis errorem, qui in scribenda, vel typis mandanda Urbani III. Bulla irrepsit, ostendimus, quod scilicet de Mellinis pro de Molinis positum fuerit. Inquirendo proinde quaenam alia haec fuerit Ecclesia sic ut supra denominata, reperimus in antiquis Laurentiani Archivi notis, nec non in M. S. a san. mem. Clemente XI. nobis communicatis, apud Templum S. Mariae ad Martyres fuisse Ecclesiam nuncupatam S. Nicolai de Picino, alias de Cerasa, quae ex quodam visitationum Codice, ut superius enunciata M. S. referunt, diruta apparet, ac Ecclesiae S. Benedicti in Platea Lombarda, de qua supra, unita legitur. Attento itaque ordine, quem pluries servatum esse notavimus enumerandi in Bulla Urbani *III.* Ecclesias filiales, juxta propinquitatem unius ad alteram, sufficienti auctoritate, ac ratione convincitur praefatam S. Nicolai tunc de Cerasa dictam eamdem esse Ecclesiam, de qua nobis modo sermo est, & de qua repirimus apud Martinellum (*c*) mentionem factam in taxa Leonis X., descriptionem quoque in Regione de Columna, ejusque demolitionem pro ornamento, & decore Urbis jussu Pauli III., ut in ejus motu proprio, dat. 5. Kal. Junii Pontificatus anno XII.

(b) *Ciampin. de Vicecancell. pag.* 183, & 184. (c) *Martinell. Rom. sac. pag.* 298, 378, & 383.

CAPUT LVII.

De Ecclesia S. Martini a Domo Judicis Mardois.

HUjus Ecclesiae, quae in Bulla Urbani III. a Domo Judicis Mardois denominatur memoria penitus exolevit. Jam enim longo temporum intervallo pervetustum amisit titulum, coepitque Sanctissimae Trinitatis Monialium nuncupari ex Monasterio eidem adjuncto sub Regula Tertii Ordinis S. Francisci, ut vocant *Bizoccarum*, quae clausurae legibus non adstringuntur.

Ciampinus, & M.S. ubi de hac Ecclesia agunt, tunc ipsam a Laurentianae Basilicae filiatione exemptam, atque divulsam fuisse ferunt cum praefatis Monialibus concessa fuit. Parum ab Ecclesia S. Nicolai de Molinis distat, eamque ut testatur Camillus Fanuccius (*d*) de anno 1440. Societas Barbitonsorum obtinuit, quam utpote SS. Cosmae, & Damiani patrocinio institutam, mutato Sanctissimae Trinitatis titulo, quo sub Monialibus prius distinguebatur, eorumdem Sanctorum nuncupatione donavit.

Praeallegatus Fanuccius hanc statuit Ecclesiam in Regione S. Eustachii post Turrim Argentinam, affirmatque olim Monialium Coenobium extitisse. Martinellus *(e)* etiam idem scribit, additque in Vico DD. de Filonardis erectam olim Sanctissimae Trinitatis Monialium fuisse, nunc SS. Cosmae, & Damiani Societatis Barbitonsorum Urbis. Idem constat ex Visitationibus Urbani VIII., ubi insuper habetur Ecclesiam hanc, olim sub titulo Sanctissimae Trinitatis, fuisse Parochialem. Unicam habet navim, ac tribus exornatur Altaribus, quorum majus situm est in abside sub fornice concamerato. Pro Icone Deiparae Virginis in Caelum assumptae, & dictorum Sanctorum habet Imagines. CA-

(d) *Fanucci dell' opere pie di Roma lib. 4. cap. 23.* (e) *Martinell. Roma sacra pag. 93, & pag. 402.*

CAPUT LVIII.

De Ecclesia S. Andreae a Domo Fortis Boliae.

QUacumque a nobis habita investigatione ad aliquam hujus Ecclesiae capessendam notitiam, in Urbani III. Bulla S. Andreae a Domo Fortis Boliae nuncupatae, votorum metam attingere datum non fuit; apud nullum etenim antiquarum Urbis Ecclesiarum Scriptorem ejusdem memoriam contigit invenire. Quamobrem hic Ciampini solummodo referemus sensum, cui M. S. etiam a san. mem. Clemente XI. tradita adstipulantur. Putat itaque demolitam, & profanatam fuisse hanc Ecclesiam ob constructionem Templi, & aedium S. Ludovici Gallorum, ex eo potissimum, quod ex Cardinalis Vicarii Visitationibus compertum sit eidem S. Ludovici Ecclesiae tres alias, nempe S. Benedicti in Platea Lombarda, S. Nicolai della Cerasa, & S. Andreae de Foremontis, alias etiam nuncupatam de Sordinolis, unitas fuisse; & sicuti priores duo Ecclesiae S. Benedicti scilicet, & S. Nicolai erant, ut in praecedentibus capitibus demonstravimus, filiales Basilicae S Laurentii in Damaso, ita & praesentem S. Andreae ex propinquitate argui potest fuisse filialem. Accedit adhuc & conjectura ex nomenclatura observata a Ciampino (f) vocis videlicet Foremontis, quae in praefato Visitationum Codice difficilis lectu est, & quamdam videtur habere affinitatem, & similitudinem cum denominatione a Domo forti, seu forti Domo, seu Monte. Cujus ponderis sit haec observatio, lectoris judicio perspiciendum subjicimus, cum nos tantummodo relata, & ab aliis scripta referamus.

CA-

(f) *Ciampin. de Vicecancell. pag.* 158.

CAPUT LIX.

De Ecclesia S. Salvatoris de Primicerio.

SIc nuncupatam Ecclesiam hanc putat Martinellus (*g*) ab aliquo in Primicerii dignitate constituto, qui eam condiderit; ejusdem opinionis est Petrus Martyr Fellinus (*h*); alii sic dictam credunt, quod antiquitus dependentiam haberet a Primicerio sacrosanctae Lateranensis Basilicae, cujus insignia olim gestabat in fronte, ut ex Codice Visitationum Alexandri Papae VII. apparet (*i*). Hoc Primicerii nomen aliqui ortum putant a Primicerio, idest primo Notariorum, quod nomen antiquitus Notariis tribuebatur, sic appellatis a cera, cum in ceratis tabulis esset olim scribendi usus; sic & Secundicerius, seu melius Secundocerius, secundus Notariorum, cujus sententiae fuit Alciatus, & Molanus in notis ad Usuardum (*k*). Alii opinantur Primicerium non esse compositum nomen, nec aliud in eo notandum, quam *Primus*, reliquumque extensionis loco sit additum. Nam in quocumque gradu, ordine, & dignitate quis positus sit, & primariam Sedem, vel primum locum obtineat, hic Primicerius vocatur, qui vero secundum locum occupat, secundocerius, similiter tertiocerius, & sic de aliis per plures numeros, ita ut additamentum illius verbi Cerius sit veluti complementum primi, secundi, tertii, ut in lingua Hispanica *Primero* loco primi. Id quidem exprimit S. Gregorius in inscriptione Epistolae (*l*), cui praefigit titulum privilegiorum Primicerii Defensoris, agens in Epistola de promotione in priorem locum ejusdem muneris. Item S. Augustinus, & S Fulgentius (*m*) eadem ratione ducti vocant S. Stephanum Primicerium Martyrum, hoc est primum Martyrum: similiter & inter Notarios Princeps erat, ut diximus, Primicerius Notariorum, nempe qui post eme-

(g) *Martinell. Rom. sac. pag.* 300. (h) *Fellini delle cose maravigl. di Roma pag.* 109. (i) *Cod. Visit. Alex. VII. tom.* 2. *pag.* 12. (k) *Alciat. in annot. in tres poster. lib. Cod. lib.* 12. *tom.* 2. *Molan. in not. ad Usuard. sub die* 19. *Maii*. (l) *S. Gregor. lib.* 7. *Epist.* 17. (m) *S. Augustin.*, & *S. Fulgent. in serm. de S. Steph.*

emeritam justitiam in eo ordine digne, & cum laude administratam ad Primiceriatus dignitatem evehebatur, ac inter Senatores adnumerabatur, ut apud Cassiodorum diffuse videri potest, qui etiam refert formam Notariorum, cum qua officium hoc ab Imperatoribus alicui deferebatur, ubi haec leguntur: *Sed (n) quoniam te probatis moribus Institutum venatrix, bonae conversationis sollicitudo nostra respexit; ab illa indictione Notarium te nostrum esse censemus, ut ordine decurso Militiae ad Primiceriatus feliciter pervenias summitatem; bonor, qui efficit Senatorem, cui Patrum aula referatur*. Praeter quamplures diversi ordinis Primicerios ab Auctoribus relatis enumeratos, notati alii etiam videri possunt in vetusto illo monumento notitiae Provinciarum Romani Imperii, ubi sub officio Comitis sacrarum largitionum, hi Magistratus positi relati veniunt.

Inter primos etiam Romanae Curiae Magistratus, cum ista coepit Ecclesiastica, & Sancta Sedes esse, ob inibi degentem Christi Domini Vicarium, recensiti sunt Primicerius, & Secundocerius, qui continuo in omnibus sacris assistebant Pontificiis functionibus, quorum vices nunc gerunt Diaconi Cardinales. Ad Primicerium, & Secundocerium, sic testatur Pancirolus (*o*) Palatii caussas judicare attinebat, & in processionibus, assistentis Pontificis unus ad dexteram, alter ad sinistram, latus tegebant. Dignitatem etiam Consiliarii Pontificis isti duo tuebantur, quibus inauditis, nihil fere Pontifex ipse statueret. In festorum dierum matutinis solemniter celebratis assistente, nec non praesente Summo Pontifice, octavam unus eorum lectionem, & nonam Episcopus legebat.

Praeter istam Romae conditam in Regione Pontis, alia etiam reperiebatur, ait Pancirolus *(p)*, nuncupata S. Mariae de Secundocerio, ad quam Gelasius Papa II. defensionis caussa sese recepit, ob contra ipsum excitatum tumultum ab iis, qui factionem Henrici IV. sequebantur. Diverso attamen nomine alii nun-

(n) *Cassiodor. variar. lib. 6. form. 16.* (o) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 6. Chiesa 4.*
(p) *Pancirol. ibidem.*

nuncupant Templum, ubi praefatus tumultus adversus Gelasium accidit; nonnullique putant esse Monasterium ad Palladium, seu in Pallaria corrupto vocabulo, cujus nobis fuit sermo agendo de Ecclesia S. Sebastiani in Via Papae. Autumat idem Auctor hanc S. Salvatoris ab aliquo Primicerio fuisse fundatam, ut & a Secundocerio illam Deiparae Ecclesiam mox allegatae; sed nullus recens, vel priscus Ecclesiarum Urbis Scriptor certiores nos reddit de tempore fundationis, & erectionis hujus filialis S. Lau rentii in Damaso Ecclesiae; ex quampluribus vero indiciis pervetustam esse liquet. Ex inscriptione siquidem in marmore incisa, & parieti laterali a cornu Epistolae infixa apparet fuisse a Leone Episcopo Hostiensi anno Domini 1113., Pontificatus Paschalis II. 14. sacris initiatam, & sub Ara maxima tunc repositae sunt nunnullae Sanctorum Reliquiae insignes, versibus rithmicis descriptae. Est simplicis structurae, unicam tantum porticum interiorem, quam ajunt navem continet, superior ejus contignatio satis vetusta, & rudis est, ac in ea triâ adsunt solummodo Altaria; haec igitur Parochialis Ecclesia, cujus erectionis, ac fundationis memoria nulla superest, amplos redditus olim habebat, exinde tamen diminutos, & praesertim tempore Gregorii Papae XIII., qui ad supplicationem Alexandri Cardinalis Farnesii tunc Vicecancellarii, ac Laurentianae Basilicae titularis, ex redditibus hujus Ecclesiae summam scutorum 133. separavit, & Collegio Beneficiatorum S. Laurentii in Damaso applicavit. Alia pariter diminutio reddituum ad summam scutorum 75. facta est anno 1639. ab Urbano VIII., & applicata eisdem Beneficiatis. Adhuc in filiatione dictae Basilicae persistit, eique dependentiam, ac obedientiam exhibet.

CA-

CAPUT LX.

De Ecclesia S. Simeonis.

ANtiquum titulum adhuc servat haec Ecclesia, estque Parochialis, sita in Regione Pontis. Ipsa olim Cardinalitio titulo decorata fuit; uti affirmat Pancirolus (q), a Sixto V. tamen eodem fuit spoliata, quoniam ad deteriorem statum redacta erat, & fere inter alia aedificia sepulta. Porro anno 1610. fuit prorsus renovata a Cardinali Hyeronimo Lancellotti, qui etiam Altaria restituit. Verum enim vero laude dignissimum censeri debet ab hoc Purpurato susceptum opus S. Simeonis Ecclesiam asservandi gratia, quae unica est Romae dicata felicissimo illi Sancto (r), qui in ulnis suis puerum Jesum suscepit, pronomine Senis, ad discrimen aliorum septem, Simeonis nomine, Sanctorum.

Apud nullum etiam Auctorem ex his, qui Ecclesiarum obsoletarum Urbis meminerunt, reperimus eidem Sancto Seni aliquando aliam, praeter hanc, fuisse unquam dicatam Ecclesiam. Natalem hujus Sancti octavo idus Octobris consignant Usuardus (s), Ado, Beda, Baronius, coeterique Latinorum. Graeci autem tertio nonas Februarii, ut constat ex eorum Menologio, atque ex Constitutione Emanuelis Imperatoris apud Theodorum Balsamonem (t). In hac tamen Ecclesia dies Purificationis Beatae Mariae Virginis, pro primaria festivitate celebratur.

(q) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 6. Chiesa 6.* (r) *Martyrol. Rom. die 8. Octobris.* (s) *Usuard. & alii sub die 8. Octob.* (t) *Theodorus in Nomoc. Photii tit. 7. cap. 1.*

CAPUT LXI.

De Ecclesia S. Sylvestri de Posterulis.

Ecclesiae hujus denominatio, ac situs in Regione Pontis nec non cum praecedenti proximitas [ordo, ut pluries dictum est, servatus in enumerandis filialibus Ecclesiis S. Laurentii in Damaso], induxerunt Ciampinum (*u*), Auctoresque manuscriptorum, quibus dirigimur in elecubranda earumdem Ecclesiarum S. Laurentii in Damaso filialium narratione, ut afferent hanc, alias S. Sylvestri dictam, eamdem esse, quae nunc S. Mariae de Posterula nuncupatur, vulgo *dell' Orso*, quaeque parum distat a via Veredorum sub Ursi tessera. Imaginem B. Virginis super Altare majus veneratam testatur Pancirolus (*x*) prius fuisse super parietem domus Ecclesiae Rectoris; atque anno 1573., ex quo Caecum illuminavit, eique plures in dies oblationes fierent, ad hanc Ecclesiam fuisse translatam; permutato tunc titulo S. Sylvestri. Nec facessere negocium debet hanc Ecclesiam nunc esse filialem S. Laurentii in Lucina, quia, ut notavimus, multae aliae Ecclesiae translatae sunt ab una Matrice ad aliam, cum longo temporis ambitu res fere omnes immutentur. Denominationem de Posterulis, ait Fellinus (*y*), derivatam ab aliquo ex quadam Familia Mediolanensi, ita appellata, qui hanc Ecclesiam condiderit. Hujus etiam Ecclesiae meminit Martinellus, cujus en verba: (*z*) *Templum S. Mariae Ursi olim in Posterula ad Ripam Tyberis in Regione Pontis proximum hospitio ad signum Ursi, qui huic vico dat nomen, est Parochiale, & paucis ab hinc annis traditum Curae Monachorum Caelestinorum, estque ibi Imago B. V. M., quae anno 1573. Caecum illuminavit.*

CA-

(u) *Ciamp. de Vicecancell. pag. 199.* (x) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 6. Chiesa 5.*
(y) *Fellini delle cose maravigl. di Rom. pag. 109.* (z) *Martinell. Rom. sac. pag. 251.*

CAPUT LXII.

De Ecclesia S. Salvatoris de Lauro.

ETsi Martinellus, Pancirolus, Gaspar Alvarus, aliique asserant a fundamentis Ecclesiam S. Salvatoris de Lauro, vel in Lauro erectam fuisse a Cardinali Latino Ursino anno 1449., nos tamen cum Ciampino auctoritati Manuscriptorum a recolendae semper memoriae Clemente Papa XI. nobis concessorum, aliorumque Laurentiani Archivi, innitentes, credimus, ac certo tenemus ipsa sua vetustate labentem, ab eodem Cardinali Latino Ursino penitus dirutam, & solo aequatam, in elegantiorem formam fuisse denuo excitatam, ut pluribus aliis Ecclesiis contigit; inde est quod allegati Scriptores non procul a veritate abierunt asserendo, Ecclesiam a praefato Cardinali Ursino fundatam, & conditam fuisse, utpote ab illo, prout diximus, denuo reaedificatam. Id confirmat situs ejus proximus caeteris Ecclesiis ab Urbano III. designatis; in exaratione enim Bullae Pontificis ejusdem, ut pluries observavimus, talis ordo est habitus, ut ex propinquitate ad alteram Basilicae S Laurentii in Damaso filialem aliam argueremus: quin & dedicata Ecclesia haec Sanctissimo Salvatori propriam probat antiquitem; quippe quia ut notavimus, agendo de Ecclesia S. Salvatoris de Unda, a primis Ecclesiae saeculis in honorem Salvatoris potissimum Ecclesias consecrare mos erat. Quamobrem etiamsi praedictus Cardinalis hanc fundaverit Ecclesiam, ut citati moderni Auctores scribunt, videtur nihilominus id praestitisse in eodem omnino situ, atque sub eodem titulo, & denominatione Ecclesiae relatae in Urbani III. Bulla anno 1185, quae erat filialis S. Laurentii in Damaso, Sanctique Salvatoris de Lauro pariter nuncupata. Idem Latinus Cardinalis Ursinus, cum non solum Ecclesiam, verum etiam ipsi adjacens Monasterium erexisset, ad ministeria sacra obeunda huc perduxit Canonicos S. Geor-

Ddd 2 gii

gii in Alga prope Venetias, quorum institutum exordium habuit anno 1404. a duobus nobilibus Venetis Antonio scilicet Cornario, qui a Gregorio XII. ad Cardinalatum fuit postea evectus, & Gabriele Condulmerio, qui Purpura ab eodem Gregorio decoratus, ad Apicem exinde Summi Pontificatus pervenit anno 1431, & nomen sibi imposuit Eugenii IV.: magnus plane Vir, semperque sibi aequalis, juxta graviorum Historicorum sententiam.

Praedicti autem Canonici nomen S. Georgii in Alga sortiti sunt, quia existente in ea Insula Fratrum Eremitarum Monasterio, in quo regularis disciplina ob Religiosorum paucitatem trium numerum non excedentium servari neutiquam poterat, praefati duo nobiles Veneti illud sibi compararunt, ibique quamplurimos Viros, pietate, ac doctrina praestantes congregarunt, quos inter, ut fulgidum coruscavit sydus Beatus Laurentius Justinianus, qui exinde ad Episcopalem tunc Venetiarum regendam Ecclesiam invitus eductus, Gradi non multo post translato Patriarchatu, ipse primus Venetiarum Patriarcha fuit renunciatus. In eo Monasterio uti Canonici saeculares ad annum usque 1570. convixerunt, tunc enim a S Pio V. ad Regulam, Constitutionemque S. Augustini servandam fuerunt adstricti. A praemisso itaque Monasterio in Alga ad istud Cardinalis Latini Ursini sumtibus erectum nonnulli ex praedictis Canonicis convenerunt ab ipso Cardinali accersiti, in eoque usque ad Clementis IX. aevum perseverarunt, quando, cum hujusmodi Religio ab instituta pietate deficeret, a praelaudato Pontifice suppressa fuit, datisque die 6. Decembris 1698. literis Ecclesia una cum Monasterio Picenae fuit concessa Nationi, quae nunc amplissimam aedem in Collegium Alumnorum usui accommodatum convertit, ad quod ex Picena Provincia moralibus virtutibus, ac scientiis erudiendi quamplures conveniunt Adolescentes. Sixtus insuper Papa V. Cardinalitio titulo hanc decoravit Ecclesiam.

Superest modo inquirendum quare haec Ecclesia in Lauro, seu de

de Lauro ſit nuncupata. Quamplura olim habuerunt Romani intra Urbem parva nemora, tum ad publicam oble&ationem, tum etiam ut inter ipſius Urbis moenia Sylveſtres Dii colerentur, quae Luci appellabantur, de quibus ita Roſinus: (*a*) *Et Luci conſecrabantur, qui nomen habens a lucendo, vel quod minime luceant propter arborum umbras opacas, vel potius quod Sacrificiorum luminibus, quae ibi per noctem haberi ſolebant, quaquaverſus lucerent. Hos licebat interdum conlucere, hoc eſt ſuccidere, & ſucciſſis arboribus luce implere Sacrificio prius facto.* Hujuſmodi Sacrificii formulam Cato de re ruſtica praebet.

Meminit etiam Plinius (*b*), quamplures hujuſmodi ſylvas in Urbis collibus extitiſſe, & paſſim a Romanarum antiquitatum Scriptoribus traditur; quod autem in loco ubi praefata S. Salvatoris de Lauro aſſurgit Eccleſia, vel penes ipſum aliquis adfuerit Lucus apud neminem contigit reperire, quapropter probabiliter cum Pancirolo (*c*) cenſemus hoc de Lauro pronomen ortum duxiſſe ab aliquibus viis de Lauro dictis, ex quibuſdam Idolis Lares nuncupatis, quod etiam affirmat Roſinus, cujus en verba: (*d*) *Arnobius ſcribit Lares Vicorum, atque Itinerum Deos eſſe, ex eo quod Graeci Vicos cognominant Lauros.*

CAPUT LXIII.

De Eccleſia S. Salvatoris in Verſis.

IN aliarum quamvis filialium Eccleſiarum diſquiſitione, ad certam earumdem aſſequendam notitiam, multa quidem difficultas occurrerit, in hujus tamen Eccleſiae deſignanda notione plurimum fuit adlaborandum, cum apud Auctores, qui de veteribus Romanis Eccleſiis, aut ob alios profanatis uſus, aut in alium titulum, vel denominationem mutatis tractarunt, nulla ejuſdem reperiatur memoria. In eumdem ſcopulum ſe incidiſſe

(a) *Roſinus antiquit. Rom. lib. 2. cap. 2.* (b) *Plinius lib. 17. cap. 28.* (c) *Pancir. Teſori naſcoſti Rione 6. Chieſa 7.* (d) *Roſinus antiquit. Rom. lib. 2. cap. 14.*

cidisse testatur Ciampinus, dum de hac eadem agit Ecclesia; inquiens: (*e*) *S. Salvatoris in Versis, non ex situ, nec ex nominis affinitate apud Cencium Camerarium, qui Synchronus cum Urbano III. fuit in illius rituali, ubi diversae Urbis Ecclesiae tunc extantes recensentur, nec apud ullum alium Auctorem supramemoratum, Ecclesiam ubinam fuerit reperire potui, quare spe destitutus hanc Provinciam aliis indicandam relinquo.* Nos autem quaenam haec esset Ecclesia invenisse opinamur; illa enim, quae nunc S. Salvatoris de Cuppellis, seu Coppellis nuncupatur, ex Visitationum Apostolicarum antiquo Codice apud Eminentissimi Urbis Cardinalis Vicarii a secretis asservato, in Visitatione habita anno 1574. asseritur denominata S. Salvatoris de Pietate in Regione Campi Martii, atque filialis S. Laurentii in Damaso: haec autem Ecclesia cum non sit illa, de qua Cap. LVIII egimus, ut erronee crediderat Ciampinus, cumque nulla alia Ecclesia inter S. Laurentii in Damaso filiales numeretur, quae ex situ, & denominatione alteri in Urbani III. Bulla memoratae magis possit congruere, ideo veritati proximum arbitramur Ecclesiam S. Salvatoris in Versis credi eam, quae olim de Pietate, nunc vero de Cuppellis denominatur, cui etiam adstipulantur animadversioni M.S. a san. mem. Clementis XI. nobis communicata; Chronologica tamen in hujusmodi assertione statim sese offert difficultas, cum enim a Pancirolo, (*f*) & Martinello asseratur hanc Ecclesiam anno 1195. fuisse aedificatam, & a Caelestino III., adjecta Animarum cura, Sanctissimo Salvatori dicatam, sacrisque initiatam, cumque nostra Urbani III. Bulla de anno 1185. aedita fuerit, hinc est quod in praefata Urbani Constitutione haec Ecclesia, utpote post annos decem condita, nullatenus comprehendi posse videatur. Verum hujusmodi objectum facile diluitur, si error animadvertatur, quem apud veteres praesertim passim irrepsisse compertum est, tribuendi scilicet fundatoris nomen illi, qui aedificia aeque sacra, ac profana jam erecta vel auxerunt, vel instau-

(e) *Ciampin. de Viceccancell. pag.* 197. (f) *Pancir. Tesori nascosti Rione* 4. *Chiesa* 20. *Martinell. Roma sacra pag.* 398.

ſtaurarunt. Non diſſimili aequivoco deceptos eſſe opinamur Scriptores praefatae Eccleſiae aedificationem tribuentes Caeleſtino III., qui eam fortaſſe vel auxit ſolum, vel reaedificavit. Secus enim cum in ſupracitatis Viſitationibus hanc Eccleſiam S. Laurentii in Damaſo filialem eſſe aſſeratur, opus foret, ut aut ab ipſo Caeleſtino III., aut ab alio ejus Succeſſore Matricis Jus, & Auctoritas huic Eccleſiae fuiſſet conceſſa; & tamen nulla penitus de hac conceſſione habetur memoria, quae utpote de ſingulari facto prorſus fuiſſet ſervanda: e contra autem conſtat filiales omnes Eccleſias S. Laurentii a ſuo fundatore S. Damaſo, vel ab aliis ejuſdem Succeſſoribus fuiſſe conceſſas; quinimmo poſt ipſum Urbanum III. a dicta Baſilica quamplures filiales ſegregatae potius, quam unitae reperiuntur. Ut vero clarius pateat hanc Eccleſiam S. Salvatoris de Pietate Caeleſtini III. aevum longe proceſſiſſe, ſequentem aſſerimus Epigraphem, quae ut narrat Gruterus (g) olim in hac extabat Eccleſia, cum Conſules ibidem deſcripti anno 348. a Chriſti nativitate floruerint; ex qua evidenter remota ejus deducitur antiquitas, cujus nullum ſupereſt veſtigium praeter Salvatoris nomen, quod & longiorem redolet vetuſtatem, ut pluries notavimus. Inſcriptio hujuſmodi eſt.

Felix juxta Viri, felicior exitus ipſe
Catani creſcat ſemper per ſaecula nomen.
Neſcit fama mori, ſed ſemper vivit ubique,
Advenit hoſpes, Princeps Romanus ad Urbem,
Qui fuit hic primum Juris Conſultus Amicus
Quieſcit in pace depoſitum quarto nonas Auguſti
Flavio Philippo, & Flavio Sallea Conſulibus
Pater Servatius fecit.

CA-

(g) *Gruter. pag.* 1162. *n.* 8.

CAPUT LXIV.

De Ecclesia S. Mariae in Monticello.

NUmeratur haec Ecclesia inter illas, quae in filiatione, ac dependentia Laurentianae Basilicae adhuc perseverant. Determinatum illius fundationis tempus reperire non licuit, cum ejusdem nullus Auctor meminerit. Pancirolus, (*h*) & Martinellus ipsam satis vetustam esse opinantur. Anastasius Bibliothecarius, Baronius, Ciacconius, & Platina (*i*) bis a duobus Summis Pontificibus fuisse consecratam asserunt; a Paschali scilicet II, secundo sui Pontificatus anno; deinde vero ab Innocentio pariter II., qui ipsam die 6. Maii 1143. dedicavit, ut ex lapide hac in Ecclesia locato clare colligitur. Equidem vero simillimum est utrumque Pontificem restaurationis occasione eam consecrasse. Ecclesiae non jecisse fundamenta Paschalem II., qui primum ipsam consecravit, neque ejus tempore fuisse constructam, sed multo esse antiquiorem probat pretiosus thesaurus, quo haec ditatur Ecclesia, Corporum scilicet quinque Sanctorum Civium Panormi, quos ibi condidit Urbanus II anno 1098. Quia vero in hac Ecclesia jam ante annum 895. positum fuerat Caput S. Nimphae, quod, ab Urbe Portuensi cum aliis exuviis in Syriam deportatum a Saracenis, quando praedictam Civitatem, omnesque ejus suburbanos agros depopulati sunt, a Syria postea translatum est Romam, ut affirmat celebre Manuscriptum (*k*) Castalli Metallini, qui floruit circa annum 896. juxta testimonium Leonis Allatii Custodis Bibliothecae Vaticanae, ut videre est apud Martinellum (*l*): voluit Deus per Urbanum II. illic reponi Corpus, ubi jam Caput reconditum servabatur, unaque Corpora S. Mamiliani ejus Ma-

(h) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 11. Chiesa 9. Martinell. Roma sacra pag. 229.* (i) *Omnes in Vit. Paschal. II. & Innocent. II.* (k) *M. S. Biblioth. Barberini in quarto num. 1035.* (l) *Martinell. Roma sacra pag. 160.*

Magiſtri Archiepiſcopi Panormi, S. Proculi, S. Euſtotii, & S. Goboldei Sociorum ejus. Nobis hic inſuper notandum venit, etiamſi alii diffuſo ſermone de hac re pertractaverint, duos vixiſſe in terris Sanctos Epiſcopos Mamilianos vocatos, unum Martyrem, quem in hac Urbe colimus, alium Confeſſorem, quem Soanae venerantur ejus Cives; ſed quemadmodum licet duae vixerint S. Nimphae nuncupatae, Panormitana una, Nicoena altera, cujus Corpus in Eccleſia S. Spiritus in Saxia aſſervatur, quia tamen ambae quaſi eodem tempore ad Caelos convolarunt, ideſt Nicoena die 10., Panormitana vero die 12. Novembris propter temporis propinquitatem, quo earum mors contigit, Scriptores nonnulli eas confundendo, unam tantum Nimpham dixerunt; ita eadem ratione de duobus Sanctis, utroque vocato Mamiliano, unum tantum adnotarunt, quorum tamen diverſitatem P. Octavius Gaetanus (*m*) in ſuo Tractatu de Sanctis Siculis evidentibus rationibus dignoſcendam praebet. De ſacris horum quinque Sanctorum lipſanis aliquas Reliquias obtinuit Civitas Panormitana, ut legitur in lapide apud Altare majus hujus Eccleſiae proſtante, in quo videtur ſequens inſcriptio:

Alexandro VII. P. O. M.
Annuente
Petro de Aragonia Regis Hiſpaniarum
Oratore apud S. Sedem adnitente
Panormi felicitas aucta eſt
Ad partem enim Capitis S. Nimphae V. & M.
A Clemente VIII. donatam
Non tantum pars Capitis
S. Mamiliani Epiſcopi, & Mart.
Ex dono Alexandri VII.
A Petro Martinex Rubio Archiepiſcopo Panormitano
Anno MDCLVII. translata
Sed haec ſacra lipſana
Anno MDCLXVI. acceperunt

(m) *Gaetan. de Sanct. Siculis tom. 1. pag.* 118.

Pars videlicet ossium eorumdem
SS. Mamiliani, & Nimphae,
Nec non Proculi, Eustotii,
Et Goboldei MM.
Tantos Cives in Patriam reduces
Panormitani
Triumphantium more exceperunt,
Et annuos census huic Templo
Olim a Majoribus datos auxerunt
Octavius Corsettus Villae altae Comes
Eques S. Jacobi,
Praetor Joseph Osorius, Ferdinandus Afflictus
Octavius Bissus, Bartholomaeus de Castillo
Senatores.

Alia potest esse conjectura vetustatis hujus Ecclesiae, quod scilicet ejus fundatio praecesserit annum 896. juxta sensum Abbatis Philippi Titi (n) sentientis Christi Domini Salvatoris effigiem, quae in Tribuna videtur, jam a 1300 ab hinc annis opere musivo fuisse constructam: ex quo deducitur, computando a die, quo librum suum typis mandavit, anno 386. illam Salvatoris imaginem fuisse contextam; & revera data occasione, qua san. mem. Clemens XI. hanc Ecclesiam a fundamentis instaurari curavit, nonnulli musivi operis periti ad memoratam Salvatoris effigiem animum adjecerunr, atque esse hoc opus primitivae inventionis pronunciarunt; sequens inscriptio super ostium majus est adnotata.

S. Mariae in Monticellis
Ecclesiam
Non tam antiquitatis laude
Quam quinque SS. Martyrum Panormitanorum
Exuviis
Ab Urbano II.
E Portuensi Diaecesi huc translatis

In-

(n) *Titi ammaestram. di pitture, e sculture nelle Chiese di Roma pag.* 85.

Insignem
Temporis injuriis non semel violatam;
Et pia Summorum Pontificum cura
Refectam
Annorum pondere rursus fatiscentem
Clemens XI. Pont. Max.
Restituit, ornavitque
Anno Sal. MDCCXV.
Pontificat. XV.

Consecrata deinde fuit haec Ecclesia, ut ex sequenti inscriptione apparet.

D. O. M.
Ecclesiam hanc
S. Mariae in Monticellis
A Clemente XI. Pont. Opt. Max.
Restitutam, atque ornatam
Alexander Bonaventura
Patritius Urbinas
Archiepiscopus Nazianzenus
Apostolicis eleemosynis, ac
Vestiario Praefectus,
Et Pontificii Solii assistens
Die Praesentationis
B. Virginis sacro
Solemni ritu dedicavit
Anno Domini MDCCXVI.

Agendum superest de denominatione in Monticellis, quam Ecclesia haec adhuc retinet. Qui enim eadem magis imbui exoptat, a Canonico Horatio Ciuccioli Parocho ejusdem Ecclesiae in suo Tractatu de hac Ecclesia clariores potest investigare notiones. Refert praedictus Auctor sentire aliquos Ethimologiam hujus nominis de Monticellis a Familia ejusdem nominis, quae ipsam a fundamentis construxerit, vel ex eo quia locum, ubi nunc sita est, Familia de Monticel-

lis pro Aedibus propriis olim habuerit, originem ducere. Licet autem Romae floruerit perillustris prosapia de Monticellis, quae, teste Ciacconio (o), ubi loquitur de Octaviano Antipapa sub nomine Victoris IV., qui, testante Baronio (p), e Comitibus Tusculanis erat, coincidit, immo & eadem est cum Familia eorumdem Comitum Tusculanorum; vero similior tamen videtur opinio supradicti Canonici Ciuccioli, aliorumque Scriptorum asserentium, hanc Ecclesiam ideo in Monticellis nuncupari, quia sita supra parvum montem, seu collem extat, uti, differens de hac Ecclesia Pancirolus, affirmat (q): Romae enim solum minime planum est, sed nonnulli parvi in eo colles eriguntur, qui cum, coeteris majoribus Urbis collibus comparati, minores esse videantur, locum hinc dederunt nuncupationi S. Mariae in Monticello. Quod sane ex Durando robur accipiet, si tamen dictis ejus fides adhibeatur; refert enim praedictus Auctor parvum montem paullatim formatum fuisse ex terra, quae de singulis Romano Imperio subditis Civitatibus, Augusto Caesare praecipiente, Romam allata fuerat. En Durandi verba (r): *Augustus Caesar ad gloriam Imperii Romani jussit, ut de singulis Civitatibus Orbis aliquis Romam veniret, afferens inde tantum terrae, quantum pugnus claudere posset, ut per hoc appareret omnes Romano Imperio fore subjectos; ex qua terra factus est in Urbe quidam monticulus, super quem fabricata fuit quaedam Ecclesia a Romanis ad Fidem conversis.* Neque vero alium locum, aliamve Ecclesiam, quam hanc respicere possunt verba Durandi, cum Romae, inter tot sublimes situs, alius non sit locus, aut Ecclesia, quae communiter de Monticellis nuncupetur. Haec tamen Durandi opinio, quamvis gravis Auctoris, & Catholici a recentioribus improbatur, quia nullius Historici auctoritate nititur, qui floruerit circa aetatem Augusti, quique edicti hujus meminerit, captumque omnem superat minimam terrae quan-

(o) *Ciaccon. tom. 1. col. 996, & 1104. ultim. edit.* (o) *Baron. ubi de Alexandr. III.*
(q) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 11. Chiesa 9.* (r) *Durand. rational. Div. Offic. in secunda Domin. post Epiph.*

quantitatem, quantum scilicet sola manus capere potest, etiam maximo numero multiplicatam, sufficere potuisse monti, etsi parvo, efformando, super quem & Templi, & plurium Domuum aedificia superponi potuerint.

C A P U T LXV.

De Ecclesia S. Blasii Arcariorum.

IN Bulla Urbani III. Sancti Blasii Arcariorum vocari hanc Ecclesiam existimamus a proxima via, quam fabri lignarii incolunt arcas conficientes. Postmodum denominata fuit S. Blasii de Annulo, eo quod, uti testatur Pancirolus (s) in hac Ecclesia extaret Annulus praedicti S. Episcopi, & Martyris. Caeterum sub Pontificatu Gregorii hujus nominis Papae XIII. de consensu Adriani Gratiosi, tunc Rectoris, atque Cardinalis Titularis, & Capituli S. Laurentii in Damaso in hanc Ecclesiam introducti fuere Patres Regulares S. Pauli cum onere eamdem curam exercendi, reservata tamen eidem Adriano Rectori annua pensione ducatorum centum aurei de Camera, ut per literas ejusdem Gregorii Papae XIII. desuper expeditas die prima Martii 1574. Deinceps Sixtus Papa V., qui in Pontificatu successit praedicto Gregorio cupiens & ipse hanc Ecclesiam decorare, illi titulum Cardinalis impertivit. Sed haud diutius tanto honore potita est, anno quippe 1617. cum ejus situ Patres Theatini indigerent ad amplificandum insigne aedificium Monasterii, & Ecclesiae S. Andreae de Valle, cui praesens S. Blasii Ecclesia contigua erat, auctoritate Pauli Papae V. contigit demolitio, & profanatio Templi S. Blasii de Annulo: ex qua proinde translati fuere Patres Barnabitae ad Ecclesiam S. Caroli ad Catinarios, aedificari coeptam anno 1612. Cura Animarum una cum caeteris redditibus pervetustae Ecclesiae S. Blasii, juribusque omnibus Paraeciae, recenti huic S. Caroli

(s) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 11. Chiesa 11.*

roli perpetuo univit; similiter Cardinalis Montaltus S. Laurentii in Damaso Cardinalis Titularis ex nonnullis Paraeciis extinctis filialibus ejusdem Basilicae eam auxit praevia approbatione Apostolica per literas in forma Brevis ejusdem Pontificis Pauli V. sub datum die 15 Junii 1617

Praeter enunciatas uniones Ecclesiae S. Caroli ad Catinarios, quae substituta, ac subrogata fuit loco pervetustae filialis S Laurentii in Damaso, nuncupatae S Blasii de Annulo, Alexander quoque Papa VII eidem Ecclesiae S Caroli univit alteram Parochialem S. Benedicti cum omnibus juribus, & emolumentis, prout ex Bulla sub datum 16. Augusti 1660, & impertita fuit facultas Patribus Barnabitis profanandi, & demoliendi dictam S. Benedicti Ecclesiam, ut apparet ex Brevi expedito 14. Decembris supradicti anni 1660. Functiones itaque Parochiales utriusque Paraeciae S Blasii de Annulo, & S. Benedicti exercentur in Ecclesia S. Caroli ab uno ex Patribus ab Eminentissimo Cardinali Vicario approbato. Non abs re esse arbitramur hic recensere exitum controversiae subortae Patres Barnabitas inter, & Capitulum Laurentianae Basilicae, etsi superius, ubi de Fonte baptismali de eademmet controversia fuerit sermo. Sui juris esse censebant praedicti Patres in hac S. Caroli Ecclesia baptismalem Fontem tenere, & ut infantes, qui in Paraeciae hujus districtu nascebantur pro Baptismate suscipiendo non amplius deferrentur ad Matricem, sed ad hanc ipsorum Ecclesiam, cui pleno jure spectare Baptismatis collationem arbitrabantur. Delata est haec controversia ad sacram Visitationis Apostolicae Congregationem sub titulo: *Caussae Romanae Fontis baptimalis inter Clericos Regulares Congregationis S. Pauli in Ecclesia Sanctorum Blasii, & Caroli ad Catinarios, ejusque Parochum ex una, & altera Capitulum, & Canonicos, ac Vicarium Curatum Basilicae S. Laurentii in Damaso*, fuitque propositum sequens dubium: *an Ecclesiae Parochiali Sanctorum Blasii, & Caroli ad Catinarios danda sit reintegratio ad Fontem baptismalem, seu potius an eidem nova erectio permittenda sit in casu &c.* Sacra Con-

Congregatio Visitationis Apostolicae proponente Eminentissimo D. Cardinali Colloredo, & utraque parte informante respondit negative, quoad utrumque. Romae 29. Martii 1707.

Aedificatio hujus Ecclesiae valde humilis in adventu PP. Barnabitarum, ad magnificentiam, qua nunc decoratur, non minori sumtu, quam scutorum nonaginta millium evecta est, quemadmodum etiam scuta viginti quinque millia expensa in Fabrica Collegii fuere, ut accepimus ex Visitationibus Ecclesiarum Urbis ab Alexandro VII. (*t*) indictis; quod omnino dandum est bonis operibus, laboribus, solertiae, & vigilantiae dictorum Patrum. Forma Templi est magnifice, & decenter extructa, parietibus lateralibus circumquaque plastice dealbatis, nisi quod inferior pars respiciens Altare majus sacris picturis ornata est. Suprema Ecclesiae concameratio, & testudo variis ex marmorato, operibus auro linitis, eleganterque compositis emicat, quatuorque inferiores testudines anguli pulcherrimis picturis celebris Dominichini insigniuntur. Tota quin etiam Templi facies, ac exterior splendet aspectus ex lapide Tyburtino venuste compositus, gestans in fronte nomen Cardinalis Lenii, qui pro Fabrica Ecclesiae satis opulentum reliquit legatum sub administratione R. P D. Tyberii Petronii, prout ex monumento marmoreo parieti inferiori Ecclesiae infixo apparet. Consentaneum denique arbitramur denominationem hujus Ecclesiae, nempe ad Catinarios, hic non omnino reticere; sufficiat tamen id, quod Pancirolus de eadem asserit (*u*). Tribuit hic Auctor praedictum pronomen Plateae, ubi sita est haec Ecclesia, quae antiquitus hanc denominationem sortita fuerit a vasis ligneis, vulgo *Catini*, quae ibi efformabantur; quod quidem connexionem quamdam videtur habere cum pronomine, quo supradicta proxima Ecclesia S. Blasii donatur, nempe Arcariorum; a Fabris enim lignariis, qui Arcas elaborant, Catini quoque effici solent. Quamobrem istae viae

(t) *Cod. Visit. Alex. VII. die 12. Januar. 1662. tom. 3. fol. 1.* (u) *Pancirol. Tesori nascosti Rione 11. Chiesa 11.*

viae ad invicem propinquae, ut plurimum a Fabris lignariis inhabitabantur, ex quibus & Plateae nomen ad Catinarios, & Ecclesiae S. Blasii denominatio Arcariorum indita est.

CAPUT LXVI.

De Ecclesia S. Andreae de Incaricariis.

Etiamsi nobis reperire non contigerit ab aliquo Ecclesiarum Urbis Scriptore praesentem S. Andreae de Incaricariis Ecclesiam sic nuncupari, praeter quam in Bulla Urbani III., ubi ab hoc Pontifice filiales Ecclesiae S. Laurentii in Damaso recensentur: nos nihilominus ejusdem Ecclesiae peculiares, ac certas notiones attigisse confidimus; a pluribus quippe tutis, authenticisque documentis esse illam, quae hodie titulum S. Mariae de Pace praefert, diversimodeque exactis retro saeculis appellatam, & denominatam fuisse, ex variis membranaceis Instrumentis pervetusto charactere exaratis, & a PP Canonicis Lateranensibus, sub quorum Jure haec hodie perstat Ecclesia, deprompsimus.

Iidem insuper Patres nobis communicarunt ea fere omnia, quae ad pervetustae hujus S. Andreae Ecclesiae notitiam pertinere dignoscebantur, in ipsorum Archivo asservata. Notiones has obtinuisse facilius profitemur, eo quod Clemens XI. felicis recordationis dignatus sit eas a Superioribus dictae Religionis postulare anno 1720: quod circa rem hanc retulimus, ut majoris roboris sit apud Lectorem, quod de hac Ecclesia dicturi sumus, & ne ingrati animi nota signari possimus erga Principem benignissimum, cujus insigni munere, ac beneficio hanc narrationem pertexere licuit.

Pancirolus (x), & Auctor Romae sacrae, antiquae, ac modernae afferunt S. Damasum in Dedicatione Ecclesiae sui nominis, Sanctoque Laurentio oblatae, voluisse, ut eadem latam, ac

(x) *Pancirolo Tesori nascosti Rione 6. Chiesa 11.*

ac ſpatioſam Juriſdictionem in alias Parochiales Eccleſias obtinueret, proptereaque illi quamplures Eccleſias, quae ipſam uti Matricem colerent, atque filialem dependentiam, & obſequium praeſtarent, conceſſiſſe, inter quas praeſens, nuncupata primum S. Andreae de Incaricariis, poſtea Cerelarorum, & demum de Aquariciariis, ſive de Piſcatoribus, enumerabatur, ut inferius demonſtraturi ſumus.

In allegato Canonicorum Lateranenſium Archivo reperitur Inſtrumentum rogatum anno 1172. venditionis duarum domorum per Petrum de Rubeis ad hujus Eccleſiae S. Andreae commodum; quod quidem Inſtrumentum praeſefert nomen Presbyteri tunc Rectoris, ac impoſitum pariter tunc Titulum, denominationemque ipſi Eccleſiae ſequenti formula: *Transfero tibi Presbytero Gentili Eccleſiae S. Andreae Cerelarorum, ſuiſque Succeſſoribus, vel cui ut Inſtrumentum notabit, largiri, & concedere praedicta Eccleſia voluerit in perpetuum; Item duo Caſalini non longe a dicta Eccleſia &c. & pertinentiis poſitis in Regione Scorteclariorum.*

Deinceps vertente anno 1202. ſub Pontificatu Innocentii Papae hujus nominis III. ſtipulatum fuit aliud Inſtrumentum in enunciato Archivo adhuc aſſervatum locationis duarum pariter domorum, die ſexta Maii; at nomen ibi Presbyteri Rectoris ejuſdem Eccleſiae non amplius ſub eodem titulo Presbyteri, ſed Archipresbyteri eſt, denominationem quoque reperimus praedictae Eccleſiae eſſe variatam ſequenti forma. *Paulus Archipresbyter Eccleſiae S. Andreae de Aquariciariis*; quod legitur in Inſtrumento originali in ſupracitato Archivo ſervato. Fluente pariter eodem ſaeculo alia item Inſtrumenta rogata reperiuntur quamplurium donationum, locationum, ac cenſuum, antiquo ſimiliter charactere exarata uſque ad annum 1295, quae omnia ſunt adnotata in rubricella dicti Archivi, ſed in ſuis originalibus lectu difficilia, & implexae traductionis, quia diuturnitate temporis ſunt corroſa. Ab iis nihilominus Inſtrumentis ſatis aperte colligitur Eccleſiam hanc S. Andreae prius ſub titulo Cerelarorum, poſtea ab Urbano III. de Incaricariis, demum

de Aquariciariis nuncupatam fuisse, pluribusque fundis ditatam, & quamplures opes, facultatesque possedisse. Ab anno item 1316. ad annum 1386. adsunt in eodem Archivo Instrumenta donationum, locationum, ac postremarum dispositionum, ut ex rubricella apparet, ad ipsam S. Andreae Ecclesiam pertinentium. Immo in locatione quadam praediorum existentium in agro, vel Territorio vulgo vocato *di Gajano* extra Portam Castri S. Angeli, acta Lucio Ciolae sub die 20. Julii 1370. custos hujus Ecclesiae expresse nominatur vocabulo Rectoris, quod nomen cohaeret muneri, & significationi Parochi. Denique sub anno 1451. extat nota omnium bonorum, quae Ecclesia S. Andreae de Aquariciariis possidebat, & in ipsa legitur charactere aliis praecedentibus intelligibiliori, quod sequitur: *In nomine Domini Amen. Anno Domini 1451. Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Nicolai Papae V. Istae sunt pensiones receptae per me D. Nicolaum Rectorem Ecclesiae S. Andreae de Aquariciariis;* & insuper enumerantur omnes domus, census, locationes, & redditus dictae Ecclesiae, qui numero satis amplo recensentur. Haec retulimus, ut ex nomine Rectoris Ecclesiae appareat tunc temporis fuisse inibi curam Animarum; caeterum ex aliis documentis nobis non constat, ex quonam tempore coeperit Ecclesia ista esse Parochialis.

Anno 1483. Abbas D. Gabriel Pennottus (y) Novariensis, & Canonicus Regularis Lateranensis refert in sua tripartita Historia, Ecclesiam hanc Parochialem S. Andreae, quam nuncupat de Aquiriciariis a Sixto IV. concessam fuisse Canonicis sui Ordinis, postquam coacti sunt possessionem, & incolatum cedere Canonicis Saecularibus Ecclesiae S. Johannis in Laterano, ubi plurium saeculorum ambitu moram fecerunt, quippe, si ipsi Pennotto credimus, a S. Gelasio Papa anno 492. eam obtinuerunt, & usque ad annum 1300. inibi habitarunt, quando Bonifacius VIII. Ecclesiam hanc cum omnibus redditibus, & pertinentiis Canonicis Saecularibus elargitus est, ut testantur

(y) *Pennott. histor. tripart. lib. 3. cap. 33.*

tur Onuphrius Panvinius, & Platina (z). Quae ut apertius pateant, consentaneum arbitramur aliqua referre de institutione hujus Venerabilis Lateranensis Basilicae primariae Urbis, & Orbis, ac recensere quotquot ad nostra usque tempora divinum in ea cultum expleverint. Statim post Basilicam conditam in ea Divinis ministeriis fungebantur Romanus Pontifex, & Presbyteri Urbis septem Diaconi, totidem Subdiaconi, & integer Romanus Clerus, ac Populus Orthodoxus. Nam Psalmodiam, Hymnos, ac reliquas preces populus cum majoribus, minoribusque Clericis canebat, Pontifex concionabatur, Presbyteri vero omnes Sacramenta Ecclesiae per vices suas tractabant. Gelasius Papa circa annum Domini 492. Clericos, qui ab arctiore vitae instituto Canonici, idest Regulares nuncupati fuere, Laterano addixit. Hi Apostolorum, & primitivae Ecclesiae more, secundum B. Augustini Regulam in communi vivebant, in idque incumbebant, ut in Basilica Lateranensi Sacramenta plebi Dei administrarent, cum eo tempore Psalmodiam adhuc Fideles populi frequentarent. Porro cum Religionis zelus paullatim decrevisset, ac Basilica non ita in Psalmodia frequentem populi concursum haberet, & Canonici majoribus distenti curis canonicas preces adire frequenter nequirent, accidit, ut haud longe post Gelasii tempora, scilicet anno 573, cum Longobardi pessundarent Italiam, a quibus porro Monasterium Casinense dirutum est, quod paullo ante a B. Benedicto Abbate institutum fuerat, tunc iisdem Monachis Romam petentibus, ut refert Gregorius Magnus (a), concessum est juxta Lateranensem Basilicam Monasterium sub titulo Sanctorum Johannis Baptistae, ac Evangelistae, & Pancratii, ubi per centum, & triginta annos perstiterunt, sacras horas, & Psalmos loco Laicorum in Laterano canentes; Canonicis solum in ea sacra facientibus, & Sacramenta administrantibus.

Monachi praedicti regnante Gregorio II. ad Montem Casinum

(z) *Panvin. de sept. Eccl. ubi de S. Johan. in Later. pag. 132. Platin. in Vit. S. Gelasii PP.* (a) *S. Greg. Dialog. lib. 2. cap. 17. Et Paulus Diacon. lib. 6. cap. 40.*

num redierunt, anno nempe 716: postmodum cum Monasterium praedictum dilaberetur Gregorius Papa III. illud renovavit, ipsique praedia, & dona multa contulit, ac denuo praefatis Canonicis Regularibus tradidit, & Abbatem constituit ad persolvenda quotidie sacra Officia laudis divinae in Basilica S. Salvatoris. Alexander II., qui ante Pontificatum Clericus Regularis fuerat in amplissimam dignitatem, vitaeque splendorem Canonicorum Lateranensium Regularium ordinem restituit: ex quo ingens illustrium virorum numerus prodiit, nempe Romani Pontifices multi, & magni nominis Cardinales. Floruit vero summopere haec Congregatio Lateranensis sub Alexandro III., & aliquot ejus Successoribus. Incolatum duxerunt Clerici hi Regulares, qui Canonici nuncupati sunt, in Monasterio Lateranensi Basilicae adjecto annos plus minus 800. usque ad Bonifacii VIII. Pontificatum, qui circa annum Domini 1300. eos Canonicos Claustrali Monasterio Lateranensi privavit, & Canonicis Saecularibus impertivit, singulisque ex redditibus Monasterii singulas praebendas constituit. Usque ad Eugenii Papae IV. aevum pacifice Canonici Saeculares in Laterano permanserunt, qui Pontifex cum vitam regularem maxime coleret in Basilica Lateranensi Canonicorum Regularium Institutum restituit, Claustrumque cum dormitorio, in quo degerent a fundamentis pene excitatum; atque ibi usque ad obitum Nicolai Papae V. fuerunt; quo defuncto civili tumultu a Romana Plebe pulsi sunt, iterumque Canonici Saeculares introducti, & a Callixto III. confirmati Basilicam Lateranensem usque ad Pontificem Paulum II. tenuerunt, qui Eugenii IV. Avunculi sui vestigia secutus, ubi primum in Pontificatu sedit, Canonicos Regulares ad Lateranum redire congruum censuit; sed non absque jurgio, populique contentione, qui aegre ferens has sibi praebendas eripi, denuo in obitu ejusdem Pontificis eas vindicavit, populari tumultu expellendo praedictos Canonicos Regulares; quare sub Sixto IV. S. Mariae de Pace Ecclesia obtenta, Canonicam Lateranensem Romanis reliquerunt, tuncque restituti veteres

teres

teres Canonici Saeculares, qui Basilicam ad nostra usque tempora custodiunt, diuque asservabunt (*b*).

Dilucide rem hanc narrat Matthaeus Bossius unus ex Regularibus Canonicis Lateranensibus, cujus opere praetium existimamus hic referre verba: (*c*) *Eugenius Beati nominis, & sempiternae gloriae Pontifex in Lateranensi nos aede reposuit; quippe qui Sponsae suae rationem sibi habendam putabat. Est enim Constantiniana illa Basilicarum omnium prima, & magni Patris Episcopalis Sedes, Sponsaque legitima, & voluit & illam esse nostri Ordinis Caput, & ab ea nos Canonicos Lateranenses nominari perpetuo, & illius dignitatibus, privilegiisque potiri. Dum vixit Beatissimus ille, nihil Romae venerabilius nostro Ordine fuit, sed illo emortuo a Romanis, qui eum nobis locum invidebant, vix Nicolaus successor tutatus est, quo humanis exempto a furente immanius populo nos Calixtus servare non potuit. Profligatos indigne, Paulus II. iterum in propriam sedem restituit, quo emigrante iterum pulsi &c.* hactenus Bossius.

Pennottus superius laudatus miraculum refert Imaginis Virginis Mariae, quae ita coloribus expressa erat sub porticu, ut brachio sinistro divinum Infantem Redemptorem nostrum regeret; cumque quadam die publice quidam ludentes, ob ingentem nummorum jacturam ira perciti essent, rabiem suam in sacram hanc Imaginem converterunt, lapides in adorandum ejus vultum proiicientes, ex quo statim mirabiliter sanguis emanavit; cum vero hoc miraculum acciderit sub Pontificatu Sixti IV., tempore, quo per integram Italiam, immo in tota Europa bellum grassabatur, hic Pontifex ad sacram hanc Imaginem adorandam se contulit, ac votum emisit de construenda Ecclesia in honorem B. Virginis, si misericors haec Mater Christianis ita auxiliaretur, ut ejus intercessione Catholici Principes dissidiis, ac contentionibus parcerent, pacemque componerent. Voti compos factus hoc Templum elegantis formae, quamvis in angusto situ, & ubi prius erat Ecclesia S. Andreae,

(b) *Severano delle set. Chiese di Roma par. 1. pag. 532, & 533. ediz. Roman.* 1630.
(c) *Matth. Bossius recuper. Fesulan. Epist.* 50.

dreae, excitavit. At cum sacra haec Imago diu ob crebra miracula nuncupata fuisset S. Maria Virtutum, tunc ipse Pontifex Sixtus IV. post collocatam in Ara maxima novae constructae Ecclesiae, Sanctam Mariam de Pace nuncupavit, ubi etiam nunc frequens populi concursus humili devotione ipsam venerabundus adorat. Insuper haec Ecclesia ab omni superioritate, & Visitatione Cardinalis Titularis S. Laurentii in Damaso tunc exempta, ac liberata fuit; ex quo equidem apparet Ecclesiam S. Andreae fuisse Paraeciam filialem Basilicae S. Laurentii in Damaso, ad quae omnia comprobanda reiicimus Lectorem ad Bullam ejusdem Pontificis Sixti IV., quae incipit: *Redemptoris Nostri &c.*

Haec Constitutio in sua narratione, & dispositione testatur ea, quae allegatus Pennottus narrat; autographum ipsius Bullae asservatur in Archivo Patrum S. Mariae de Pace, in quo cum caeteroquin nec umbra reperiatur, nec vestigium, nec aliqua memoria, nec delineatio veteris Ecclesiae S. Andreae, nec confinium Paraeciae circa aevum S. Damasi; ideo hic adnotare non possumus quando Ecclesia S. Andreae fundata fuerit, atque in Paraeciam erecta. Verum ut clarius pateant ea, quae diximus circa hanc Ecclesiam, signanter quod illa S. Andreae eadem sit, quam hodie Sanctam Mariam de Pace nuncupant, relatis addemus auctoritatem Visitationum Urbani VIII. (*d*), in quibus reperimus quod Paraecia olim erat sub invocatione S. Andreae filialis S. Laurentii in Damaso; fuit deinde translata in Ecclesiam S. Mariae de Pace a Sixto IV. profanato antiquo S. Andreae Templo, & juxta porticum, in qua aderat Sanctissimae Virginis Mariae Imago miraculis clara, cujus meritis, & intercessione pax fuit Italiae reddita, exinde ab eodem Pontifice excitata nova Ecclesia, illique fuit attributus Fons baptismalis, postea titulo Cardinalis Presbyteri decorata, estque de illis, quos Sixtus hujus nominis Papa V. per suam

(d) *Cod. Visit. Urban. VIII. 27. Decemb. 1626.*

suam Constitutionem super titulis Cardinalium invexit. Celebratur solemniter hac in Ecclesia festum translationis sacrae Imaginis die undecima Novembris, ac festum S. Andreae, ne antiquae Parochialis Ecclesiae memoria temporum ambitu periret; similiter & festum S. Augustini, sub cujus Regula militant Canonici praedicti Lateranenses, qui ut aequiori animo ferrent privationem incolatus aedium Lateranensium, ubi plurium saeculorum spatio morati fuerant, praeter dependentiam sublatam a Jurisdictione S. Laurentii in Damaso ipsis pariter ab eodem Pontifice Sixto IV. concessus est Titulus, & dignitas Abbatis Superiori, qui prius Praepositus appellabatur, cum usu Mitrae, & aliorum Pontificalium, veluti benedictionem Populo elargiendi; ut autem frequentiori concursu Populus ad hanc Ecclesiam confluerct, eidem Indulgentiam Plenariam concessit pro omnibus totius anni diebus Sabbathis, & festivitatibus Virginis Mariae, quibus Paulus V. Praesentationis etiam festum addidit; die vero S. Martini, in quam incidit Anniversarium translationis sacrae Imaginis a porticu ad hoc Templum Julius II. Sixti IV. Nepos Indulgentiam pariter concessit, quod item contingit diebus S. Andreae, & S. Augustini, in quibus visentes Ecclesiam lucrantur easdemmet Indulgentias impertitas Templo S Mariae de Populo, vigore literarum, ut inquiunt, in forma Brevis ejusdem Pontificis Julii II. sub datum tertia Julii 1506; reliquis vero temporibus anni ut Fideles lucrarentur in hac Ecclesia Indulgentias per quoscumque Romanos Pontifices Ecclesiae S. Mariae de Populo elargitas Sixtus Papa V. indulsit, denique dum sacris initiaretur haec Ecclesia, nempe die sexta Octobris anni 1580. Gregorius XIII. thesauro plurium Indulgentiarum illam similiter locupletavit.

Post completum aedificium hujus Templi Sixtus IV. (e) animum admovit ad construendum Monasterium, sed morte praeven-

(e) *Onuphr. Panvin. ad Plat. in Vit. Sixti IV. Ciaccon. in Vit. ejusd. Pont.*

ventus idem aedificium suscepit Cardinalis Oliverius Caraffa, qui summa magnificentia illud perfecit. Gaspar Rinaldus nobilis Romanus opes suppeditavit ingentes, tandem anno 1614. sacra Sanctissimae Genitricis Dei Imago, quae prius intra elegantissimum Tabernaculum visebatur, ab Innocentio Papa VIII. erectum, ad Aram maximam translata fuit; demum in venustiorem praesentem formam restituta haec Ecclesia fuit a Pontifice Alexandro VII., suppeditante exemplar Petro a Cortona. Ad eam fit ingressus per ostium in frontispicio, & aliud laterale; Ara maxima in abside est posita, & pro Icone habet praedictam sacram Imaginem, quae una est ex septem, quae in Urbe speciali veneratione coluntur. Confluit in hanc Ecclesiam ingens numerus Missarum votivarum, & signanter pro Defunctis, ut pro eis adimplendis opus sit post meridiem notabili temporis spatio celebrare ex speciali Summorum Pontificum Indulgentia.

CA-

CAPUT LXVII.

De Ecclesia S. Nicolai de Cryptis Agonis.

NUncupatur hodie haec Ecclesia S. Nicolai in Agone Nationis Lotharingiorum, quia prope Plateam Agonalem sita, atque in Regione Pontis. Olim erat Parochialis, & cura ipsi Animarum sublata est tempore concessionis Nationi Lotharingiae, quae applicata fuit alteri filiali Ecclesiae S. Laurentii in Damaso, nempe Paraeciae S. Blasii de Fovea, vigore Constitutionis Gregorii Papae XV., quae habetur in Bullario (f) sub datum Tusculi tertio nonas Octobris, anno 1622, cum consensu Alexandri Cardinalis Montalti tunc S. R. E. Vicencancellarii, & Basilicae S. Laurentii in Damaso Titularis; ob quam concessionem praedicta Natio se adstrinxit in subjectionis significationem Ecclesiae S. Laurentii in Damaso per singulos annos in festo ejusdem S. Laurentii cereum ponderis librarum quatuor offerre. Redditus vero applicati fuere Capitulo Laurentiano. In praesentiarum instaurata cernitur haec Ecclesia sumtu inclytae Nationis Lotharingiae, adjecta fronte lapidea ex ruderibus, saxisque praegrandibus Circi veteris Agonalis, repertis, dum fundamenta Ecclesiae jacerentur: cum vero constet hanc Urbis Regionem non parum elevatam esse, necesse exinde fuit non hic solummodo, sed alibi etiam multa aedificia subsedisse, ut vix eorum vestigia hodie superesse videantur. Altare majus hujus Ecclesiae est in ejusdem capite sub abside fornicata, rotundoque opere structa, habens Iconem cum Imagine S. Nicolai eleganter, ac decenter ornatam.

Haec sunt quae de filialibus nostrae Basilicae Ecclesiis colligere datum fuit; quod si vel strictiores, vel minus verosimiles notiones invenias benigne Lector, id animo rependas ro-

(f) *Bullar. tom. 3. num. 38.*

go, quod in adeo frequenti varia Urbis vicissitudine ex bellorum, direptionumque calamitatibus obventa, veteribus deperditis memoriis, Ecclesiis ipsis aut hostium furore, aut temporum injuria dirutis, saepius per conjecturas ipsarum historiam texere coacti fuimus. Graviorum tamen Auctorum sententiam sequuti, aut solidioribus innixi conjecturis, non longe a vera earumdem Ecclesiarum relatione abiisse confidimus; si quid autem erroris irrepsit, a deficienti monumentorum copia id evenisse, tibi suadeas exoro; cum de caetero majori ea, qua licuit sedulitate, ac diligentia usi simus, ut totum hoc qualecumque opus ad Dei Omnipotentis, Beatissimae Virginis Mariae, SS. Damasi, & Laurentii honorem absolveremus.

F I N I S.

IN-

I N D E X

Rerum praecipuarum, quae in hoc Opere continentur.

 sae-

Can-

E

F

S.

T

San-

FINIS.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 3. l. 8. duos nimirum, & quinquaginta	ſecundo nimirum, & quinquageſimo
Pag. 6. l. 6. Baccarenſis	Bracarenſis
Pag. 11. l. 6. uberrime	uberrimae
Pag. 13. l. 1. Boream	Berrhoeam
Pag. 14. l. 9. & 12. Cerae	Caere
Pag. 22. l. 20. Antoninum	Antonium
Pag. 32. l. 27. redire	rediere
Pag. 34. l. 12. quam	qua
Pag. 41. l. 15. tractatorias	tractorias
Pag. 46. l. 11. Ducii	Duce
Pag. 52. l. 24. a ſententia deteruit	a ſententia deterritus eſt
Pag. 53. l. 18. de hujus Viae, & alterius Appiae	de hujus Viae, & alterius Appiae excurſu
Pag. 71. l. penult. extractum	diſtractum
Pag. 72. l. 3. tandiu	tandem
Pag. 84. l. 4. eruditis	eruditi
Pag· 97. l. 25. latinae	latine
Pag. 97. l. 13. ipſi	ipſe
Pag. 99. l. 2. ſolemnis	ſolemniis
Pag. 115. l. 17. velificatus	velificatum
Pag. 117. l. 10. iis	is
Pag. 132. l. 21. ſacri ubique libri	ſacros ubique libros
Pag. 151. l. 11. Sed	Id
Pag. 151. l. 21. aliter	alter
Pag. 250. l. 10. prefit	praefuit
Pag. 382. l. 22. S. Martae de Monterone	S. Mariae de Monterone
Pag. 394. l. 7. afferent	affererent
Pag. 395. l. 20. antiquitem	antiquitatem
Pap. 399. l. 15. proceſſiſſe	praeceſiſſe
Pag. 409. l. 2. obtinueret	obtineret

IN INDICE

Pag. 20. l. 8. S. Martae de Monterone	S. Mariae de Monterone